24
Pr: 7 for 2
No. 22
SCS #1345

4176

B K

SCS #1345

EXERCITATIONES
APOLOGETICÆ
PRO DIVINA GRATIA,

In quibus vindicatur doctrina orthodoxa de divinis decretis, & Dei tum æterni decreti, tum gratiæ efficacis operationis, cum hominis libertate conſociatione & ſubordinatione amicâ,

Adverſus Iacobum Arminium ejuſque aſſeclas, & Ieſuitas, inprimis vero Fran. Suarezium, Gabri. Vaſquezium, Lodiv. Molinam, Leonard. Leſſium, Pet. Fonſecam & Robertum Bellarminum.

Studio & induſtria

SAMUELIS RHÆTORFORTIS,
Eccleſiæ Anwetenſis, in Gallovidia Scotiæ Provincia, Paſtoris.



FRANEKERÆ.

Impenſis JOHANNIS DHÜIRINGH, Bibliopolæ, Anno 1651.

SCS #1345

Nobiliſſimo, ampliſſ. & illuſtriſſimo
DOMINO,

D. JOHANNI GORDONIO Lacu-varriæ domino, Kain-murij Vice-comiti,

Gratiam & pacem à Domino.

Librorum (*domine ampliſſime*) haud aliter quàm foliorum arborum, adoleſcente jam vere, permagna eſt copia: ſcripturire quam parturire mallet hoc ſæculum, & vitam chartaceam nemo non optat. Quorſum ego itaque ſcriberem? *an quia ſtultum & ignavum periturę parcere chartę?* an vero, quod verius eſt, quoniam hoc habent miſerrima & deflenda eccleſiæ fata, ſeneſcente jam mundo, ut veritas, quæ nullum forum reformidat, nullum tribunal perhorreſcit, nunquam non in jus & quæſtionem rea petrahatur, & theologia jam tantum non arena gladia-

toria fiat? Huic malo remedium, pacem & concordiam animorum optare poſſumus, quod obnixè orandum, at præſtare non poſſumus, imo vix ſperare, quod ſeriò dolendum eſt. Atqui hujuſce rei cauſa forte veritati potius quàm humanitati imputanda eſt, eo quod ipſa ſit ardua, intricata, perplexa, tenebricoſa, & errorum ſpinis & ſenticetis ſcateat. At non ita eſt: illa nuda, bone Deus, quam clara, quam facilis, quam expedita! Sed diſputaciſſimi ſunt mortales, præſertim qui ſubactioris ingenii videri volunt, & maleferiata ingenia malunt diſputationum & concertationum montes creare, de barbâ caprinâ, de *Ulyſſis* patria, de *Nili* ortu, imo de litera y, quam pacem animorum ſectari. Inde eſt quod Natio Jeſuitica theologiam obvelarit, ut nos qua itur, non qua eundum eſt, circumgyrare unicè ſatagat, idque per tot diſtinctionum & cavillationum *Mæandros*, reſpectuum & notionum labyrinthos, & ſubtilitatum Scholaſticarum gyros & anfractus, ut periculum jam non mediocre ſit, ne veritas intermoritura videatur. Hinc Conciliorum,

Scholarum, Academiarum & doctorum ferventiora & petulantiora ingenia coguntur diſputare, non credere, opinari, non ſcire, digladiari, non addiſcere, quæ ſcitu neceſſaria ſunt; & tantum non ſeculum ſufficiat ſpinoſarum quæſtionum ſtrophas litigioſas detegere, tricas involutiſſimas enodare, ſophiſmata viſcata diluere, impoſturas *Dædaleas* explicare. At vero immortaleis, per nos, ſerant diſceptationes, ſi non impetiginoſos, in Dei providentiam, & gratiam efficacem, calamos ſtrinxiſſent. At quis verè Chriſtianus, ſe non multis nominibus devinctnm fateretur divinæ gratiæ? de quâ, ſi ſimul actum & conclamatum ſit, totam Theologiam in extremâ regulâ ſtare, nemo non ſcit. Nimis exploratum habeo communem, & decantatam *Arminianæ* ſcholæ cantilenam eſſe, noſtrum decretum abſolutum, & gratiam Dei irreſiſtibili vi operantem, eſſe ipſiſſimum fatum. At probare, cauſam dicite, tabulas proferre

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Nam ſophiſtæ ita argutanti: *Quod ego*

ſum tu non es: *homo autem ego ſum*: *homo igitur tu non es*, reſpondens *Diogenes*, à me (inquit) incipe, & vera erit concluſio. Ita nos, non eſſe dicimus, quales ſunt *Arminiani*, nempe qui *Deum* ipſum fato adamantino conſtringunt: nos vero fati aſſertores eſſe contendunt illi, ſed Tribunitiâ & dictatoriâ affirmatione, nulla ratione ſolidâ. Quin & nos vobiſcum dicimus

Senec. Trag. in hypoly.

Et — *Quem fata cogunt is cum venia eſt miſer.*
Fati iſta culpa eſt, nemo ſit fato nocens.

Eſai. 14. 27. *Ezech.* 36. 36.

At ſi fatum hoc ſit, [*ita fatus eſt Jehova exercituum*: *& faciam. Et Iehovah inivit conſilium & quis irritum faciet?*] tum nos tale fatum, fruſtrà obſtrepente invidiâ aſſerimus, credimus, propugnamus. Quas vero contra nos adfertis diſputationes, vidimus, deprehendimus, probavimus *Leotrephide & Thavmantide* (ut dicitur) macilentiores. Argumenta quid aliud ſunt, quam larvæ, umbræ, fuci, fumi, ceroma, purpuriſſa? Sed errori opus eſt veſtibus purpureis, ne perpluat. Et ex hac radice uſque adeo luxuriantur, & ſoboleſcunt, ſilveſcente, jam præſertim hiſce

hiſce extremis diebus, humani ingenii petulantiâ immani, errores *Pelagiani, Sociniani, utinam non Arminiani* & *Epicurei*, ut omnes promiſſiones novi fœderis ſint tantum μορμολύκεια verba & venti. Hoc imputamus *Ieſuitis* veſtris, hoc laſciviæ ingenii humani: quippe *nullum magnum ingenium ſine mixturâ dementiæ.* At ſi Cynicus ille philoſophus, conſpecto adoleſcente vertiginoſo, inculto, & profligato, præceptorem ipſius verberibus cædi juſſerit, veſtri certe præceptores, *Ieſuitas* intelligo, quibus doctrinam veſtram, & nova dogmata debetis; & vos cum illis digni eſtis, qui flagris cædamini. Interim in promptu vobis erit coccyſmus veſter fatalis; penes Deum ne quidem eſſe, quo minus cædamini. Dicite enim per Deum immortalem, nec conſcientias candidiores obteſtari verebor, & qua Deo libertas ſalva eſſe poſſet, ſalvâ veſtrâ ſcientiâ mediâ, & actuum contingentium decreto conditionato. Nam obtinente hoc dogmate, futuritionem habente, antecedenter ad Dei tum ſcientiam, tum decretum; omnes quotquot ærumnæ, mortalibus, miniſterio cau-

 ſarum

ego provinciam appuli, & in ſacroſancti miniſterii in eccleſia Chriſti, curriculo, licet non quà debeam, attamen qua poſſim, animi contentione militantem, ſpe, re, conſilio, authoritate indies adjuvare, complecti, & promovere, non gravatè tuliſti, te vindicem & aſſertorem appellant, ſalutant, patrocinium exoptant, & in authoris obſequii & gratitudinis, amplitudine tuæ Chirographum, ſeſe dicant, conſecrant, & amoris ſigillum teſtatiſſimum appendunt, quo confidentius, & animoſius, tuâ fretus authoritate, ad alia quæ libelli inſcriptio ſpondet, promovear. Iſta φιλοσοφώτερα & abſtruſiora, quam par eſt, ſi quis incuſabit, pro me reſpondeo, malo nodo, malum cuneum deberi; & amaram bilem. non niſi amaris pharmacis, diluendam, & hoſtes divinæ gratiæ vel in aliena caſtra, extra ſepta theologica fugientes, perſequi non eſſe inutile & invitisſimo delinquenti veniam dandam eſſe. Interim quâ poſſum animi ſubmiſſione, quo debeam mentis ardore, Deum patrem *D. Ieſu Chriſti* invoco, ut te, & familiam tuam, omni benedictionum genere

nere quam cumulatiſſime complectatur, ut poſſis eſſe eccleſiæ ornamento, patriæ ſubſidio, bonis omnibus ſolatio. Non enim ignoras in hac valle miſeriarum minime ſiſtendum, neque tentorium figendum, ad æternitatem ipſam (quod vere magnum eſt nomen & ineffabile) te vocari, creſcere iter, decreſcere diem, omnia alia aliena, tempus tantum noſtrum eſſe, ſi modo noſtrum eſt, Iſta profecto, quorum amore nos miſeri ineſcati tabeſcimus, noſtra non ſunt. Quid vero nobilitas? Omnis ſanguis concolor eſt, diverſitatem parit virtus, imo pietas. Hæc unica nobilitas, hæc ſapientia ad patriam noſtram, quam poſſumus, commodâ & concitatiore velificatione contendere. Illuc enitere & *Vale*.

Tuus ad omne, in Domino noſtro I. C. obſequium addictiſſimus

SAMUEL RHÆTORFORTIS.

Præfatio ad Lectorem.

IMmanem *inſaniam delirarunt nuperi Turbones fœderatæ Belgico-Germaniæ, qui, priuſquam Durdrechtanæ Synodi felici exitu everterentur, cum eccleſia remp. in diſcrimen maximum pertraxerunt. Deum opt. max. nimium quantum depreſſere, hominem in immenſam ſublimitatem extulerunt. Eo diſſimiles idololatris, quod illi hominum conditura m inſignem infra ligna & lapides abjiciant, iſti pulverem & cinerem, quin potius lutum ſanie corruptionis maceratum ſupra contrave Deum elevarint. Ita è diſſimili genere fatuitatis an perfidiæ diverſa facinora manarunt. Seipſos Remonſtrantes ſublimant cum injuria Dei & hominis peccatoris. Libertatem eam humanæ voluntati attributum eunt, quæ Divinæ providentiæ nexibus emancipata in throno conſideat abſolutæ dominationis. Deus autem humanæ voluntatis regimine & dominio everſus, maxima caret parte regni illius quod ſcriptura nullis limitibus circumſcribi affirmat. Alteram cladem intulerunt Divinæ gratiæ in Chriſto, quum Chriſtum nihil nobis acquiſiviſſe ſed hoc Deo ipſi acquiſiviſſe docent, quod fœ-*

dus

dus cum homine lapſo inire novum poſſit certumque modum ſtatuere, quo homines (dummodo velint & ſi velint) reſtituantur. Iam homini lapſo, perdito, polluto, miſero vires dant, quibus opus ſit ad apprehenſionem boni oblati. Voluntatem igitur, quæ non ſubeſt Deo, niſi in quantum ipſe totam, quam condidit, abolere poteſt, non qua flectatur ab eo & ab ipſius motu & nutu pendeat, ita non impeditis lacertis quaquaverſum ſemet agitare tradunt in ſalutis negotio, ut ſibi, non Deo debeat vim illam nobiliſſimam, qua inſtar manus, quæ ὄργανον ὀργάνων *philoſopho prædicatur, ſumit, quod in Euangelio proponitur. Hanc ipſam actionem eſſe formalem illam cauſam, quæ ad juſtitiam imputetur. Sedet exſpectans Deus, quid illi Dominæ voluntati ſit placiturum, fruſtratur ſæpe & excidit eo, quod anhelat, quia homini aliter viſum. Si voluiſſet homo potuiſſe in immenſum extendi regnum Dei, quod nunc exiguis finibus terminatur. Fieri & hoc potuiſſe ut Chriſtus rex eſſet ſine regno, nomen inane ſine re, vacua dominator, non dicam in aula ſed ditione. Ut mors ipſius ſine fructu ſine effectu, tantum ſacrificium ſine expiatione ullius mortalium periret. Ut propheta tantus ſuaderet nec perſuaderet quemad-*

admodum in turbidis Græciæ Concionibus venalis orator. Scilicet illud eſt Deum ſuo honore & providentiæ communis & gratiæ deturbare, homines etiam cum diſpendio ſalutis & ſolatii intumidare, nixos in vanum prædicatis falſo liberi arbitrij facultatibus aut etiam Communi gratiæ quæ fallax & inefficax, multos, quibus contigit, in cœno deſtituit. Hoc eſt pietatem & religionem in exilium agere, dum homines docentur ſemet potius ſuaſque opes reſpicere & conando agendoque eniti, quam ſupplicus muliebribus, reflexiſque in Deum cordibus, ejus auxilium implorare. Adeo univerſam Theologiam non turbant, ſed exturbant novi dogmatiſtæ, fabri κυρίων δοξῶν verè παραδόξων, quas, ut tueantur, in omnes ſe formas vertere, modò Scripturæ dicta planiſſima & evidentiſſimos S. S. ſenſus torquendo eludere, modò philoſophiam advocare; ut qui propter habitum mentes ſuas in Scripturis ſubegiſſent, nec offuſis nebulis à tramite recto in pravum abduci poſſent, acumine ſpinarum rationis humanæ puncti aut ſinuoſis anfractibus exoticæ ſapientiæ turbati de viæ veritate dubitare inciperent. Iſtæ artes imperitis & inexercitatis ſucceſſu haud pœnitendo impoſuerunt. Solet autem ſapiens beni-

ni-

vignitas numinis, cum ad juvandum accedit, ingenia excitare, idonea temporibus & in remedium amovendarum calamitatum. Solet dare מוֹשִׁיעִים *& Suffetes tales, qui eo genere certaminis polleant & armorum, quo hoſtis exſultat. Plurimi excellentiſſimi viri genere docendi populari & ſcripturæ robore ſimpliciſſimo, peſtilentiſſimam perfidiam ea tempeſtate, cum iſta fervereut, velut agmine facto confecerunt. Ita peſtis ea confecta eſt ut Scripturæ puritate & analogia fidei vindicata oculi aperti fuerint multis, qui parum in hac cauſa viderant. Verum caput factionis & quidam duces ad Philoſophiæ auxiliares copias confugere. Cum ſe hic altius inferrent & triumphum jactabundi canerent, oſtendêre viri Dei complures veritatem non eſſe oppoſitam veritati, cæterum duo treſue introgreſſi adyta philoſophiæ & ſcholaſticæ Theologiæ purioris, (quæ philoſophiæ germana filia eſt) ſecreta omnia in apertum produxerunt docueruntque* ὀφθαλμοφανῶς *nihil hic pro hoſtibus divinæ providentiæ & gratiæ præſidii inveniri. Britanni gloriam iſtam, tanquam inſulæ ſuæ propriam & à majoribus traditam vindicarunt. Inter eos hic ſcriptor eſt acutiſſimus, qui acerrime divinam gratiam pro-*

pug-

pugnans armis philoſophiæ & rationis docet quomodo libertas humanæ voluntatis ſubjecta ſit Dei decreto & voluntati & inde fulcimen potius quam impulſum accipiat, fundetur non evertatur. Ita voluntatem noſtram à gratiâ potenter penetrari ut inde accipiat vires, quibus è ſervitute educta libere aſſurgat ad bonum, infra quod ante per libertatem ſubſidebat. Brevi ambitu verborum & oratione nervoſa convenienter iſtas ſubtilitates enuntiat, vocibus technicis propriiſque, quæ popularem dictionem reſpuunt. Itaque multa hic conſtricta uno obtutu plerumque comprehendes, quæ alii laxe diffuderunt. Lege & arbitrare lector. Age Deo gratias quod peſtiferos antiqui draconis hic quoque conatus eliſerit & eluſerit, uti priſtina puritas eccleſiis noſtris conſtaret. Contende ab eodem ardentibus votis, quo veritatem Euangelii indies propaget ad laudem gloriæ gratiæ ſuæ in Chriſto & in eo Vale.

Tuus

CHRIST. SCHOTANUS.

EXERCITATIONES APOLOGETICÆ

pro divina gratia, contra JESUITAS & ARMINIANOS.

EXERCITATIO I.

De divinis decretis & divinæ voluntatis cum libertate humana amicâ conſociatione.

CAP. I.

De natura humanæ libertatis, & an Suarez, & Arminiani ſatis Philoſophico-theologicè ipſius naturam eſſe doceant, potentiam ad agendum vel non agendum poſitis omnibus reqviſitis ad agendum.

THES. I. Cauſa ex communi ſententia, alia eſt naturalis, quæ ἐν πρὸς ἐν πέϕυκε, ut habet Philoſophus, & agit neceſſariò; ut ignis; alia libera, quæ poteſt vel operari, vel non; ſic, vel alio modo, ut libertas humana; quæ quamvis naturaliter, ex interno principio, hoc eſt oppoſitè ad violentum & for- *Ariſt. 5. Phyſic. text. 8.*

fortuitum, vel etiam ad ſupernaturale, agat, ideoque hoc ſenſu cauſa naturalis dici debeat, tamen non determinatur ad unum effectum producendum, & ſic jure, non naturalis, ſed libera cauſa cenſetur, voluntas itaque non eſt contingenter ſed neceſſario libera, ut fabulatur *Tho: Iackſonus*, ſed contingenter agit, libertas enim non eſſe, ſed operari, reſpicit. Et libertas naturalis proprietas eſt voluntatis, hæc finem, & quidem neceſſariò, illa contingenter & liberè media reſpicit. Neſcio an jure Scholaſtici doceant voluntatem non carere libertate exercitii, quoniam quamvis non poſſet non velle beatitudinem, ſi circa eam actum eliciat, poteſt tamen nullum, circa eam, actum elicere, avocando intellectum ab actuali cogitatione. Nam libertas tanquam potentia imperatrix & voluntatem & intellectum ad agendum applicat, vel ab agendo revocat, non verò voluntas eſt, quæ hoc facit.

Iackſonus anglus de div. eſſent.

2. Itaque voluntas quâ libera agit, in ſeipſam quatenus eſt voluntas per naturam ad bonum volendum determinata, & libertas hæc in actu primo nec radicaliter, nec formaliter eſt in intellectu, quippe facultas hæc appetens immediatè inhæret animæ, abſque ullo mentis ratiocinio intermedio, & non parum miror, qui potentia libera conveniat voluntati, mediante potentia intellectiva, quia voluntas tam immediatè & per ſe eſt libera, quam mens eſt cognoſcitiva. At an libertas in eſt radicaliter intellectui, quia judicium eſt liberta-

tis

tis fundamentum? At, per parem rationem, dic potentiam cognoſcitivam eſſe in voluntate radicaliter, quod eſt inauditum, quia intellectus non cognoſcit, niſi quatenus voluntas ipſum ad agendum applicat; ideoque ex hoc argumento ſequitur libertatis exercitium & uſum eſſe radicaliter, aut verius directivè in intellectu, formaliter & effectivè in voluntate; quod non gravate concedo.

3. Objectum liberi arbitrii eſt duplex, vel materiale vel formale. Materiale eſt bonum, malum, ἀδιάφορον. Formale eſt totum hoc eligibile quâ bonum ad finem conducens Οὐδεὶς γὰρ βούλεται, ἀλλ' ἢ ὅ τ' ἂν οἰηθείη εἶναι ἀγαθόν. Nec hoc bonum eſt tale ſenſibus ſed moraliter bonum, non enim vivere, eſſe, dormire propriè eligimus (iſta enim natura, non libertas noſtra appetit.) niſi quatenus iſta ad eſſe morale contrahuntur. Hoc bonum etiam eſt cognitum, nec tamen credo cognitionem eſſe de formali ratione objecti, ſed tantum conditionem in objecto requiſitam, ideoque bonum quod eſt in mente, non quatenus eſt in mente, eſt objectum finalizantis. Vide *Scheble*, & *Rutgerſium* in *Metaphyſ.* *Ariſt. Rhet. lib. 1. c. 10.*

4. Malum quâ malum appeti, vel ita intelligitur, ut reduplicatio referatur ad malum, vel ad appetentem; priore modo nimis, proh dolor, verum eſt, malum quod formaliter & in ſe malum eſt, ut adulterium, homicidium &c. appeti, poſteriore modo appeti non poteſt, nam in omni mali appetitione, (eſto quod *Schebler. Metaphyſ. lib. 1. c. 22. tit 4. Rutgerſ. Metap. lib. 2. c. 11.*

peccetur in ſpiritum ſanctum) intervenit, ſi non formalis, ſaltem ignorantia interpretativa, quæ eſt libera non conſideratio objecti.

5. Voluntas conſideratur 1. ut natura, & hoc ei commune eſt cum aliis agentibus, ut in bonum feratur. 2. ut eſt talis natura, & ſic fertur in beatitudinem, inclinatione eſſentiali libertatem antecedente, ut innuit *Thomas*, non mentis deliberatione, aut liberè. 3. ut eſt libera. 4. ut eſt bona vel mala. Ut eſt libera ſimpliciter, ipſius actus ſunt indifferentes, ut bona vel mala, legi ſubjicitur, libertas ad agendum vel non agendum phyſica competit libertati in omni ſtatu, quamvis ſemper contractâ ad τὸ benè vel malè velle. Inclinatio verò indifferens ad bonum vel malum nunquam eſt in natura, (quicquid contra ſomniant ſophiſtæ) nam poſt lapſum eſt inclinatio ad malum in non renatis, & inclinatio in regenitis ad bonũ, quatenus ſunt ſpiritus, ad malum quatenus habitat in iis caro, at hic nulla eſt pura indifferentia Arminiana ſed indifferentia non contracta per carnem & ſpiritum, non magis eſt, quam exiſtit natura generica animalis extra hominem aut brutum. At vero in *Adamo* ante lapſum, non erat inclinatio ad malum, nam voluntas ipſius ſancta inclinabatur ad Dei legem præſtandam. At dices in *Adamo* fuit actuale peccatum, ergo erat antea in eo inclinatio & potentia ad peccandum; actus enim in creaturis non fluit niſi à præexiſtente potentia. *Reſpondeo*, Erat in eo potentia naturalis ad τὸ comedere,

Aquin. in ſum 11. *q.* 83. *art.* 1.

dere, & ad τὸ non comedere fructus, qui erant actus naturâ merè indifferentes, & accedit iis actibus ut quid extrinſecum, quod eſſent legi cohibiti aut determinati, *Adamus* autem tantum actuabat potentiam naturalem, Potentia enim peccandi vel reſpicit actum entitativum peccati, & hæc ex ſe non erat potentia moralis indifferens, vel ἀνομίαν ipſam, & hæc non fuit propriè potentia, ſed naturalis ipſa potentia quatenus legi ſubdita, quæ quidem potentia nulla fuiſſet, ſi Deus legem, (uti potuit, liberè enim ſuæ creaturæ leges ponit) non præſcripſiſſet homini; ſervitus quidem & vitioſa ad peccandum inclinatio ineſt homini poſt lapſum, ea verò non tam potentia eſt, quam curvitas potentiæ, nec magis eſt de natura liberi arbitrii, quam potentia claudicandi, eſt de formali ratione facultatis locomotivæ. Hinc infero libertatem gratiæ non ſuperaddere libertati naturæ novam libertatem, ſed tantum novam potentiam, libertatem naturæ qualificantem & elevantem. Nam ſi eſſet nova libertas, eſſent in regenito duæ libertates diſtinctæ, & ſic duæ voluntates, & quidni etiam intellectus duo? Nam ſi multiplicentur proprietates, etiam & ſubjecta. 2. libertas propriè eſt facultas vitalis ad nolle & velle, & prout legi ſubeſt ad peccandum, vel non peccandum; at quis diceret homini regenito per gratiam ineſſe potentiam peccandi? Gratia enim diſponit ad non peccandum, non verò ad peccandum. 3. Sicut velle, & velle

In eo verò Adamus peccabat, non quod ſimpliciter actuaret potentiam naturalem, ſed quod actuabat potentiam legi ſubditam & reſtrictam per Dei interdictum, ex non conſideratione liberà objecti interdicti.

bonum non ſunt duo actus diſtincti, ita neque libertas volendi, & libertas volendi bonum, ſunt duæ diſtinctæ libertates, eſt enim par ratio utrobique, & per has rationes, libertas naturæ, & libertas peccati non ſunt duæ diſtinctæ libertates.

6. Forma liberi arbitrii, non eſt ſpontaneitas, aut non coactio, hæc intellectui & voluntati in relatione ad ſummum bonum convenit. Et quamvis *Calvinus*, hac voce, ob penuriam vocum, abſtruſam libertatis naturam explicet, attamen non-coactioni, approbandi, reſpuendi, enitendi vim ſuperaddit. Sed hoc etiam *pontificii* vitio dent ſuis angelicis doctoribus. Ita *Aqvinas*: homo non quoad libertatem naturalem, quæ eſt à coactione, ſed quantum ad libertatem, quæ eſt â culpâ lib. ar. perdidit. Ita *Lombard.* libere moveri eſt voluntariè & ſpontaneo motu moveri. Neceſſitas coactionis (inquit *Bonaventura*) repugnat libero arbitrio, non neceſſitas immutabilitatis. Non defuerunt (inquit *Fra. Zuarez*) aliqui moderni Catholici, qui negaverunt ad libertatem actus eſſe neceſſariam indifferentiam ſeu carentiam neceſſitatis, ſed ſatis eſſe carentiam coactionis. Quin & *Auguſtinus* per non coactionem libertatem explicat; eum excuſat *Eſtius*, ita *Bellarmin.* excuſat *Proſper.* *contra Collat.* ſed *Calvinus* accuſabitur, & tamen hic ſcripturæ adhæret, 1. *Pet.* 5. 2. *paſcite gregem* μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ' ἑκουσίως.

Calvin. inſtitut. lib. 1. cap. 5. ſect. 14.

Aquin. 1. par. q. 83. ar. 2.

Lombard. lib. 2. d. 25.

Bonav. lib. 2. d. 25. q. 1. art. 2.

Zuar. de grat. par. 1. prol. 1. c. 1. ſ. 9.

Auguſt. lib. 22. de civitat. Dei cap. 30. Proſ. c. 9.

7. Theologi noſtri immunitatem à coactione

ne & naturali etiam neceſſitate ortam ex judicio rationis practico, naturam libertatis eſſe ſtatuunt, in quo veritati obediunt. Nam reverà hæc imperatrix, illa interna vitalis & electiva vis qua lib. arbi. propoſito objecto per intellectum, ſub ratione boni, ſeſe ad agendum applicat, eſt formalis ratio liberi arbitrii.

8. *Ieſuitæ Zuarez, Vaſquez, Fonſeca, Iod. Molina, Becanus & Iac. Armin. Remonſtr. in ſcript. Synodorum, Corvinus*, volunt naturam ipſius eſſe potentiam ad agendum vel non agendum, etiam poſitis requiſitis ad operationem omnibus, quod an non ſacrilego in Dei providentiam, & gratiam auſu fiat, cum bono Deo videbimus. Iſta interim obſervari velim. 1. not. Potentia volendi vel nolendi eſt una & ſimplex potentia, ſi enim eſſent duæ potentiæ, vel una reſpiciens utrumque copulativè, tum non repugnaret voluntatem ſecundum eandem potentiam velle, & ſecundum eandem potentiam nolle, & nolle & velle idem, ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore, quod eſt grave ἀτόπημα. 2. Not. potentia libera ſpectatur dupliciter. 1. ut eſt res individualis, & terminus individualis divinæ creationis uti creatio diſtinguitur ab actu providentiæ & ſic eſt ſimpliciter indifferens ad nolle & velle, quia ſecundum naturalem agendi modum, non magis τὸ velle, quam τὸ non velle ſpectat ad eſſentiam libertatis. 2. ut eadem potentia providentiæ ſubjicibilis eſt, & ſic

Suar de divin. grat. pro. 1. c. 2. Vazq. in 12. diſtin. 189. cap. 14. Fonſec. Metaph lib. 6. cap. 2. q. 5. ſect. 8. Molina de concordia. 14. d ſp. ar 13. q. 10. Becan. th. p. 2. tract. 1 cap. 1 Iac Armin. declar ſent. ar. 8. p. 107. edit. Bertii. Remonſtr. in act. ſynod. Dordrac. ar. 3. & 4. Corv. cont. Bogerman. p. 2, cap. 7. p. 239.

ſic disjunctiva potentia determinatur ad unam partem (ſalvâ potentiæ naturâ) non ad aliam: Deo enim ſive ſcientiã ipſius ſpectemus, quippe omnia ſcit, ſive voluntatem, quæ ad nihil creatum vel creabile eſt ſuſpenſa, ſed ab æterno determinata, nulla eſt potentia disjunctiva; conſiderari quidem poteſt potentia creata, non conſiderato divino decreto, & in ſigno rationis decretum Dei antecedente, ſed in tali chymerica conſideratione, adverſarii nobis litem vitioſa nuce haut emptitandã, fruſtrâ ferunt; at verò non eſt ulla potentia creata, niſi quæ ſubeſt æterno Dei decreto, niſi quis cum ἀθέως divinæ providentiæ renutiare velit, priore conſideratione potentia quidem eſt actu ens determinatum, at actus potentiæ ſunt tantum poſſibiles & eſſe habent tantum in relatione ad omnipotentiam, non ad Dei decretum: at verò poſito decreto, præſertim conditionato, tum quæſtio an potentia libera ſit indifferens ad agendum vel non agendum, vana eſt; nam potentia tum ſub eo caſu eſt determinata, & idem eſt ac ſi quæſtio eſſet, an potentia non indifferens ſed determinata, ſit indifferens, & indeterminata, & poſito decreto abſoluto de rebus omnibus, inſulsè quæritur an potentia libera ſub eo decreto ſit indifferens, nam decretum abſolutum ponit futuritionem determinationis, & ablationem futurã fore indifferentiæ, ideoq; ſenſu *Ieſuitico-arminiano*, nempe prout illi ſumunt vocem indifferentiæ, inanis & vana eſt quæſtio, at verò vox indiffe-

ferentiæ ſi referatur ad objectũ, nempe pro indifferẽtia objectiva judicii proponentis objectũ, quod nempè voluntas velle vel nolle poteſt, pro ſuà naturà quippe quia non magis læderetur eſſentia libertatis, ſi libertas hoc potius quã illud amplecteretur, tum facile ſolveretur quæſtio: ſed quia difficile eſt cum protervis adverſariis limites quæſtionis figere, quo fata diſputationis nos ducant, ſequi & perſequi hoſtes oportet. At contra hanc indifferentiam objicient, talem indifferentiam competere cauſæ naturali, nam non-calefactio non magis lædit eſſentiam & actum primum ignis, quam calefactio. Sed reſpondeo, quamvis in caſu miraculi ſalvetur eſſentia ignis ſub non-calefactione, non tamen ſalvatur naturalis modus agendi in igne. At nec actus primus, nec actus ſecundus potentiæ liberæ læditur, ſive voluntas hoc velit, ſive non. Dabimus itaque duplicem indifferentiam in potentiâ liberâ, aliam objectivam, nempè quando intellectus proponit eligibile libertati ut medium ſummo bono abſolutè intento non neceſſarium, aliam internam, vitalem, electivam, qua voluntas libera ex ſe poteſt tam hoc velle, quam nolle, ſalvâ tum eſſentiâ libertatis, tum ſalvo naturaliſſimo agendi modo ſuo.

Vide Remonſtr. in apolog. exam. cenſ. cap. 7. fol. 81.

9. Hinc prima noſtra aſſertio. Voluntati liberæ in ſe & formaliter convenit indifferentia hæc & objectiva & interna, & per hanc à non coactione, à ſpontaneitate, & ab omnibus cauſis naturalibus formaliter diſtinguitur

libertas, & hæc indifferentia convenit libertati per ſe & primo conceptu. Nam ſi quæris quid ſit libertas, Reſp. eſt potentia electiva quæ ex ſe, & reſpectu naturalis modi agendi ex interno, & vitali ſuo imperio, tam poteſt hoc medium eligere, quam non eligere & per hoc ab aliis cauſis diſtinguitur. Ergo hæc eſt formalis ratio libertatis. 2. illa eſt formalis libertatis ratio, per quam relinquitur voluntati tale actus dominium, quale convenit enti creato, at per has indifferentias tale convenit libertati ſui actus dominium, Ergo. Majorem concedent adverſarii. Prob. minor. Quia poſitis his indifferentiis, nullum agens externum, ne quidem Deus, poteſt evertere libertatem in naturali agendi modo, Ergo ſemper relinquetur voluntati dominium ſui actus. prob. anteced. Ratio formalis electionis, eſt unio objectiva boni non ut neceſſarii fini intento propoſiti ab intellectu, atqui ipſa libertas eſt cauſa intrinſeca & vitalis, & quidem ſola hujus unionis. Quod hypotheſi ſic declaro, Vult ex ſua libertate *Cyrus* populi Dei liberationem, Deus quidem ad hanc Cyri volitionem contribuit eſſe effectivum, Quippe *excitavit Iehovah ſpiritum Cyri*, at vero nullum eſſe vitale aut formale contribuit Deus in illam volitionem, tum quoniam cauſa efficens utpote externa non poteſt τὸ eſſe formale aut internum effectui contribuere, niſi efficiens cauſa evaſerit, cauſa vel concauſa formalis: Atqui Deus non fuit cauſa vel concauſa formalis volitionis

Eze. 1. 1.

nis *Cyri*. Sic enim non voluntas *Cyri*, ſed Deus in *Cyro* formaliter & vitaliter eam liberationem voluiſſet, quod plane ἄτοπον: & rationi repugnans; tum etiam quoniam Deus non majorem unionem objectivam, inter *Cyri* libertatem & populi liberationem facit quam ut effective approximet objectum illud indifferens vitali ſuæ cauſæ, excitando rationes efficaces illius volitionis, & phyſice predeterminando libertatem *Cyri*, ut illud velit, & tamen *Cyrus* eam liberationem ut medium tantum ſuæ fælicitatis cognovit, & ipſius libertas, & in actu primo, & in naturali agendi modo permanſiſſet illæſa, ſive eam liberationẽ voluiſſet, ſive non. Imo quæ mea eſt infantia, fateor me videre non poſſe, qui cauſa efficiens infinita poſſit cauſam formalem in agendo lædere, niſi efficiens fiet cauſa formalis: exemplum eſto tinctor, qui efficiens eſt in lanâ tingendâ, applicando activa paſſivis, eſto quod operam obnixius & ſolito impenſius intendat, & ingredientia fortiora & anxiora ſuperaddat, ſemper tamen coloratur lana modo connaturaliſſimo: eodem plane modo; eſto quod *Iehovah* unionem objectivam inter voluntatem *Cyri* & populi liberationem faciat, non intendit eſſe objectivum ſupra gradus cauſationis formalis, ideoque ſemper libertas modo ſibi connaturali aget, quamvis haud negem cauſam finitam poſſe lædere cauſam formalem in agendo, ut ſi quis ex alta turri corpus grave præcipitaret, fortius quam fert natura ipſius gravitatis, ſed

tum præcipitans eſt cauſa efficiens adhuc, non formalis illius motus.

10. *Aſſert.* 2. Nuda indifferentia objectiva non eſt formalis ratio libertatis. Hoc tamen ſenſu contra nos militant argumenta, *Suarez. de divina grat. & in Metaph.* ſic enim objicit: Origo & radix libertatis, non eſt formalis ratio libertatis ſed indifferentia objectiva eſt radix tantum & origo libertatis: E. *Reſp.* Conced. major: & negando minor. Nam indifferentia objectiva tantum, non eſt origo libertatis, nos vero dicimus hanc indifferentiam objectivam una cum indifferentia vitali, & interna, qua libertas poteſt hoc vel eligere vel non eligere, ſine læſione ſui, vel in actu primo, vel in actu ſecundo, eſſe formam liberi arb. *Object.* 2. Voluntas in habitudine ad beatitudinem poteſt elicere actum circa eam, vel non elicere: nam interdum intellectus actu non cogitat de beatitudine. Ergo eſſe indifferens ad nolle vel velle abſque læſione eſſentiæ & naturalis agendi modi non eſt propria ratio libertatis. *Reſp.* concedendo totum: requiritur enim præter internam indifferentiam ad nolle & velle, etiam externa indifferentia objectiva: at vero beatitudo non eſt tale objectum indifferens, ſed neceſſarium. *Object.* 3. Poteſt Deus libertati proponere medium ad fælicitatem, cum tam claro, & evidenti lumine, ut non poſſit objectum non videri bonum, at in hoc caſu voluntas libere eligeret. Ergo hæc indifferentia objectiva

non

non eſt neceſſaria ad libertatis naturam. *Reſp.* Deum poſſe objectum libertati ita proponere non negamus, ſed actum voluntatis tunc eſſe liberum negamus. 2. Indifferentia interna non tantum reſpicit nolle & velle indifferenter, ſine voluntatis violatione, ſed etiam ſuperaddit huic indifferentiæ vim quandam imperialem & vitalem, qua libertas & ſeſe & alias omnes potentias ad opus applicat imperio plane vitali. Unde dicimus iſta includi in formali ratione libertatis: 1. Non-coactionem. 2. Superaddere non-coactioni indifferentiam objectivam. 3. Superaddere indifferentiam etiam internam & vitalem, qua voluntas libera velle hoc vel nolle poteſt, citra actus primi & ſecundi diſpendium & jacturam. 4. Tandem omnibus ſuperaddi vitalem illam electivam & imperatricem vim ab ipſis libertatis viſceribus (ut ſic loquar) manantem, & hiſce libertas ab omnibus potentiis diſtinguitur.

11. Indifferentia *Ieſuitarum & Arminianor*: qua volunt poſitis omnibus ad operandum antecedenter requiſitis, eſſe in potentiâ liberâ ut exiſtat vel non exiſtat τὸ nolle vel velle, non eſt ullo modo de formali ratione libertatis, imo cùm providentia divina adverſis frontibus confligtat. *Prob.* 1. ex orationibus ſanctorum, quibus petunt ex fide & Dei verbo, ut *Iehovæ* inclinet cor ipſorum ad obſervanda *Dei* mandata, ut det cor ſanum, ut greſſus dirigat ſecundū ipſius verbum, ut ducat ipſos in via juſtitiæ, ut agglutinet cor timori Dei. Hinc argu-

argumentor. Quod ſancti ex Dei verbo & fide orant, id Deus iis gratioſe indulget. Hæc major eſt ſcripturæ *Ioh.* 14. 13, 14. *Quicquid petieritis in nomine meo, dabitur. Et Matth.* 7. 7. Atqui ſancti hiſce teſtimoniis & infinitis aliis orant ex Dei verbo & fide liberrimam obedientiam, non vero talem, quâ voluntas indifferenter obedire poteſt, vel non obedire. E. Deus iis talem obedientiam indulget, ac proinde libertatem, qua obediant, cui repugnat talis abſoluta indifferentia. *Prob. Minor.* 1. Non petunt ſancti ut Deus libertatem deſtruat (quod neceſſerio peterent ex *Ieſuito-Arminia*: ſi petunt obedientiam quæ à tali indifferentia fluit) tales enim petitiones, eſſent miraculorum poſtulationes, citra fidem aut Dei verbum, imo ſuavi providentiæ, cujus eſt rerum naturas conſervare, non evertere, adverſiſſimæ. 2. Hoc, *Agglutina cor meum timori tui*, non fert hunc ridiculum ſenſum, ita *Iehova* cor meum ad obedientiam flecte, ut poſſim, vel te timere, vel pro indifferentiâ libertatis meæ, abjectâ numinis tui reverentiâ, à timore nominis tui prorſus deficere: ſic e. *Propheta* tam inobedientiam quam obedientiam oraret. Imo quis non videt tales petitiones è diametro pugnare cum votis, ſanctis deſideriis, intentionibus piis, fide & conſolatione ſanctor.? Tam e. credendum eſſet ſanctis, Deum non exauditurum quam exauditurum. Quid hic Jeſuitæ petunt (inquit *Gob. Vazquez*) ut Deus congruo motu excitet voluntа-

Vide Vazq. Tom. 1. *q.* 98. *p.* 5.

lunta-

voluntatem, ut actu Deo adhæreant; quamvis motioni tali liberum ſit iis vel obtemperare, vel reſiſtere. R. *Audio Chymæram Ieſuiticam.* Motio congrua (ut habet *Petrus Fonſeca*) in ſuo conceptu quid ditativo includit obedientiam congruè moti, ſic itaque orat: quando præſcias, *Iehova*, antecedenter ad actum voluntatis tuæ, cor meum tibi agglutinatum iri, oro ut velis agglutinare; imo tam ſana ratione petitur quod jam eſt, quam ſi Ieſuitæ hodierno die, Deum pro creatione mundi, multis retro ſeculis elapſa, precibus ſolicitarent.

Fonſec. met. lib. 7.

12. Idem 2. proba. ex promiſſionibus divinis, quibus Deus liberrimam obedientiam in nobis effecturum pollicetur. *Ezech.* 36. 27. *Faciam ut in ſtatutis meis ambuletis.* *Arminianis* ſolennis eſt cantilena, Deum iſta in nobis efficere ex promiſſis ſuis, non abſolute ſed conditionatè, faciam ambuletis, ſiquidem vos velitis ambulare. *Tuiſſus* ſcholaſticorum ingeniorum flos illibatus; jure quærit hic conditionem, præſertim in actibus voluntatis elicitis; Faciam (diceret Deus) ut velitis ambulare, ſiquidem velitis. Digna hoſtibus gratiæ reſponſio. At certum eſt τὸ velle ambulare in præceptis Dei promitti, at ut objectum promiſſionis, ſeu res promiſſa antecedat ipſam promiſſionem, idem eſt, ac ſi Deus, hodierno die, promitteret ortum ſolis heſternum aut mundi creationem; ſatin' ſana ſunt ingenia talium *Davorum*? At ſuboleo, quid hic ſint reſponſuri: Deum promittere, ut efficiat in no-

Vide Ier. 32. 4. Ezech. 11. 19 20. Hoſ. 14. 5. 6. Zach. 12, 10.

Tuiſſ. in vind. grat. con. Arm. Antiper. in præfa. ſec. 9. not. 7 p. 14.

nobis velle, non ex hypotheſi quod velimus (hoc enim eſſet nimis craſſe Philoſophari, magno præſertim *Arminio*) ſed ex hypotheſi quod noſtra voluntas incipiat collaterali influxu ſuum influxum accommodare Deo volenti concurrere. Sed ſit ita: 1. qui inter influxum voluntatis noſtræ & ipſam volitionem diſtinguet, næ ille ſpiritum admodum metaphyſicalem ſapit; & erit *mihi magnus Apollo*. 2. Hic influxus providentiæ Dei eximitur, ſi *Arminio* credendum, prius enim natura hic influxus in actus ſupernaturales, fidei, amoris, ſpei &c. influit, quàm Deus incipit concurrere, & quidem ex mero naturæ arbitrio, ſine ulla gratiæ divinæ motione, & ſic Deus non operatur in nobis velle, uti docet *Apoſtolus*, ſecundum ipſius beneplacitum; ſed ex beneplacito humani naturalis influxus. 3. Si voluntas independenter à Deo influat in actum legi & euangelio conformem, influxus ille erit legi & euangelio conformis adeoque ſupernaturalis, & ſic dabitur actus ſupernaturalis citra adjutorium gratiæ, abſque primæ cauſæ concurſu, & actus etiam poſitivus peccato ſubſtratus abſque actione primæ cauſæ. 4. Ipſe actus eſt liber propter libertatem influxus; ideoque ipſe influxus eſt magis liber. Nam propter quod unum quodque tale, id ipſum eſt magis tale. Hinc ſequitur omnem obedientiam ſupernaturalem eſſe primario à merâ naturâ. 5. Et cum illi influxus ſint entitates poſitivæ, tot entia poſitiva quot ſunt actus

Phil. 2.

ctus contingentes hominum & angelorum exiſtent ſine concurſu primæ cauſæ. Vereor tamen ne *Arminiani* apud ſe negent concurſum Dei in actibus creaturæ, ut facilius in ſolium Dei evehatur nova Dea *contingentia.*

13. 3. Si talis ſit formaliter potentia libera, quæ poſſit omnibus ad agendum requiſitis agere vel non agere, tolletur Dominium Dei in entitates creatas, at hoc eſt abſurdum. E. etiam antecedens. Prob. major. Si τὸ velle vel non velle, etiam poſito decreto Dei ſit in voluntate Petri, erit in poteſtate hominis, non Dei, ut Chriſtus generetur ex ſemine Davidico, vel non, per actus liberos generandi, item quod ulli ſint in rerum natura credentes, item quod *Cyrus* liberet Dei populum, quod *Babylonii à Medis, Tyrii a Babyloniis, Iudæi ab Aſſyriis* vaſtentur. Nam *Deus* iſta quæ fiunt per agentia libera, nec procurare nec avertere poteſt, quando illa abſolute ſint indifferentia arbitrii humani, & ſic providentia, fiducia in *Deum* propter bonum aut ſalutem, per miniſterium hominum libere agentium, gratitudo, patientia, ſpes, &c. plane tollerentur: ut enim homines libere aliquid faciant, vel non, eſt penes libertatem indifferentem, vel penes *Deum* eſt. *Reſp. Suarez.* & cum eo verboſus declamator *Nicol. Grevinchov.* Deum concurrere cum voluntate, non eſt uti ſuo dominio, ſed eſt ſinere ut voluntas utatur ſuo dominio, ad dominium Dei ſatis eſt ut poſſit annihilare creaturam, & ut actus creaturæ jam producti

Suar. de auxi, lib. 1. c. 13. f. 19. 20.
Grevinch. pag. 277. cont. Ames.

Dei dominio ſubſint. R. 1. *Paulus* Dei dominium extendit ad ea, quæ nondum ſunt, quæ vocat quaſi jam eſſent *Rom.* 4. 16. An non ergo *Deus* actus liberos è potentia voluntatis pari jure vocare poteſt? Sed nolunt Deum uti dominio ſuo in actus liberos futuros, ne injuria fieret reginæ libertati. 2. Summunt pro oppoſitis quæ non opponuntur, nempe Deum uti ſuo dominio in creaturas, & ipſas in actibus ſuis juvare. Nam quando *Deus* concurrit cum pluvia, nive, grandine, imbribus cadentibus, teſtantur & ubique clamant oracula ſacra Deum uti ſuo dominio erga homines, vel beneficia præſtando, vel pœnas irrogando 4. Sæpius in rerum conſervatione, quam in annihilatione cernitur Dei dominium. Alia argumenta alibi addemus. Hæc prænotaſſe conſultum duxi, ut ad profundiora via ſterneretur.

Cap. II.

An Arminiani candidè fateantur æternitatem, & immutabilitatem divinorum decretorum.

De divina libertate pauca præmitto. 1. Not. Actus liberi in Deo non ſunt extrinſecæ tantum denominationes (ut quidam ſomniant) ratione cujus Dei velle nihil aliud, quam fieri mutationem ad extra in re à Deo volitâ: cum enim Deus ſit ſpiritus vivens & intelligens, ſunt in Deo actus vitales, & ſcrip-

ſcriptura attribuit Deo quod intelligat, velit, amet. Itaque 2. Not. *Intelligere, velle, & amare, quoad entitativam perfectionem quam in-cludunt, Deo inſunt neceſſariò.* Nec poteſt Deus eſſe Deus, ſi hiſce deſtitueretur. At vero quoad terminationem ad objectum creatum, inſunt tantum neceſſariò ex hypotheſi, poterat enim mundum non creaſſe. 3. Not. *libertas eſſentialiter non dicit dependentiam appetitus ab objecto*, ideoque objectum eſt per ſe terminativum, non perfectivum appetitus, quare libertas Dei non dependet ab objecto, nec ab eo perficitur. 4. Dei libertas in ſe non eſt indeterminata, ſed per eminentiam ſui actus ab æterno determinata, ut recte *Scotus*. Hinc privatio actus ſecundi, qualis reperitur in libertate creata, in Dei libertatem non cadit, & per eandem rationem Dei libertas non eſt in potentiâ vel activâ vel paſſivâ, ideoque ut recte docet *Alvarez*, Indifferentia illa quæ opponitur libere determinationi, & importat quandam potentialitatem & ſuſpenſionem actus ſecundi, non eſt de eſſentia libertatis: nam in Dei libertate non reperitur. Ideoque cum dicimus Deum poſſe nolle, vel velle, illud (*poſſe*) non importat potentiam in Deo actuabilem, ſed ſolum indifferentiam actus ut ad hoc objectum terminetur, vel non terminetur, quod eſt admirandum: ita recte annotat *Fr. Suarez*. 5. Actus liber in Deo eſt actus ſimplex, & actus ſimplex eſt eſſentia ſimplex, non poteſt autem Dei eſſentia aliter ſe habere, aut habuiſ-

Scot. lib. 2. d. 27. q. 1.

Alvarez de auxil. div. gra. l. 3. diſ 22, num. 35.

Suarez. metaph. tom. 2. diſp 30. ſ. 42.

ſe, quam eſt, abſque divinæ naturæ mutabilitate. Idem omnino eſt actus volendi ſecundum rem, qui ſine ulla mutatione ad varia terminatur, & idem actus prout ad hoc terminatur volitio & eſt odiũ. Nec ſunt ulli in Deo, ut in nobis actus vere contrarii aliquid reale addentes: quare iidem fuiſſent actus decretorum Dei, qui nunc ſunt, & eodem modo ſe habuiſſet eſſentia Dei, quo nunc ſe habet: ſi qui jam reprobi, fuiſſent electi, & qui iam electi, reprobi. Nam libertas in creaturis eſt ad actus indifferentes: in *Deo* vero eſt ad alia tantum atque alia objecta extra ſe, & hinc videre poſſunt *Arminiani*, quomodo immutabilitas Dei cum abſoluta libertate conſiſtat.

2. Nos vel accuratoribus Jeſuitis & Scholaſticis litem amandamus. An *Arminiani* digna divinæ majeſtatis ter tremendâ immutabili natura doceant, qui ut hæretico *Vorſtio* & ſuo genio lenocinentur, ſtatuant multos eſſe actus liberos in Deo, qui nunquam in eo fuiſſent, niſi antecederent humanæ & angelicæ quædam volitiones. Sed ad rem, præſentem diſquiſitionem ad duos fontes reuoco, ad *Arminiana* placita de prædeſtinatione, & de juſtificatione, & μεταβάλλοντι εἰς τὸ ἀλλογένος exercitationes ſcribenti lector dabit veniam, ſi noſtram doctrinam de juſtificatione obiter vindicare tentavero.

3. I. Forenſis illa diſtinctio electionis in peremptoriam, completam & irrevocabilem, & non peremptoriam, incompletam & revocabi

cabilem, volitiones Dei & mutabiles, & temporales, noſtrique lubrici & inconſtantis arbitrii paſſibus coævas eſſe, ſatis manifeſte aſtruit. Nam quoties homo credit, eſt in Deo decretum electionis, quoties eâdem horâ diffidit Deo promittenti, facit ſe formale reprobationis objectum, & oritur in Deo novum decretum reprobationis; rurſus idem credit, poſtea non credit, graviter peccat, denuo & reſipiſcit & credit, en *Euripi* more, Dei decreta fingenda, indies mutanda, ad humani arbitrii revolutiones vel currus rotulis mutabiliores; & quis ignorat eccleſiam *Pſal.* 77. & ſanctos, *Davidem Pſal.* 6. *Iobum cap.* 2. in eadem oratione ad Deum, & triumphos ſacros agere; & etiam cum Deo, ex carnis prævalentis diffidentiâ, expoſtulare, imo Deum oblivionis, inconſtantiæ & mutati propoſiti, non procul à blaſphemiarum aſperſione, poſtulare? An eccleſia eâdem horâ etiam inter orandum in chorum electorum cooptatur, denuo & reprobis & tenebrarum Angelis, in Dei voluntate ſimpliciſſima accenſetur? Quid hic *Arminiani*? Agnoſcimus (inquiunt) electionem & reprobationem peremtoriam, ex præſcientia finalis in fide vel infidelitate perſeverantiæ omnium in eccleſia viventium. R. Quorſum ergo illa decantata diſtinctio, quam in ſcripturis haberi clamitant *Arminiani*? Quare Deus vitæ adjudicaret, quem juxta præſcientiam infidelitatis finalis in peccato in ſpiritum ſanctum contumaciâ horrendâ moriturum præſcit?

Nonne illa contumacia Deo omnia ſcienti, a-que præſens objectivè ſingularis fidei actus impedire deberet, quo minus Deus præmio & & mercedi æternæ gloriæ deſtinaret, quem mercede æternorum cruciatuum dignum fore, & gloriæ bravium indigne rejecturum præſcit?
2. Conſiderari percupio verba *Remonſtrantium* in apologia ſua cenſ. cap. 17. pag. 187. *Quis enim* (inquiunt) *comminetur pœnam ei, qvem peremptorio decreto à pœna immunem eſſe vult, quem gratia ejusmodi donare vult, quâ poſitâ fieri non poteſt, ut pœnam incurrat &c.* Aſſumo, Atqui *Arminiani* volunt Deum comminari pœnam ei quem præſcit in fide moriturum, & quem gratiâ efficaci *Arminianâ* donare vult, quâ poſitâ fieri non poteſt, ut pœnam incurrat. Ita *Armini. Antiperk.* pag. 665. Vocat enim electos (inquit) decreto prædeſtinationis contradiſtincto à decreto providentiæ, eâ gratiâ, quâ poſitâ, certo ſcit eos ad finem credituros, & pœnam euaſuros æternam, & tamen comminatur pœnam æternam. At hoc *Remonſtrantium* dicunt loc. citat. *ſapientiæ divinæ non convenire, atque adeo ab omni recta ratione alienum eſſe.* Sed quia *Arminiani* credunt ab æterno neminem peremptoriè ad *gloriam* eſſe deſtinatum, ideo eſt quod omnibus comminationes fieri velint, quia poſſibile eſt omnes pœnam æternam incurrant. Nam vel electio peremptoria eſt non æterna, ſed temporalis, & pro arbitrii humani actibus mutabilis; vel Deus contra ſuam ſapientiam & omnem rectam rationem

tionem comminatur peremptoriè electis pœnam, ſed hoc eſt myſterium, nemo eſt peremptoriè electus ab æterno, ſed tum demum eſt peremptorie electus in tempore, quando in fide mortem obit, unde incipit in Deo nova electio temporalis peremptoria, quæ vera eſt mutatio, imo & nova ſcientia, unde peribit Dei præſcientia æterna.

4. Sed aliud patet *Arminianis* hic refugium lepidum ſane. Deus (inquit) credentes pro tempore eligit, non credentes reprobat, & Deus ab æterno abſolute & immutabiliter decrevit homines credentes eligere, non credentes reprobare, ex præſcientia fidei vel infidelitatis, ideoque æterna adhuc & immutabilia ſunt Dei decreta. Sed *Reſp.* 1. Divinæ mutationes non deſinunt eſſe mutationes, quia ſunt immutabiliter decretæ. Pari rationi ſi quis immutabiliter, & conſtantiſſimo decreto apud ſe ſtatueret, fidem cum locis, perſonis, rege, aulâ, belli fatis, adverſis vel ſecundis rerum humanarum ventis, commutare, & etiam pro illo decreto immoto ſemper ſe componat ad omnes religiones, euangelicam, papiſticam, mahumeticam, an propterea dicendus eſſet immutabilis? An quæſo Deus immutabilis erit, quia ab æterno immutabiliter ſtatuit decreta ſua in horas cum nova Dea *Contingentia*, & humana libertate mutare? Apage theologiam orco relegandam: Simili modo Deus ab æterno ſtatuit ut homo eſſet mutabilis, an propter tale decre-

tum, erit immutabilis? 2. Decretum eſt ſtatutũ beneplaciti, advocatâ ſapientiâ, edictum: at vero quæ ſapientia, quæ determinatio eſt illud hodie decernere, figere, quod cras refigendum eſt? Hoc ne in virum ſapientem cadit?

Apol cenſ. cap. 19 p. 190. 191. §. 2. Verba *Arminianorum* idem probant Nam *Remonſtran.* in apo. *Concludimus ergo* (inquiunt) *falſum eſſe* (*quanquam hactenus id pleri que tenuerunt*) *electionem in ſcripturis uſpiam ab æterno factam dici*, *aut eam* (*niſi cum pro decreto ſumitur*) *in ſcripturis proponi ut rationem Dei internam, ſive immanentem, quæ in Deo ab æterno fuerit, & contra veriſſimum eſſe, quod electio in ſcripturis proponatur, ut actio Dei externa & tranſiens, & quæ in tempore cæpta eſt, contra quam hactenus fere creditum eſt.* Sed. 1. Quis non videt hanc horariam fidem *Iac. Arminii*, qui de-*Armin. diſp pub. 15. diſ. theſ. 11.* finit reprobationem decretum, quo ab æterno ſtatuit infideles damnare &c. & prædeſtinatio quam alibi vocat electionem theſ. 3. Finit eodem modo theſ. 6. *Decreto iſto* (inquit) *æternitatem tribuimus, quia Deus nihil in tempore facit, quod ab æterno facere non decrevit.* Et theſ. 10. *Hoc decretum eſt ſecundum electionem, ut inquit Apoſtolus.*

Ergo *Arminius* ipſe vere cenſet prædeſtinationem æternam fieri ſecundum electionem æternam: nam ſi electio ſit temporalis, non poterit eſſe regula ſecundum quam ſit præde-*Antiperk. p. 658.* ſtinatio æterna, ut *Arminius* ait: *Electio eſt decretum Dei quo apud ſe æterno ſtatuit &c.* 2. Electionem interdum ſignificare vocationem in

tem-

tempore. 1. *Cor.* 1. 26 27. non negamus, ſed hæc non eſt deſtinatio hominum ad vitam æternam, de qua *Rom.* 9. & *Eph.* 1. quæ in ſcriptura ab æterno eſt. *Eph.* 1. *Antequam pueri quicquam boni vel mali feciſſent.* Nec *Arminiani* electionem pro vocatione ſumunt: nam electio, quam illi defendunt, in apolo. loc. citat: eſt electio eorum qui vere credunt, ut habetur confeſſ. c. 18. th. 2. *Imo eorum qui jam converſi ſunt & vere credunt, è profanâ pereuntium turba ſegregantur. &c.* Atqui vocatio eſt nondum converſorum, ſed convertendorum, imo vocatio iiſdem doctoribus, confeſſ. c. 17. *th.* 2. eſt eorum qui non credunt, *imo fieri poteſt* (inqviunt) *ut vocati nunquam reipſa credant, ac ſalventur.* Ergo credunt electionem & deſtinationem ad gloriam eſſe temporariam, & ex hominum arbitrio, qui credere vel non credere poſſunt, adeoque mutabilem eſſe. 3. Electio hæc temporaria credentium ad gloriam, vel eſt actualis gloriæ datio, & ſic glorificatio. (At quis glorificationem ad gloriam vocet? Non ſcriptura, non ſcriptor eccleſiaſticus,) vel eſt Dei deſtinatio in mente & voluntate, qua voluit gloriam dare: at vero hæc eſt actio immanens & æterna: nulla enim Dei volitio eſt temporaria aut tranſiens; quod Deus vult, ab æterno voluit. *Arminiani* tertium dare non poſſunt, vel eſt actus omnipotentiæ divinæ, & ſic oportet ut ſit glorificatio, quod non dicerent: vel intellectus & voluntatis, & ſic erit actus immanens & æ-

ternus. Hic hærebit ipſis aqua.

Corv. cont. Molin. cap. 12. p. 187. §. 3. *Corvinus* vult (*Hoc fac. & vives*) fuiſſe legale decretum, de ultimo fine creaturarum rationalium: at vero quoniam lex eſt abrogata, ipſis fatentibus, neceſſe eſt ut decretum hoc legale deſierit in Deo, multis abhinc annis, nempe ſtatim à lapſu *Adami*. Dicent non eſſe abrogatum decretum, quia non fuit peremptorium, reſpectu hominum, ſed conditionatum. At quid tum? An eſt, quæſo, jam in Deo decretum ſalvandi homines, ſiquidem legem præſtiterint? At ipſi docent nullam eſſe ſalutem per legem. Ergo Deus vel illud decretum refixit, & abjecit, vel ſic apud ſe dicit, quamvis ſtatuerim apud me nullos ſalvare per opera legis, ſed tantum per fidem, tamen adhuc decerno ſalvare omnes, ſiquidem legem ſervaverint. Hic inſulſum erit in Deo decretum legale; & inane, & erunt in Deo duo decreta plane contradictoria, adeoque voluntates contrariæ, quod eſt blaſphemum. 2. Penes voluntatem *Adami* fuiſſe præſtare legem, quâ præſtitâ nullum fuiſſet in Deo decretum euangelicum, vel non præſtare, quâ non præſtitâ; fuit in Deo decretum euangelicum, & ſic decretum euangelicum in Deo cauſatur à volitione temporali humana, adeoque non eſt æternum. At (inquiunt) Deus ab æterno præſciens lapſum *Adami*, ab æterno fecit decretum euangelicum; ſed hic videant *Arminiani* qualem ſibi Deum fingant, ab æterno, ſic ſtatuentem apud

pud ſe. Decerno ut *Adamus* & poſteri ipſius ſalventur, ſiquidem legem præſtiterint, vel ſi non, ut ſalventur ſiquidem crediderint, vel ſi nulli crediderint, ut damnentur: hic Deus fuit anceps, pendulus & decretis figendis varius, pendens plane in decretis ſuis æternis à temporariis hominum actibus. 3. Fecit decretum euangelicum vel præſciens quoſdam credituros, vel non præſciens: ſi primum, tum decretum de certis quibuſdam perſonis ſalvandis, erit prius decreto generali de ſalvandis fidelibus, quod invertit decretorum *Arminianum* ordinem: ſi poſterius, Deus nullâ providentiâ, quia nullâ ſcientiâ, fecit totum euangelium, & ignoravit in eo decreto utrum aſſequeretur illuſtrationem gloriæ miſericordiæ, vel juſtitiæ. 4. Quare fecit Deus decretum legale non peremptorium? certe vel quia præſcivit *Adamum* lapſurum, & ſic quare omnino fecit, quod abrogandum fore, & incaſſo fine futurum prævidit? id enim non eſt ſapientis, præſcito fine fruſtraneo, aliquid facere; vel fecit non peremptorium, quia non præſcivit, ſed conjecturam fecit, fieri poſſe, ut homo, qui eſt creatura mutabilis, peccet; & ſic non opus fuit in eo ſigno rationis decreto legali, quorſum decerneret, quod refigendum ſcit?

7. 4. *Arminius* ait, *Certum eſt Deum velle nonnulla, quæ non vellet, niſi aliqua humana volitio antecederet*. Atqui humanæ omnes volitiones ſunt temporaneæ; & vult alibi, neminem eſſe actu reprobum niſi reipſa exiſtentem, & ſic repro- *Antiperk p. 750. editio. Bertii.*

reprobatio erit decretum temporale, & homines eligi non niſi in Chriſto mortuo, atqui mortuus eſt in tempore, Ergo homines electi ſunt in tempore. Figmentum præſcientiæ ipſos ne hilum juvabit. Volunt enim electionem & deſtinationem hominis ad gloriam eſſe actum juſtitiæ æque atque actualis datio, quæ eſt ex ordine juſtitiæ impoſſibilis niſi ſoluto λύτρῳ. Ergo, inquam ego, perſolutio λύτρου in præſcientia non ſalvat juſtitiam in Dei electione, ſed neceſſe eſt actu perſolvatur, priuſquam Deus poſſit actu deligere homines ad vitam æternam, ſicut actu perſolvi debet, priuſquam Deus poſſit actu vitam communicare, hæc conſequentia nititur dogmatis *Arminianis*; illis enim deſtinare ad gloriam eſt a- actus juſtitiæ, ſicut dare gloriam.

Corv. cont. Molin. c. 6. S. 6. p. 207. 8. 5. *Corvinus* ſic ait, *Eſt vero abſurdum, ut cum Deus obedientiam creaturæ vult, legem ſecundum talem præſcientiam proponat, quâ ſcit creaturam, eam non tranſgreſſuram: ratio quia tum eo ipſo talem legem proponeret, quam abſolutâ voluntate nollet permittere, ut cui fertur, tranſgrederetur: & quamvis in ſpeciem hominis libertas maneret, revera tamen ad unam ſpeciem actus, eſſet per iſtud decretum determinata.* Hinc argumentor: Deus vel legem tulit ſecundum eam præſcientiam, qua ſcivit *Adamum* peccaturum, vel ſecundum nullam præſcientiam: ſi primum, voluntas Dei abſoluta antecedet libertatẽ & eam deſtruet; hæc eſt enim conſeq. *Corv.* Si ſecundum ullam præſcientiam, tum poſtea quando Deus præ-

præſcivit, cæpit in Deo nova ſcientia rei quam antea ignoravit, & etiam novum decretum permiſſivum temporale. Sed obiter hoc notetur etiam Dei præſcientiam rei futuræ liberæ, non minus quam voluntatem determinantem, evertere libertatem, adeoque *Arminianos* revera negare in Deo præſcientiã actuum liberorum. 2. Hinc ſequitur Deum intendere gloriam juſtitiæ in remunerando *Adami* obedientiam, quando ei legem tulit, & tamen ignarum fuiſſe utrum illum finem aſſecuturus eſſet, nec ne: at quis ſapiens ſtatueret redimere captivos auro in tali fodina, ignarus ſit ne illic reperturus aurum, an non? Hoccine eſt dictitare digna infinitâ Dei ſapientiâ? 3. Poſt violatam legem incipit in Deo nova volitio proponendi euangelium, & nova intentio ſalvandi homines; ignarus, ſint ne obedituri, nec ne. Non obtemperant plerique! Oritur volitio nova damnandi, contraria intentioni ſalvandi. Rurſus obtemperant! oritur volitio rurſus ſalvandi. Imo fieri poteſt, ut quis per totam vitam credat, & in extremo puncto exſpirationis credere deſinat, ex illo uno actu infidelitatis, oritur peremptoria & irrevocabilis in Deo fixaque volitio in æternum damnandi, & qui pet totam vitam flagitioſiſſimus fuerit, nec credens, nec obediens euangelio, in extremo anhelitu credit, & oritur in Deo nova volitio peremtoria in æternum ſalvandi. Quis hic non videt infælicem fortiunam contingentiæ poſt ſe trahere temporaras

in

in Deo & mutabiles volitiones, ut nihil dicam de inſigni injuria in Dei juſtitiam, unum actum fidei vel infidelitatis, forte & contra divinam providentiam & voluntatem, exortum, æterno exitio, vel ineffabili gloria, remunerantem.

Dupl. ad Piſca. c. 1. p. 6.

9. 6. Iſta defendit *Corvinus* quæ habet *Vorſtius*. *Eventum duntaxat particularem à cauſa ſecunda contingente pendentem, aliquando mutari dico, cujus deinde reſpectu decretum Dei per partes ſeorſim ſumptum, aliquatenus mutabile dici poſſit.* Et quid apertius, quam quod ipſe *Arminius* dicit? *Poteſt quis ſua incredulitate mereri ut Deus effectum, quo ille obtulit filium redemptorem, mutet in iram, qua illum punire vult.* Nihil hic planius quam *Dei* decreta & effectus mutari, ad mutationem effectuum liberorum: atqui voluntatem humanam in horas mutari, nemo (ut opinor) inficiabitur. Neque *Arminianos* juvat, quod decreta *Dei* immutabiliter contemperentur hominum moribus, ideoque non eſt contraria voluntas, qua Deus *Petrum* credentem vult ſalvari, & eundem poſtea non credentem damnare; quia non eſt idem objectum, *Petrus* credens, *Petrus* non credens, ideoque eadem immutabilis voluntas poteſt utrumque velle, ſed ſic diluo. Nam 1. non eſt eadem voluntas, ubi prius eſt velle ſalutem, & poſtea novum non velle ſalutem. Nam ſi Judex terrenus ſtatuit hunc abſolvere innocentem, & eundem reum poſtea damnare, nemo non dicet voluntatem judicis phyſice mutari,

Armin. Antiperk. p. 746.

tari; eſto quód mutatio accederet ex damnati bonis aut malis moribus, non ex inconſtantia judicis. Par enim eſt blaſphemia, ſive dicamus Dei decreta mutabilia eſſe ex interna inconſtantia, ſive ex objecto externo: non enim vel hoc, vel illo modo, poteſt eſſe *Iehovah*, qui non mutatur. *Mat.* 3. Sic homines nolentes & volentes Deum è nolente in volentem, & rurſus è volente, in nolentem circumagant: non enim aqua è frigida in calidam, & rurſus è calida in frigidam retro commeans, propterea deſinit eſſe mutabilis, quia hæ mutationes ei accidunt ab externis agentibus, puta aere, aut ſole. 2. *Arminius* diſertis verbis ait Deum commutare affectum benevolum in iram, Ergo poſtquam homines contumaciter rejecerunt Chriſtum, deſinit eſſe in Deo decretum tales ſalvandi, aut voluntas etiam antecedens, & mutatur in dcretum damnandi & in odium. At vero *Remonſtr*, ut ictum hujus argumenti declinent, *Iacobum* magiſtrum ſuum derelinquunt. Ita enim illi in apolog. *Mutabilitatis hic ne ſpecies quidem eſt, non enim mutat Deus intentionem ſalvandi* (ſed mutare docent *Vorſtius & Arminius*) *quia non habuit niſi intentionem hypotheticam. Si vid.* homo *ipſe ſponte ſua rebellis aut ingratus eſſe, aut manere nolit, eadem illa hypothetica intentio manet: hypotheſi autem non exiſtente, manet conſtans Dei voluntas, & jam ante liberata intentio puniendi ingratum & rebellem.* Specioſa quidem ſed fallax evaſio. 1. Si non intendit ſalvare, neque decernit

Apol. cap. 17. p. 161.

cernit ſalvare, niſi hypothetice, & ſic Deus antecedenter non magis vult omnium ſalutem quam exitium omnium, an non fucatus erit amor eorum communis, quem in Deo erga omnes mortales fingunt? 2. Poſito actu credendi unico, ponitur conditio ex parte, ergo eligit credentes pro tempore, rurſus relabuntur in infidelitatem, & removetur conditio, tum rurſus ponitur decretum contrarium damnandi: cæcus eſt qui hic in Deo non videat, id poni in eſſe quod antea ei non inerat, & id non poni ſed removeri, quod antea inerat, quod millies circa unum hominem accidere poteſt: at an non ſit hæc vera mutatio, lectoris eſto judicium. 3. Hic indigniſſima de Deo efficiunt, nempe poſtquam *Iudas* eſt in inferos detruſus, manet hypothetica Dei intentio ſalvandi ipſum; Eſtote igitur damnati & reprobi angeli bono animo. *Arminiani* vobis annunciant idem euangelium, quod vivis prædicatur, nempe, manet etiam adhuc erga vos in Deo conſtans & deliberata voluntas vos ſalvandi, ſiquidem credideritis, & jam in Domino defunctis & coronam gloriæ aſſecutis, eſt idem evangelium prædicandum, nempe ipſos manere æternum exitium, ſiquidem ingrati & rebelles eſſe velint. Sed in nobis *Arminiani* conqueruntur, ſed falſiſſime, de Dei amore ſalvandi ipſos, quos ſalvari propter obſtaculum fatalis decreti impoſſibile eſt clamitant; at nos potiore jure, & merito ipſos incuſamus, quod graventur Deum voluntate

tate

tate ſalvandi licet hypotheticâ ; ipſos damnatos, quos ſalvari eſt ſimpliciter impoſſibile. 4. Si non mutat Deus intentionem ſalvandi damnatos, ira & odium Dei non poteſt ſuccedere in locum affectus benevoli, uti ait *Arminius*; unde non eſt in Deo odium erga rebelles, niſi ſimul in Deo fateantur conſiſtere poſſe, patris, matris, amantiſſimæ Gallinæ, clementiſſimi, ad iram tardiſſimi, benevolum affectum ex vero ſalvandi deſiderio, propenſoque amore, una cum odio, & vero juſtoque æternæ perditionis deſiderio, erga unum & eundem hominem, id quod ipſi non admittent. 5. Volunt manere hypotheticam intentionem damnatos ſalvandi, ne nova in Deo volitio inciperet, aliaque deſineret; ſed fruſtra: vel enim Deus odio habet Petrum negantem Dominum, & rurſus reſpiſcentem ad vitam æternam diligit, unde neceſſario volitiones & nolitiones in Deo incipiunt & deſinunt: vel manet Dei voluntas ſuſpenſa erga omnes, qui in hac vita juſtitiam & pietatem colunt, & impietati, & nefariis artibus ſe dediderunt, quod prorſus abſurdum eſt: ait enim ſcriptura contrarium.

10. 7. Dogma ipſorum palmarium eſt, Deum omnes vocare eo animo & intentione ut obediant & ſalventur: Atqui inter vocatos multi ſunt ab æteruo peremptorie & irrevocabiliter ex præſcientia finalis impœnitentiæ Deo exoſi & rejecti, atqui intenrio ſeria & naturalis ſalvandi è Diametro

pugnat cum peremptoriâ intentione damnandi, reſponſo ſe egregiè defunctos putant, quando nobis dicunt, Deum antecedenti voluntate velle iis vitam, quibus conſequenti voluntate velit mortem æternam ; ſed nihil ad rem: dicimus enim abſurdum eſſe in magiſtratu terreno, ſi poſt latam irrevocabilem ſententiam de morte proditoris flagitioſiſſimi, eundē ad vitam ulla voluntate invitaret, ſpe præmiorum propoſita, eo conſilio atque animo, ut nullus non honoribus aulicis, & omnibus voluptatibus genialiter indulgeret, atqui talis nobis fingitur Deus *Arminianus*.

Vaſquez. in 1 o. diſp. 63 q. 19. ſ. 39.

12. *Arminianos* nihil hic juvare poteſt, niſi ad illud *Vaſqueſij* confugerint, *quamvis voluntas Dei libera circa res producendas, nihil addat ſupra eſſentiam, præter reſpectum rationis, & cum hoc reſpectu voluntas dicatur libera producendi creaturas, ac proinde ſi ab æterno Deus non decreviſſet creaturas producere, nihil ei deeſſet niſi reſpectus rationis, nihilominus in tempore mutari non poteſt voluntas, nec ille reſpectus rationis; ſed ſi talis reſpectus in Deo eſſe debet, ab æterno eſſe debet, ſicut de ſcientia dicebamus, non quia mutatio aliqua ſequeretur in Deo intrinſeca, aut etiam ſcientiæ ipſius, ſi reſpectus in tempore mutari poſſet, ſed quia res futuræ ab æterno futuræ ſunt, nec in tempore quidquam poteſt incipere eſſe futurum, ſequitur reſpectum ad res producendas non poſſe in tempore incipere*, Unde inferunt quidam *Armin.* ſicut actus creandi, qui non fuit ab æterno, ſed in tempore incipit eſſe in Deo, non ponit in Deo mutationem aliquam:

ſic neque nova volitio in Deo incipiens in tempore ponit in Deo aliquam mutationem. Sed reſpondeo 1. non eſt par ratio creationis & volitionis: creatio enim eſt mera denominatio externa, qua res ad extra eſſe incipiunt per æternam Dei ſapientiam, voluntatem & omnipotentiam; volitio vero non eſt mera denominatio extrinſeca, ſed & actus vitalis, qui non poteſt de novo incipere abſque mutatione Dei. Creatio eſt Dei actio tranſiens, ideoque non poteſt non eſſe æterna, quoniam ens creatum eſt, ad quod terminatur Dei actio: volitio vero eſt actus immanens, ideoque non poteſt non eſſe æterna, eſt enim eadem cum eſſentiâ Dei & cum ipſâ identificata. At qui putet eſſentiam Dei eſſe mutabilem aut non æternam, is putet Deum, non eſſe Deum, ita etiam *Suarez*. vide *Metaph.* Modus ille amandi quo Deus ab æterno mundum condere decernebat, (ut ait *Pet. Fonſeca in Metaph.*) terminandus erat ad mundum pro eo tempore, quo illum condidit; idcirco cauſalitas effectiva qua illum produxit, erat in ſe æterna, quia erat idem reipſa cum æterno Dei decreto, adeoque cum divina eſſtia identificata: at vero cauſalitas erat terminative & virtute temporalis. 2. *Vaſquez* ſic iis adverſatur. Si reſpectus ille (inquit) ad res volitas in Deo eſſe debet, ab æterno eſſe deberet, ac proinde in tempore non poteſt incipere talis reſpectus. Creatio vero, quamvis à vitali actu Dei fluat, non eſt formaliter vitalis actus, ſed relativa actio terminata in

Suarez. Metaph. cap. 1, diſp. 20. ſect. 6 num. 24.

Fonſec. Metaph. l. 7. c. 8 q. 4. S. 5.

tempore ad res creatas. 3. Res futuræ non poſſunt non ab æterno futuræ eſſe, & ſi Deus in tempore aliquid futurum eſſe vult, quod ab æterno non voluit, incipit in Deo nova actio vitalis, quod eſt abſurdum.

De divin. eſſen. ſect 2. c.10.p.121, 122.

13. Doctrina etiam *Thom. Iackſoni Angli*, theologaſtri, ſi quis alius, ſuperficiarii, decreta Dei & temporaria & mutabilia aſtruit, ait enim, *ſomnium eſſe cogitare de divino decreto & prædeterminatione rerum futurarum tanquam de actibus jam irrevocabiliter finitis & completis, & conſequente errore, tam impoſſibile eſſe ullam rem poſſe aliter eſſe, quam eſt, fore, aut fuiſſe, quam id quod eſt præteritum, reuocare.* Antiquum hunc errorem forte vidit apud *Molinam*, aut ex *Suarezio* extorſit. Sed 1. videat lector lepidam diſtinctionem inter decretum finitum, & completum irrevocabiliter, & decretum finitum revocabiliter, Scriptura ait decretum *Iehovæ pſ.* 33. non reſcindi, *Iackſonus* reſcindi & revocari vult. 2. Vel loquitur de decreto abſoluto, quod omnibus ſani ſinciptis, eſt irrevocabile; vel de conditionato, quod ſive conditio impleatur, ſive non, ſemper eſt irrevocabile; quoniam includit præſcientiam conditionis in objecto. 3. Doceat, an ſint in Deo decreta irrevocabilia, & quænam illa ſint? Nam loquitur hic de decretis in genere, ſed an decretum electionis *Ephеſiorum* quod fuit ante muudi conſtitutionem *Eph.* 1. & eorum quibus data eſt gratia ante tempora ſæcu-

Molin. de concord q. 14. art. 13. diſp. 51. Suarez. de divin. grat. pro. 2. c. 8. p. 61. f. 8.

la-

laria 2. *Tim.* 1. 9. *Iacobi & Eſavi*, quorum hic rejectus, ille dilectus eſt, antequam feciſſent aliquid boni vel mali, nondum habuit finem ante mundi conſtitutionē? Eſtne hoc ſpiſpiritui ſancto obloqui? 4. Si decreta non finiātur, donec res decretæ actu executioni mandentur, Deus multa facit in tempore, quæ ab æterno facere non decrevit, & ſic erit inſpiens agens; vir prudens in arena non capit conſiliū. 5. Decretum de creatione mundi, reſuſcitatione Chriſti, jam olim eſt finitum, alioqui hodierno die Deus decernit mundi creationem, & ſic poteſt mundus non eſſe creatus, quod eſt impoſſibile; dicet decreta finiri, quando res decretæ actu exiſtunt: ſed tum decretum eſt temporale, non æternum, & actu tranſiens, non immanens, & Deus nullâ aliâ de cauſâ non facit decreta priuſquam res decretæ actu exiſtent, quam quia ignorat futura contingentia, quod eſt blaſphemum, aut quia decretum finitum irrevocabiliter læderet libertatem Dei: atqui ſic Deus nunquam vult actum liberum credendi in *Petro*, donec actu credat, at ſic caſu & novo plane & temporario conſilio efficit finem, & concurrit cum omnibus cauſis contingentibus. 6. Per decreta Dei, omnia futura habent futuritionem completam ab æterno, alioqui det nobis aliam cauſam futuritionis. Ergo decretum Dei fuit ab æterno, ſicut rerum futuritio fuit ab æterno ac proinde decretum erat actu cauſa rerum omnium ſub eſſe futuro, longe ante-

quam res ipſæ exiſterent. 7. Deus in ſcripturis à decreto, rem futuram eſſe invictè probat *Ier.* 1. 5. *Eſ.* 14. 24. Atqui ſi decreta non ſunt irrevocabiliter completa ante rerum decretarum actualem exiſtentiam, nulla eſt Dei conſequentia. Deus decrevit *Aſſyriorum* vaſtationem, E. vaſtabuntur. Poſſet enim illud decretum utpote nondum finitum reſcindi, & ſic *Aſſyrij* non vaſtabuntur. 8. *Iackſon.* poſtea ait vel poſſibilia omnia à Deo decerni, Ergo multa decreta Dei nunquam erunt completa, multa enim poſſibilia nunquam actu exiſtent, ut *Ægyptiorum* tranſitus ſalvus per mare rubrum, liberatio Chriſti per 12. legiones angelorum &c. At abſurdum eſt à Deo decerni multa, & ipſius decreta nunquam compleri, quando nulla ſunt obſtacula, quæ completionem ipſorum impedire poſſent. 9. Non ſequitur omnia ita evenire, ut tam impoſſibile ſit aliter res fore, quam eſt præteritum revocare. Nam omnia contingentia futura, poterant nunquam eſſe futura: at præteritum revocare involvit contradictionem, & eſt abſolute impoſſibile. 10. Sequitur etiam ſapientiſſimum Dei decretum euangelicum de ſalvandis hominibus per Chriſtum, nondum eſt finitum neque finiendum ante diſſolutionem mundi, & ſic multa in euangelio mutari poſſe, Deumque illic falſa dixiſſe. Nec eſt quod dicat euangelium eſſe decretum de rebus ab ipſo Deo faciendis, ideoque jam finitum eſſe, licet decretum de rebus faciendis à cauſis contingentibus,

bus, non ſit completum, donec cauſæ contingentes effectus ſuos produxerint. Nam euan-euangeliũ eſt decretũ etiam de multis effectibus contingentibus, ut de *Antichriſti futuritione*, de *Judæorum* converſione, de ortu pſeudochriſtorum in extremis diebus; nec video cauſam, cur *Jackſonus* non poſſit dicere, non obſtante decreto Dei & prædictione Paulina *Rom.* 11. fieri poſſe ut Judæi nunquam convertantur.

14. Addit *Jackſon.* 16. *Deum nunc non incipere primò omnia decernere, ſed eum nunc decernere, & tutius eſſe unicuique reſpicere Dei decretum, prout coexiſtit univerſo vitæ curſui, quam prout ab æterno factum eſt.* 1. Hoc ſi verum eſt, doctrinam non tutam nobis *Paulus* tradidit, qui vult *Epheſios* reſpicere electionem, prout facta eſt ante mundi conſtitutionem, item minus tutò docuit gratiam nobis datam *ante tempora ſecularia* 2. *Tim.* 2 9. Quid? an non ipſe *Deus* probat *Jeremiæ* prophetandum eſſe? *Arg.* à Dei decreto. Jer. 1. 5. *Priuſquam è ventre exieris, prophetam gentibus te conſtitui*: an non novator iſte diceret, nulla neceſſitas tamen erat prophetandi, quia dum *Jeremias* recuſaret prophetare, decretum illud erat in fieri, & non obſtante decreto facto priuſquam *Jeremias* naſceretur, potuit non prophetare, neque tutum fuit prophetæ tale argumentum Dei conſiderare. 2. Hic etiam omnia decreta ortui & interitui, fixioni refixioni, prout libertas creaturæ vult, exponit. 3. Si non eſt tutum reſpice-

re decretum, prout ab æterno factum eſt, E. vel illa reſpectio eſt inanis & falſa, vel decretum Dei eſt ab æterno, ideoque irrevoc.biliter completum in ſuo eſſe, infinitis ſeculis imaginariis, priuſquam res decretæ exiſtant. 4. Ecquid vero periculi eſt reſpicere æternitatem decreti; quia (inquit) ſic inſpiciemus decreta Dei quaſi actus irrevocabiliter more ſtatutorum *Medorum* & *Perſarum*, præteritos; ſi ita reſpicere decreta eſt erroneum, decreta ſunt revocabilia & mutabilia, & ſic *Iehovah* mutatur; & ſic credere Deum ab æterno præſciviſſe cogitationes liberas & actus liberos, eſt periculoſum: nam Deo præſcienti, non minus quam Deo decernenti, actus liberi ſunt irrevocabiles, & ſic æternam Dei præſcientiam negabit. 5. Agnoſcit ſtatuta *Medorum* eſſe immutabilia, Dei vero mutabilia. 6. Hodie Deus decernit mundi creationem, filii ſui incarnationem, *Chaldæorum* exciſionem &c. quis non diceret Philoſophaſtro huic læſum eſſe cerebrum, & febricitantem iſta in chartam conjeciſſe. Alteram paginam facit doctrina *Arminiana* de juſtificatione, quæ eſt Epiſcopio, *actus continuus qui eſt & durat, quam diu durat ipſius conditionis requiſitæ præſentia; interrumpitur vero ſemper & toties, quoties actus præſtantur ejuſmodi, qui cum vera fide & conſcientiâ bonâ conſiſtere nequeunt, & ipſe Armin.* juſtificationem ante exitum vitæ compleri negat, & Deum commutare affectum in *Chiſto* benevolum, quem erga vere juſtificatum habuit, in iram

Epiſco. diſp. 22, theſ. 12. de juſtific.

Armin. diſp. 48 theſ. 12. Armin Ant'perk. p. 746.

iram & odium, quod eſt Deum mutare voluntatem ſuam, pro humani arbitrii libitu, ita ut Deus hodie peccata imputet, cras non imputet, & rurſus imputet: id vero ego *Arminio* ipſi, 2. ſcripturæ, 3. & rationi adverſari exiſtimo, *Arminio* qui ait. 1. *voluntatem Dei eſſe ipſam eſſentiam Dei.* 2. *infinitam.* 3. *æternam & immutabilem, quia nihil poteſt ei de novo aut eſſe aut videri bonum.* At ſi voluntas Dei movetur à cauſa externa, nempe *Chriſti* ſatisfactione, fide & reſipiſcientia hominis, ut velit homini nunc credenti peccata non imputare, & poſtea non credenti imputare, hic ex *Arminio* mutabilis erit Dei voluntas, adeoque ipſa Dei eſſentia mutabilis eſt. 2. Scripturæ adverſatur, quæ *Iehovam* ſtatuit immutabilem *Mal.* 3. & Dei electionem eſſe tum æternam *Ier.* 3. 3. *Eſai.* 54. 7. *Pſal. Deus tu noſter à ſæculo uſque in ſeculum*, *ejuſque dilectionem, etiam actus noſtros, & peccata antecedere. Ioh.* 3. 16. *Ita Deus dilexit mundum Ezech.* 16, 8. *Tempus tuum, tempus amorum*, eo autem tempore populus in peccatis tantum non exſpirabant. 3. Cum ratione pugnat, ſi Deus in tempore homini peccata non inputat, & rurſus etiam imputet, & juſtificet & damnet, cum hi actus imputandi & non imputandi ſint actus in Deo immanentes, adeoque æterni, ſequetur Deum, eundem hominem ab æterno ad vitam æternam dilexiſſe, & ad externum exitium odio habuiſſe. 2. Sint *Saulo, Iudæ*, aliiſque ad tempus juſtificatis

Armin. diſp. pub. 4. *theſ.* 50. 51.

peccata permulta remiſſa, ideoque ſanguine *Chriſti* deleta & expiata, recidunt in peccata graviſſima, ita ut Deus non poſſit non velle iis æternam damnationem, illa priora peccata ſemel remiſſa, vel de novo imputantur vel non. Si imputantur, quærimus, quo jure id fiat, neque enim vel apoſtatis Deus facit injuriam, num peccata ſemel deleta & in Chriſti ſanguine expiata, apoſtatis etiam in ghenua luenda erunt? Atqui ſic duplex ſatisfactio pro iiſdem peccatis præſtabitur. Si non imputantur, quærimus, quâ ſcripturâ quædam unius & ejuſdem hominis peccata expientur in *Chriſto*, quædam non, cur Chriſtus pœnam lueret pro quibuſdam Judæ peccatis, pro quibuſdam non? Quæ ratio diſcriminis, an quia præſcivit fidem temporalem *Iudæ* quædam peccata ſubſequutura, quædam vero infidelitatem. Ideoque hæc noluit expiare, illa vero expiavit; nugæ & conjecturæ Siculæ: Atqui ipſorum eſt commentum Chriſtum in cruce morientem nullius hominis vel fidei vel infidelitatis rationem habuiſſe, ſed peractâ morte Chriſti, potuiſſe vel omnes ad fidem convertere & ſalvare, vel nullos, adeoque omnes damnare. At ſi dixerint peccata *Iudæ* fidem ipſius temporariam antecedentia, fuiſſe in Chriſto expiata conditionaliter, non abſolute, nempe ſiquidem *Iudas* in fide perſeverarit, remiſſa tum nulla omnino peccata ſunt in hac vita, nemo hic juſtificatus contra luculentas ſcripturas in contrarium *Rom.* 4. 10. *Rom.* 5. 1. *Rom*

1. *Rom.* 8. 30. *Eph.* 1. 7. 1. *Cor.* 6. 11. quin *Abrahamus* juſtificatus erat, quando *Iſacum* obtulit *Iac* 2. 21. *verſ.* 25. tum etiam ſatisfactio *Chriſti* pro peccatis conditionalis fingi non poteſt, niſi mortuus eſſet pro quibuſdam conditionaliter, atqui mortuus eſt abſolute pro omnibus, pro quibus obiit mortem: tum dubium ineluctabile eſt *Arminianis*, *An non Chriſtus* Judæ etiam finalem apoſtaſiam ſuoſſ anguine expiarit? Si non expiavit, tum ſea apoſtaſia vel erat peccatum ſimpliciter itr miſſibile, & dato quod Deus *Iudæ*, vitâ prorogatâ, indulſiſſet reſipiſcentiam & fidem, conſequutus tum fuiſſet *Iudas* veniam illius apoſtaſiæ, abſque ſanguinis effuſione, quod ſcriptura aperte negat *Heb.* 9. 22. vel ut illud peccatum foret remiſſibile, ex ordine juſtitiæ, Chriſtum denuo mori oportebat, quæ monſtra ſunt theologica. 3. Qualem remiſſionem Chriſtus impetravit, talem primo credentibus communicat: atqui impetravit peccatorum omnium remiſſionem. *Nactus æternam redemptionem. Heb.* 9. 12. *Delevit chirographum mandatorum quod erat contra nos. Col.* 2. 13. *Pacem fecit in cruce. Col.* 1. 20. Ideoque omnia peccata, & omne inter Deum & nos diſſidium amovit. Ergo talem remiſſionem nobis communicat. Ratio majoris eſt, quia non plures remiſſiones aut ſyngraphas præſtitit nobis: ratio enim reddi non poteſt ab adverſariis, cur ſatisfaceret pro quibuſdam peccatis *Iudæ*, & pro quibuſdam non, illa enim pro quibus

non

non ſatisfecit, eſſent ſimpliciter irremiſſibilia, quod eſt abſurdum, neque eſt ulla ratio cur remiſſionem impetratam nobis per partes communicaret, niſi eundum ab æterno dilexerit, & odio etiam habuerit, quæ ſunt ἀσύστατα.

Remon. Apolog. c. 6. fo. 74.

15. *Arminianis* nihil prius eſt in votis, quam remiſſionem peccatorum non fieri priuſquam quis actu credit in Chriſtum, Nam *Remonſtrant.* in Apolo. dicunt nihil eſſe falſius, quam homines donari remiſſione peccatorum priuſquam credunt; in quo lenocinantur ſuo *Socino* qui ait non poſſe peccata per actum credendi remitti, ſi jam ſint remiſſa, antequam credamus, & ſuo *Bellarmino*, qui hæc habet: *quomodo enim vera fides eſt, qua credo mihi remiſſa eſſe peccata, ſi dum ita credo, nondum ſunt remiſſa, ſed ſunt per actum fidei remittenda.* Quippe omne objectum eſt prius actu ſuo. iſtis acclamant *Remonſt.* Hic vero tres actus velim diſtingui. 1. actum ſatisfaciendi pro peccatis & nos Deo reconciliandi à Chriſto præſtitum. 2. Dei Patris acceptandi actum quo agnoſcit ſibi cumulatiſſimè ſatisfactum eſſe pro omnibus omnium electorum peccatis. 3. Actum juſtificandi, cui ſubordinatur fides tanquam cauſa organica.

Socin par. 4. de ſalv. c. 10

Remonſt. in confeſſ. f. 11. th. 2.

16. Actus reconciliandi nihil novi in Deo ponit, neque meritum Chriſti vel divinam voluntatem movet, vel Deum ex nolente in volentem, ex odio nos habente, in diligentem (ut fabulatur *Grevinchov.*) transmutare poteſt. 1. quia

Grevinch. pa. 109.

1. quia Deus eſt immutabilis. 2. quia divinæ voluntatis cauſa non magis dari poteſt, quam ipſius Dei, uti cum Aquinate teſtantur univerſa multitudo Scholaſticorum, *ut Durand. Bonavent. Alenſ. Ægidius, Alvar. Eſtius, Valent. Molina, Suarez, Vaſquez. &c.* prius natura nos Deus diligit, & æternæ gloriæ nos deſtinat, quam Chriſtum in mediatorem nobis dare decrevit: hinc vere nos diligit nondum credentes, adeo ut reconciliatorem Chriſtum dare velit nobis adhuc Dei inimicis, nos diligat nondum credentes *Ioh.* c. 3. verſ. 6. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus &c. Ezech.* 16. 6. *Dixi tibi in ſanguine tuo, vive. Epheſ.* 2. 4. *Deus dives miſericordiæ, pro immenſo ſuo in nos amore, etiam mortuos in peccatis una cum Chriſto vivificavit nos. Arminii* hæc eluunt, cum aliquid obganniant de univerſali communi Dei amore, quaſi vero amor ille de quo *Eze.* 16. non ſepararet *Hieroſolymitanos ab Amorrhæis & Moabitis*, & amor ille qui vocatur *Epheſ.* 2. πολλὴ ἀγάπη ſit communis amor, quo ſole, pluviis & pane reprobos beare non deſtitit Deus. Imo nihil falſius dogmate iſto *Arminiano*, neminem diligi in Chriſto niſi actu exiſtentem in eo per fidem: nam per & propter Chriſtum datur ſpiritus ſanctus, per cujus gratiam credimus *Ioh.* 7. 36. *Ioh.* 15. 16. Ergo Deus diligit nos in Chriſto priuſquam credamus. Imo eadem & unica & immutabilis eſt illa Dei dilectio, & amor quo nos com-

plecti-

plectitur Deus tum ante, tum poſt mortem Chriſti. Et quoniam Dei dilectio ad vitam, nec eſt actus in Deo naturalis (ſic enim non poſſet non velle nobis æternam vitam, & quæ tum foret gratia, ſi non libere daretur?) nec actus miſericordiæ nec juſtitiæ formaliter, ſed actus ſupremi Dominii: non neceſſe fuit ut Deus quæreret ſatisfactionem juſtitiæ, antequam poſſet juſtè nos amare ad vitam æternam, neque neceſſe fuit ut ſatisfactio juſtitiæ compleret hunc actum dilectionis, quaſi antea eſſet incompletus; quoniam ſatisfactio juſtitiæ in ſe fuit Deo libera, & neceſſaria tantum ex hypotheſi, potuit enim Deus abſolute, alio modo quam per ſatisfactionem filii ſui ad vitam æternam nos perducere.

Walæus cont. Corv. c. 25. 555.

17. Quæres igitur, quid reconciliatio ponit in Deo? *Reſp.* non ponit aliquid in Deo, quod complet actum electionis, ut innuere videtur *Anton. Walæus*; neque aliquid novi ponit in Dei voluntate, quod in eâ antea non inerat; ſed tantum facit ut Deus nos liberrime ad æternam vitam diligens, poſſit bonum in electione æterna nobis volitum rite & convenienter ſuæ juſtitiæ, prout libere decreverat, ideoque actu impertiri nobis vitam æternam. Hinc obſerva fraudem *Arminii*, qui ubique contendit actum volendi nobis vitam æque reſtrictũ eſſe juſtitiæ divinæ, atque actualem dationem vitæ, quod eſt aperte falſum. Nam actus volendi nobis vitam eſt actus ſupremi dominii Dei, non actus juſtitiæ;

ctita-

actualis vero datio vitæ eſt juſtitiæ reſtricta non ordine juſtitiæ, quaſi ipſa juſtitia formaliter dictitaret Deo hunc modum perducendi homines ad vitam æternam, quod ſic probo. Si Deus qua juſtus & neceſſitate juſtitiæ perduceret peccatores ad vitam per ſatisfactionem Chriſti, tum non poſſet aliter ipſos ad vitam perducere, quam per ſatisfactionem. At hoc libertatem Dei & infinitam ſapientiam anguſtis nimis cancellis circumſcribit. Erg. Ratio Majoris eſt, quia quod Deus facit qua juſtus & ex juſtitia ut ex principio formali, id facit neceſſitate naturæ ſuæ, & non liberè, & ſi illud non faceret Deus injuſtus foret; atqui non fuiſſet injuſtus ſi omnes ad vitã immediate perduxiſſet, & gloriæ participes feciſſet, quod fecit in unione perſonali naturæ humanæ cum divina. Hinc ſequitur Dei iram erga electos peccantes non eſſe odium oppoſitum dilectioni, quo antea ipſos eſt proſecutus, ſed tantum diſplicentiam & odium immotum in peccata, non in perſonas, & interdum paternam caſtigationem, hinc electos Deus ſemper diligit, reprobos ſemper odio habet. Notari itaque hic velim, quam ridiculè noſtram ſententiam de æterna electione *Remonſtrantes* capiant, dum ita delirant. *Intentio ſalvandi efficax, ſive irrevocabilis & peremptoria voluntas, qua Deus nominatim Petrum & Paulum ſalvare vult, cum voluntate executivâ, qua iis deinde reconciliari, aut qua mediatorem iis dare vult, per quem ipſis reconcilietur, conjungi non poteſt: velle effi-*

efficaciter ſalutem peccatorum ut finem. & velle deinde reconciliationem & meritum, ut medium quo movearis ad volendum ſalutem peccatorum, ſunt contradic: ſed cum umbris dimicatur: Docemus enim nos *Deum* velle efficaciter ſalutem electorum ut finem, & moveri merito Chriſti tanquam medio juſtitiæ ſuæ convenientiſſimo ut iiſdem actu det vitam æternam, non tantum non eſſe contradicentia, ſed ſecundù ſcripturas amicè ſubordinata; at velle ſalutem electis ut finem, & moveri Dei voluntatem merito Chriſti, ut velit ipſis ſalutem, *Arminiani* ſomniant, nobis nunquam venit in mentem, imo blaſphemum eſt Dei voluntatem ab ulla cauſa aut agente externo moveri. Quærunt ibid. *Remonſt.* quis ſit effectus formalis meriti Chriſti? ubi enim (inquiunt) *talis efficax voluntas ſalvandi, præſupponitur, dicere effectum meriti Chriſti eſſe actualem reſtitutionem peccatoris in gratiam Dei, eſt nugari, reſtituere enim actu aliquem in gratiam alicujus, nihil aliud eſt quam efficere ut actu efficaciter quis alicui bene velit*. at hæc efficax voluntas præcedit meritum Chriſti. Nullus itaque (inquiunt illi) noſtrâ doctrinâ, ſtante, eſt formalis effectus meriti Chriſti. *Reſp.* Ignorant hi boni viri reformatæ eccleſiæ doctrinam qui ita hariolantur: nam meritum Chriſti non mutat Dei voluntatem erga electos ex odio in amorem, mutabilem Deum non colunt reformatæ eccleſiæ: effectus formalis meriti Chriſti eſt, quod Deus poſſit non obſtante juſtitiâ ſuâ, effecta gratiæ & gratuiti æter-

æterni ſui amoris, qui quidem prior eſt meritis Chriſti, electis actu communicare nempe gratiam, à pœna peccati immunitatem & relaxationem & vitam æternam: poteſt enim Deus nobis efficaciter velle gloriam & gratiam, quam actu dare non poteſt, abſque læſione juſtitiæ ſuæ ex libero ſuo decreto, citra ſatisfactionem vel noſtram, vel Chriſti, multa afficaciter homines volunt, quæ actu citra injuſtitiam facere non poſſunt, poteſt rex efficaciter velle ut aulicus ejus æris alieni nomine incarceratus, è carcere liberetur, actu tamen liberare non poteſt ſine juſtitiæ læſione, niſi prius debita aulici perſolvenda curet. Deus efficaciter & abſolute voluit filio ſuo dilecto æternam gloriam, non vult tamen eum actu intrare niſi per multas perpeſſiones. Sed ſemper *Arminiani* Deum ſuo modulo metiuntur, quaſi ex odio in amorem, & ex amore rurſus in odium humanitus verſaretur. *Remonſt. c. 8 Apol. 98. R.*

18. Falſa itaque ab iis aſſignatur definitio reconciliationis, nempe efficientia voluntatis ſalvandi, loco voluntatis perdendi, quaſi vero in Deo voluntas contraria contrariæ ſuccederet.

19. Diſtingui etiam hic debent τὸ credere, pro aſſentiri, & pro actu fiduciali cordis & amplexu quo innitimur in Chriſtum, priore ſignificatu, fide non juſtificamur, niſi dixerimus *Cajnum*, *Iudam* aut ejuſmodi qui legis comminationibus cum horrore credunt, juſtificari, poſteriore modo fides innititur rei ut

bonæ, non ut veræ aut falſæ. Cor enim & affectus in quibus eſt actus fiduciæ bonum aut malum, non verum aut falſum apprehendunt, unde non propriè credo peccata vel eſſe remittenda, vel jam eſſe remiſſa. Hinc ut ad rem. Satisfactio ut à Chriſto præſtita non eſt juſtificatio, quia eſt Dei juſtificantis fundamentum, neqne fides ullo ſenſu eſt ſatisfactionis Chriſti inſtrumentum: Quis enim credendo efficere poteſt ut Chriſtus pro ſe ſatisfecerit? Neque fides ulla ratione dici poteſt cauſa motiva vel organica etiam divinæ acceptationis, qua ſatisfactionem Chriſti pro nobis acceptat. 1. Nos credendo non efficicimus vel ὀργανικῶς ut Deus Chriſti mortem pro peccatis noſtris acceptet, neque ulla cauſalitas externa movere poteſt Dei voluntatem, 2. Sive nos credimus ſive non qui jam poſt mortem Chriſti vivimus, imo ab æterno, Deus mortem Chriſti pro electorum peccatis acceptavit, ſtatuitque antecedenter ad noſtram fidem nos non punire, ſed gratis in Chriſto pro filiis habuit. At uero *Arminiani* innuere videntur fidem eſſe partem collateralem τ͂ λύτρȣ à Chriſto Deo perſoluti, vel fidem noſtram, cauſalitatem aliquam exercere in Dei voluntatem, qua ipſa ex odio, & ira in dilectionem & gratiam erga nos commutetur, unde & mutabitur Deus, & actus aliquis immanens & vitalis in Deo in tempore incipit, nempe dilectio, & alia interit, nempe actus diſplicentiæ & odii, quod eſt blaſphemum. Nihil enim Deus de novo aut in tem-

tempore vult, ejus volitiones ſunt æternæ. Negamus etiam fidem noſtram nempe aſſenſum non poſſe apprehendere remiſſionem omnium peccatorum ut præteritam, id enim quilibet juſtificatus vere apprehendit, nempe Chriſtum & ſatisfeciſſe jam olim, & Deum ab æterno acquieviſſe, depoſitâ diſpliſcentiâ & irâ erga ipſorum peccata, tanquam in ſufficiente redemptionis pretio, ſed hic fides non facit; ſed objectum jam factum præſupponit.

20. Juſtificare ſumitur vel active pro actu Dei judiciali, vel paſſivè ſeu terminativè prout in crededentem terminatur, priore modo eſt actus in Deo internus, & immanens, non tranſiens in ſubjectum externum, cujuſmodi actus ſunt electio & reprobatio quæ habent totum eſſe completum, priuſquam homines electi, reprobati, aut juſtificati, vel eſſe vivere, credere incipiant aliquid boni vel mali faciunt, & in hoc ſenſu fides non eſt inſtrumentum juſtificationis: nemo enim credendo efficit ut Deus non velit punire peccata, aut ut velit nos amare ad vitam æternam: At vero juſtificare terminativè & paſſivè eſt juſtum hominem & viventem & actu credentem declarare, actu judiciali terminato in conſcientiam peccatoris rei & citati coram tremendo Dei judicis tribunali & peccatorum convicti, quo lite forenſi peccator abſolvitur, & abſolutionem declaratã actu ſentit, apprehendit, & fiduciali innixu

in Chriſtum jam manifeſtationem illius ſententiæ porrigentem recumbit. At vero τὸ juſtificare, hâc uſitatâ in ſcripturis loquendi formâ, non ponit n Deo novam volitionem jam in tempore incipientem, ut nugantur *Arminiani* cum ſuo *Socino*, ſed æternæ Dei volitionis intimationem conſcientiæ jam factam Quod ſic probo, homo non eſt juſtificatus ab æterno, quia homo non eſt ab æterno. homini credenti non ſunt remiſſa peccata ab æterno, quoniam non eſt ab æterno. Nam juſtificatio & remiſſio hoc ſenſu non ſunt termini diminuentes. 2. Sicut quando Rex aulico condonat crimen læſæ majeſtatis, hæredibus & gnatis ſuis etiam nondum natis condonat, ſed nondum nati nec regiæ iræ nec gratiæ, ſunt capaces actu, ſed tantum poteſtate; ita ſe habet in hoc negotio reus. Dicent ergo *Arminiani* nos hic juſtificationem ſumere, pro ſenſu & notitia juſtificationis & remiſſionis, ideoque (homines fide juſtificantur) idem valet, ac homines tum demum juſtificantur, quando credunt, hoc eſt, ſentiunt ſe juſtificari, cum antea eſſent juſtificati. Nugæ & tricæ Siculæ: nam juſtificari plus eſt quam ſentire ſe juſtificari, nam I. eſt actus Dei abſolventis terminati in conſcientiam hominis citati & tracti ad tribunal tremendi judicis, qui actus ante hoc inſtans non terminabatur in conſcientiam. 2. Hoc actu Deus certum facit conſcientiæ citati, innitenti fiducialiter in Chriſtum, jam etiam in Chriſto plenam expia-

piationem omnium peccatorum factam 3. Ipſe peccator actu fiduciali recumbit in Chriſtum ſufficientem ſalvatorem credentiũ: at vero actus Dei terminatus in nos non poteſt eſſe nudus ſenſus illius actus: quis ſanus ita argumentaretur cui paulo magis ſobriũ eſt ſinciptu?

21. Quamvis itaque in mente Dei peccata ab æterno remiſſa ſunt, non tamen homo ab æterno eſt juſtificatus, hoc eſt declaratus in conſcientia ſua, quando citatur coram tribunali Dei juſtus in Chriſto: nam quamvis actus juſtificandi in Deo connotet Dei actum immanentem & æternum, attamen ille actus non eſt tota & integra formalis ratio juſtificationis peccatoris, de qua *Paulus* epiſt, ad *Galatas*, & ſcriptura loquitur. Formaliter enim juſtificare eſt Deum actu declarare, actu nempe judiciali trementem coram judice reum, & abſolutionem æternam & jam primo & nunquam antea ceſſare effectus divinæ adverſus peccatum diſplicentiæ, virtute promiſſionis divinæ, quà credenti promittuntur Chriſtus, omniaque ipſius beneficia, & actuale jus ad regnum Dei, & dignitas adoptionis. Dices, an non electo, antequam credat, removentur effectus divinæ iræ adverſus peccata: ſi enim pœna inflicta electo priuſquam credit, ſit ſatisfactoria, Deus plectit peccata electorum, ſemel in Chriſto, & ſemel in ipſis, antequam credant. *Reſp.* Sane priuſquam electus credit, ceſſit ira Dei adverſus ipſum, omneſque iræ effectus

D 3 erga

erga ipſius perſonam, idque propter Chriſti meritum, ſed non virtute illius palmaris promiſſi euangelici (*qui credit in Chriſtum, non venit in condemnationem*) nunquam enim removentur effecta iræ Dei adverſus peccatum electi virtute, illius promiſſi, donec quis actu credit. Hinc eſt quod electo nulla ſit conſolatio, nulla pax conſcientiæ, priuſquam conditionem fœderis pacis impleat, hoc eſt, priuſquamcredat, ideoque quamvis electus etiam antequam credit, non ſubſit iræ Dei, idque proper merita *Chriſti* & ſatisfactionem ipſius, & quamvis propter illam ſatisfactionem baptiſmatis & euangelii gratia & etiam ſpiritu ſancto, vittute cujus tandem credit, donetur, tamen iſta beneficia non habet ille nondum credens virtute fœderis gratiæ & ſpecialis illius promiſſi euangelici (*qui credit hebet filium, qui credit ſalvabitur*) ideoque hoc ſenſu nondum credenti electo, nondum ſunt remiſſa peccata, nondum removetur ira Dei, hoc eſt, effectus divinæ, adverſus peccatum, diſplicentiæ non-dum illi aufertur, eo ſpeciali modo, quo tollitur virtute promiſſionis euangelicæ quam fidem, quæ fœderis eſt impletio, poſtulat, ideoque electus nondum credens habet jus in Chriſto, non ad Chriſtum, utpote qui nondum credit, iguorat, ſitne fœderatus ad quem promiſſiones ſpectant, ut ad hæredem & filium promiſſionis, qui vero credit habet jus in Chriſto & ad Chriſtum, & Chriſtus in illo fœdus novum implevit, & tanquam

quam fœderis fidei-juſſor. *Heb*. 7. 22. virtute promiſſionis & veracitatis Dei, quæ juſtitia quædam eſt Dei, ſpecialiori modo pactionis æquiſſimæ removentur effectus iræ Dei, & hoc eſt remitti peccata & peccata non imputari juxta phraſin ſcripturæ *Pſ*. 32. 1. 2. *Rom*. 4. Aliud itaque eſt hominem juſtificari in *Chriſto*, idque ab æterno, & juſtificari hominem in Chriſto in tempore juxta fœdus & pactum euangelicum. Dico itaque per actum credendi remitti peccata, quia fides apprehendit Chriſtum non ut nudum objectum, ſic enim aſſenſus fidei apprehendit Chriſtum & hiſtoriam euangelii, ſed ut objectum datum, & actu oblatum à Deo in noſtram juſtitiam, ſic enim fides Chriſtum quatenus datum & promiſſum amplectitur, & deoſculatur & recipit *Ioh*. 1. 12. *Heb*. 11. 13. ut juxta fœdus novum, & virtute veracitatis Dei Chriſtus ſit ipſius juſtitia: hinc & ſpecialis eſt immunitas (ut ſic loquar) pactionis ab effectis iræ Dei, & à peccati vi condemnatoria; Hinc illud notari velim, fidem non facere ne quidem organicos juſtificationem & peccatorum remiſſionem æternam & immanentem, ſed ipſam ut objectum jam olim factum præſuppponere, & hoc ſenſu procedit argumentum *Bellarmini*, *Socini* & *Arminianorum* contrà nos. Et nos dicimus cum illis nullum actum facere ſuum objectum, & per actum fidei non remitti peccata, ſed ante illum actum jam olim eſſe remiſſa: At vero juſtificatio pactiona-

lis, ſeu remiſſio fœderalis (quam ego jam explicavi) eſt effectus fidei, fideſque illâ eſt naturâ prior juſtificatione, neque vero hæc pactionalis juſtificatio ſuperaddit aliquid reale æternæ Dei volitioni de non puniendis electorum peccatis in ipſis electis, ſed in Chriſto, neque eſt nuda notitia aut ſenſus juſtificationis, ſed ponit in electo credente novam immunitatem à condemnatione, novam inquam, non ſecundum ſubſtantiam rei, ſemper enim electi etiam antequam credant ſunt in & propter Chriſti mortem immunes à condemnatione, ſed nouam in modo rei, quia immunitas hæc eſt remotio effectuum divinæ iræ juxta ſpeciale pactum euangelicum, quod per Dei gratiam implent, quando credunt, quæ remotio ante actum credendi erat planè diſpenſatoria ex libera Dei conſtitutione, hæc vero nititur veracitate Dei & ſpeciali pacto revelato in euangelio, prior eſt ab abſoluta Dei libertate, hæc à voluntate Dei juſta.

Apol. c. 10 *ſel.* 108.

22. Hinc facile eſt diluere quæ contra noſtram doctrinam objiciunt *Remonſtrantes* in Apol. nam contra fiduciam ſpecialis miſericordiæ magiſterialiter declamitant 1. fidei objectum eſt promiſſio miſericordiæ, eaq; univerſalis ſicut eſt univerſalis prædicatio pœnitentiæ, uti fatetur *Auguſtana* confeſſio, At miſericordia ſpecialis electorum, vel ex electione fluens, non eſt univerſalis, omnium, ſed electorum propria miſericordia. Ergo talis ſpecialis miſericordia non eſt objectum fidei. *Reſp.* Promiſſio miſeri-

ricordiæ univerſalis dicitur in illa confeſſione ,,
Auguſt. quia indefinite omnibus in eccleſia pro- ,,
ponitur. ſed revera in ſe & reſpectu intentio- ,,
nis divinæ, eſt electorum propria. ,,

Ob. 2. Specialis iſta miſericordia non po- ,,
teſt promitti, ergo ejus promiſſio non eſt ob- ,,
jectum fidei. Prob. ante. Talis miſericordia ,,
eſt electorum propria ex vi abſoluti decreti ,,
electionis multo antequam promittitur. *Reſp.* Non docent noſtri ſpecialem miſericordiam formaliter promitti in euangelio: promittitur enim ſecundum effectus & promitti dicitur, quoniam gratia efficax, fides remiſſio, & gloria æterna quæ manant ex illa ſpeciali miſericordia promittuntur electis, non eſt abſurdũ promitti effectus gratiæ poſtquam ſecundum decretum gratioſum electionis ſumus in gratia.

Ob. 3. Quod fides non ſit applicatio remiſſionis peccatorum, prob. ſic. Remiſſio peccatorum, eſt purus putus actus divinæ mentis aut voluntatis, actus judicialis in Deo immanens, non tranſiens in ſubjectum extra Deum: Applicari autem a nobis actum Dei à Deo perfectè immanentem quis capiat? *Reſp.* Satis capĩ poteſt omnes actus Dei immanentes, quo Deus decrevit, vocare juſtificare, & glorificare nos, nobis applicari quando fides actus illos per effecta in nobis gratioſa nobis revelet. 2. Proprie credimus revelata in verbo, at etiam à poſteriori decreta Dei interna & immanentia credimus, quamvis non à priore, & etiam nobis ſic credita applicamus, quam-

vis ſpecialis applicatio mihi videtur effectus, non eſſentia fidei juſtificântis.

Ob. 4. Actus applicans vel eſt efficiens cauſa, vel antecedanea conditio miſericordiæ ſpecialis, vel tantum nude cum illa coexiſtit, ſi prius miſericordia erit effectus & poſterius applicatione ideoque non objectum: nam objectum applicationis eſt prius ipſa applicatione, & hæc coexiſtentia eſt inanis. Ergo. *Reſp.* Actus applicationis, ſi proprie loquamur, eſt cauſa organica, non ipſius miſericordiæ; ſed effectuum gratioſorum miſericordiæ ideoque nec eſt efficiens, nec prærequiſita conditio: at negamus fidem ullo modo cauſative movere Dei voluntatem, ut velit noſtri miſereri: nam voluntas Dei miſericors eſt ipſe Deus miſericors, atqui Dei nulla eſt cauſa extra ipſum Deum: ſic enim eſſet creatura, non Deus ſi ſui eſſe haberet cauſam.

Ob. 5. Abſurdum eſt fidem h. eſt applicationem ſpecialis miſericordiæ à Deo præſcribi hominibus, ſub promiſſo ſpecialis miſericordiæ ſive remiſſionis peccatorum. *Reſp.* 1. non abſurdum, ſed euangelicum eſt applicationem effectuum ſpecialis miſericordiæ mandari à Deo ſub promiſſo vitæ æternæ. At quis noſtrum afferat gratiam electionis promitti nobis? id *Arminianis* ſatis arridebit, qui volunt fidem movere Dei voluntatem ad eligendum homines, ideoque hæc ipſis eſt promiſſio, crede & electus eris in ſanguine Chriſti. 2. ipſorum commentum eſt Deum moveri ad

actus

actus immanentes remittendi peccata, & eligendi à fide noſtra, quod blaſphemum eſt.

Ob. 6. Actus determinatus, qualis eſt ele- »
ctio, non poteſt non producere in Dei volun- ›
tnte alium, gratioſum effectum determinatè ›
diſtinctum à juſtificatione: atqui actus ille non »
poteſt alius eſſe quam actus remittindi & ſal- ›
vandi: miſericordia itaque ſpecialis neceſſe »
eſt formaliter includatur in electione: eo ipſo ›
itaque quod Deus elegit ad vitam peccatorem, ›
determinata eſt voluntas divina ad remitten- ›
dum peccatori ſua peccata. Deum enim velle ›
peccatori determinata voluntate vitam æternam citra peccatorum remiſſionem, eſt in *Calvini* ſchola atheologon & Socinianum. *Reſp.* 1. Hoc ipſo, quod electio actum remittendi & ſalvandi producat, hoc ipſo non neceſſe eſt eſſentialiter includatur in electione. 2. Non hoc ipſo quod Deus elegit, determinata eſt voluntas ad remittendum, ſed neceſſariò determinabitur: ſunt enim duæ diverſæ determinationes volendi nempe gloriam & remittendi peccata, & prius determinata eſt Dei voluntas ad ſalvandum ut ad finem, & deinde ad remittendum tanquam ad medium, nec hoc eſt atheologon in noſtra ſchola, quanquam ſi rigidè loquamur, unus actus volendi in Deo non eſt cauſa alterius actus, & hoc ipſo, quod homines eligat ad vitam, vult dare Chriſtum & remittere hcc eſt non punire propter Chriſtum, ut poſſit convenienter juſtitiæ ſuæ gloriam intentam dare, non quia

vo-

voluntas intenta in exitium propter peccatum mutetur in voluntatem ſalvandi ex fide tanquam ex cauſa externa, ut ſomniant *Armin.*

Apol. pag. 112. Ob. 7. Juſtificatio eſt actio Dei quam Deus pure pute in ſua ipſius mente efficit, quia nihil aliud eſt quam volitio aut decretum, quo peccata remittere, & juſtitiam imputare aliquando vult iis qui credunt, id eſt, quo vult pœnas peccatis eorum promeritas iis non infligere, eoſque tanquam juſtos tractare & præmio afficere. Hæc itaque Dei actio quomodo propriè effectus dici poſſit fidei & quidem fidei quatenus eſt inſtrumentũ? Certe nos credendo actionem iſtam Dei efficeremus, quo quid abſurdius? *Reſp.* 1. Qui juſtificationem volunt eſſe decretum immanens, ii decrerum æternum vocent neceſſe eſt: actus enim omnes Dei immanentes ſunt revera ipſe Deus agens, ideoque coæterni cum Deo, & quando callide dicunt pro ſuo more juſtificationem eſſe decretum, quo aliquando vult credentes præmiare, ſatis judicant hoc decretum immanens aliquando incipere, & ponere ailquando (hoc eſt in tempore quando homines credunt) novum & temporarium velle in Deo ortui & interitui obnoxiũ, prout homo credit & reſipiſcit, aut non credit, & in peccata grauia relabitur, ideoque Dei decreta & temporanea & mutabilia ſtatuant, neceſſe eſt. 2. Juſtificatio terminative ſumpta non eſt formaliter decretum, ſed actus pactionalis declarandi credentem juſtum. 3. Nos efficere credendo, ut Deus velit aut decer-

cernat ab æterno, eſt abſurdum, quod tamen admittunt *Remonſtrantes*, quando docent Deum ab æterno homines eligere quoniam credunt: at verò non abſurdum, ſed orthodoxum eſt, nos credendo efficere ut Deus nos in Chriſto juſtos declaret conſcientiis noſtris & pronunciet, adeoque nos credendo efficere ut ceſſent effectus iræ & diſplicentiæ Dei modo, pactioni euangelicæ, convenientiſſimo, quo ſenſu nos fidem juſtificationis inſtrumentum eſſe credimus, non quod fides qua opus ſit noſtræ juſtitiæ pars, ſed quod fide amplectamur Chriſtum datum à Deo nobis in juſtitiam fidem manu quaſi apprehendere juſtitiam Chriſti aut remiſſionem attrahere nugas meras vocant, notitiam, aſſenſum aut applicationē eſſe actionem inſtrumentalem vocant. Sed *quia fide præſtita non aliter* (inquiunt *Rem.*) *conſequimur remiſſionem peccatorum, ex promiſſo Dei, quam ſi fides veluti inſtrumentum à Deo data eſſet ad obtinendum remiſſionem peccatorum? inſtrumentum juſtificationis dicitur*. Sed R. 1. Fidem inſtrumentum reſpectu Dei actu juſtificantis nemo noſtrū dixit: at reſpectu juſtificationis paſſive in noſtram conſcientiam terminatæ inſtrumentum, hoc ſenſu appellamus, non quod fides ulla organica cauſalitate Chriſti juſtitiam producat; nugantur qui hoc nobis imputent, aut quod actu reali juſtitiam Chriſti attrahat, ſicut manus pauperis eleemoſynam attrahat (omnis enim ſimilitudo claudicat) ſed quod impletâ per Dei gratiam fidei conditione, adeoque impleto

Apol f. 112.

pletâ per Dei gratiam fidei conditione, adeoque impleto fœdere gratiæ, ex promiſſione euangelicâ, nos juſti declaramur, & ex pacto euangelico ceſſant effectus iræ divinæ, hinc fide, ex hpraſi ſcripturæ, recipimus λαμβάνομεν promiſſiones Dei Gal. 3. Itaqua juſtificatio pactionalis non eſt nuda Dei accetantis nos, æſtimatio, quaſi nihil poneret in nobis: quamvis enim non ponat in nobis expulſionem habitus, & habitualis gratiæ novam introductionem, ut ſomniant pontificii attamen ponit aliquid reale in nobis nempe nos noſtram propriam juſtitiam deſeruiſſe, & juſtitiæ Chriſti propter remiſſionem peccatorum, firmiter adhærere coram judice, & aliud (eſſe) reale ponit in nobis nempe Dei actum juſtificandi terminatum in conſcientiam noſtram, quo non aliter quam debitor qui ſoluto, par ſide-ijuſſorem, ære in quo erat, ita à foro recedimus nacti certiorationem ſolutorum debitorum, quaſi ſyngrapham â Chriſto abſolutoriam.

Remonſt. apol. f 113.

Ob. 8. *Iuſtitiam Chriſti nobis imputari propter meritum & obedientiam Chriſti, in rigore, non eſt verum, niſi dicamus juſtitiam Chriſti nobis imputari propter juſtitiam Chriſti*, quod abſurdum: & *Epiſcop.* idem habet. *Non eſt itaque juſtitia noſtra juſtitia proprie Chriſti, nedum activa aut paſſiva ſed id quod Chriſtus utraqne illâ promeruit, & nos per ſolum Chriſtum Ieſum conſequimur. Non enim juſtitia Chriſti proprie id eſt quod imputatur, ſed id quod imputatur, nobis cre-*

Epiſcop. diſp. 22. de juſtif thes. 5.

credentibus, *ipſum eſt juſtitia*. Hinc ipſe *Armin. de juſtificat. art* 19. *ait*, *an rectè dici poſſit juſtitia Chriſti gratioſe imputari in juſtitiam?* Sed *Reſp.* 1. Nullo modo ſequitur, quia juſtitia Chriſti imputatur nobis propter Chriſti meritum & obedientiam, ideo juſtitia Chriſti imputatur propter juſtitiam Chriſti. Nam Chriſti obedientia non eſt juſtitia ipſius formaliter, ſed tantum cauſativè, eſt ratio & cauſa nimirum juſtitiæ Chriſti: quia enim Chriſtus pleniſſime obedivit ad mortem crucis, ideo reſurrexit fidei juſſor, juſtus & ab ære ſolutus, quo nomine Deus nos ab ære ſolutos & juſtos cenſet, & hoc eſt imputari Chriſti juſtitiam nobis, quod in rigore eſt verum. Nam hæc tria hic ſubordinantur. 1. Deus ex abſoluta libertate cenſet Chriſtum mori, idem eſſe ac ſi nos mortui eſſemus. 2. Chriſtus obediendo ad mortem, juſtitiam fide-juſſoriam acquiſivit. 3. propter talem obedientiam, Chriſtus eſt juſtus fideijuſſoriè, & nos in illo: neque recte dici poteſt Adami peccatum nobis imputari propter Adami peccatum. *Armin. in artic. perpendeddit.*

2. Non dicimus Chriſti juſtitiam imputari propter meritum Chriſti, imo dicimus id quod Chriſtus morte ſua nobis commeruit, nempe juſtitiam Chriſti noſtram eſſe per imputationẽ divinam: non enim ſimpliciter Chriſti juſtitia eſt noſtra ſed juſtitia fide juſſoria ſeu cautionaria. 3. Eo inclinant *Armin.* ut Chriſti jujuſtitia ſit noſtra, non formaliter, ſed effectivè, nempe Chriſtus morte ſua prometuit ut noſter

cre-

credendi actus & bona opera habeantur à Deo judice pro juſtitia noſtra, hoc dicunt aſtutè admodum, ne cogantur admittere Chriſtum vice aut loco ſive in perſona noſtri mortuum eſſe, ſed tantummortuum eſſe in bonum noſtrũ, ut poſſint omnes, por quibus Chriſtus obiit, in æternum damnari & peccatorum pœnas luere, non obſtante juſtitia Dei, quod Chriſtus pœnas pro ipſis dederit. Et hoc habent commune cum Pontificiis. Ita enim *Franc. Suarez Ieſuita. Merita Chriſti non donantur nobis ut formaliter juſtificent, ſed ut ſint pretium quo emamus juſtitiam, qua formaliter juſtificemur, ſicut qui dat alteri pretium, quo emat veſtes, dicitur veſtire illum, non formaliter, ſed effectivè, moraliter, ut conſtat.*

Suarez. de divin. grat. lib. 7. de ſanct. hom. c. 7. ſi. 30.

Remonſt. apol. c. 18. fol. 200.

Ob. 9. Nolunt in juſtificatione omnia peccata remitti. *Pretium* (inquiunt in Apolo:) *fuit perſolutum pro peccatis electorum omnibus commiſſis aut committendis, vel non: ſi non, quomodo pretium iſtud verum pretium eſſe velis? ſi ſic, quid itaque reſtat electis quam ut ſecuri de reliquo dormiant? Reſp.* 1. Meritum *Chriſti* eſt verum pretium, licet non gratiam aut favorem Dei emat, quaſi Deus ex irato in benevolum commutetur, ſed eſt pretium, quia eo dato, poteſt Deus actu bene-facere peccatoribus congruenter juſtitiæ ſuæ. 2. Eſt pretium ſolutum pro peccatis in poſterum committendis, neque eſt quod ſopori & ſecuritati indulgeant; nam iſte eſt abuſus ex pravâ carnis diſpoſitione ortus ex remiſſione peccatorum omnium, non genuinus fœtus remiſſionis, & ta-

& talem ſecuritatem non cadere in regenitum credimus, quippe cui Deus ex fœderis gratioſi promiſſo diſertè promiſit, ſe inditurum in cor ipſius timorem ſui, ut non recedat à Deo, *Ierem.* 32. verſ. 40. 3. Bene eſt quod *Arminiani* velint, peccata electo quædam remitti, quædam non, & admiſſa non imputari, & admittenda imputari, ſed quando Deus admittenda præſciat, an non ad mortem ſimul eundem hominem odio habeat, & eundem ad vitam æternam diligat, quod eſt contrarias in Deo voluntates ponere? 4. Satis ſeſe detegunt *Arminiani*, qui volunt actum juſtificandi, quem ſupra vocabant decretum immanens in Deo, eſſe actum temporalem, coævum actibus liberi arbitri, quod eſt Deum *Protheo* fingere mutabiliorem, qui tot volitiones & decreta figat, refigat, ponat, & reſcindat in horas & annos. 5. Peccata imputata vel expiata ſunt *Chriſti* ſanguine, & pro ipſis ſatisfactum iræ Dei, vel non, ſi ſic, ergo non obſtante quod Deus peccata imputet; electus eſt in gratia cum Deo, & verum pretium ſolutum eſt pro peccatis imputatis: at quæ juſtitia, id imputare in debitum, quod eſt planè ſolutum? Si non, ergo fides electi poſtea credentis, facit ut Deus peccata non imputet, pro quibus tamen non ſatisfactum eſt iræ Dei, & hic erit remiſſio ſine effuſione ſanguinis, vel fides erit λύτρον pro illis peccatis, quod eſt abſurdum. 6. Sed hoc eſt, quod volunt Arminiani Deum non impetraſſe ele-

ctis plenariam remiſſionem, ſed tantum pro iis obiiſſe conditionatè ſi crediderint, quod tamen ipſorum doctrinam evertit, aut fidem noſtram aliquid ſuperaddere ſatisfactioni *Chriſti*, quo compleatur, quaſi in ſe inſufficiens eſſet. 7. Hinc etiam nemo ante obitum eſt verè juſtificatus: Deus enim ſemper peccata admittenda imputabit, cui reclamat ſcriptura quæ teſtatur nos habere pacem in hac vita ex juſtificatione, & acceſſum ad Deum per Chriſtum *Rom.* 5. 1. 2. & remiſſionem peccatorum *Epheſ.* 1. 7. *Col.* 1. 13. 14.

Remonſt. apol ibid. fol. 200.

Objectio 10. Aut pretium hoc ſolutum pro electis eſt acceptatum & ſolutum ſine conditione, aut non niſi cum conditione: Si ſine conditione, quid applicatione aut fide opus eſt? Quis effectus formalis applicationis? Si perſolutum & acceptatum cum conditione; quomodo pro iis perſolutum eſt magis qnam pro reprobis, imo quale beneficium quod à conditione ſuſpenditur? *Reſp.* 1. Hoc argumentum etiam torquebit *Arminianos*, qui volunt abſolutè Chriſtum obiiſſe, ideoque pretium redemtionis ſolviſſe pro omnibus: at tum quæ neceſſitas fidei? Si ſolutum eſt ex conditione fidei, tum Chriſtus tantum mortuus eſt pro credentibus, quod illi negant, neque poteſt ſolvi ex conditione fidei: tum enim, ſi nos qui jam poſt mortem Chriſti vivimus, non credidiſſemus, quod *Arminio* eſt poſſibile. Chriſtus non obiiſſet pro nobis, & ſic non pro omnibus mortalibus, imo

imo ſi fides eſt conditio ſoluti pretii, debebat ſolutionem pretii anteceſſiſſe, & ſic Chriſtus non debebat mori, donec omnes mortales finaliter crederent, quod abſurdum, & ſi mors Chriſti pendet à fide ut à conditione, ſi qui non crederent, debebat Chriſtns pro iis non mori, & ſic adhuc non mortuus eſt pro omnibus. 2. Innuunt hic *Arminiani* Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus abſolutè, ut alibi docent: at verò divina acceptatione ſolutum eſt pretium à Chriſto & acceptatum à Patre, nomine tantum eorum qui credunt: hoc ſi volunt tum mortem Chriſti à pretio miſerè divellunt, tum mors Chriſti quia mors, ſit λύτρον: qui vero non credunt, pro iis Chriſtus pretium redemptionis non dedit. Ergo fides ipſorum, hoc dato, quod crederent, ne hilum ipſos juvaret: non potuiſſent enim eo caſu redimi, ideoque ſalvari, cum pro iis pretium ſanguinis Chriſti non ſit datum: at vero ſi volunt fidem cauſari acceptationem Dei qua mortem Chriſti pro ipſis credentibus acceptet, cum nondum deletum chyrographum, nec peccata priuſquam credamus: at Paulus *Col.* 2. 15. ait, iſta à Chriſto pendente in cruce, ideoque antequàm credamus nos, qui jam poſt mortem Chriſti vivimus, deleta fuiſſe, deinde in filio dilectionis grati & accepti ſumus Deo *Epheſ.* 1. 6. in ſanguide Chriſti *Heb.* 9. 13, 14. non actu fidei. 3. Dicimus ſolutum eſſe pretium pro electis abſque conditione ut ſit ſolutnm, non abſque conditione fidei ut ſit appli-

catum, ideoque neceſſaria eſt applicatio propter juſtificationem pactionalem. 4. Nec eſt pretium illud inane beneficium, ſecundum noſtram doctrinam, quia ſuſpenditur à conditione fidei: nam non agnoſcimus conditionem poteſtativam Arminianam, quam ex Juriſconſultis hauſerunt, quæ eſt ad eſſe & non eſſe: inanis quidem eſſet mors Chriſti, ex tali conditione, ſed ſuſpenditur fructus pretii dati à conditione fidei, quam in nobis indeclinabiliter operatur Deus, pro ſuo beneplacito ſolo.

Cap. III.

An contingentia ſubſint decreto Dei abſoluto, & an admittenda ſint decreta in Deo conditionata? Ad examen vocantur Jac. Arminius, Jeſuitæ, Suarez, Molina, Leſſius &c. Probatur fatum Jeſuitico-Arminianum.

Molin de concor. 11. q. 22. art. 4. diſp. 2. Leſſ de gratiæ effic. c 3. Fonſec. Metaph. lib. 6. c. 2. q. 5. ſec. 3. Valent. to. 1 diſ. 1. q. 22. p. 3. Vaſq. 1. p.

DEcretum abſolutum circa futura contingentia non negant antiquiores, ſed recentiores Scholaſtici, præſertim execrabilis Jeſuitarum natio, *Lodiv. Molina*, *Leonard. Leſſius*, *Pet. Fonſeca*, *Greg. de Valentia*, *Gab. Vaſq. Franciſ. Suarez*, præceptoribus ſuis deeſſe nolunt, *Iac. Armin. Corvinus*, *Nicol. Grevincho.* inter pſeudo-luthera. *Balſcha. Meiſnerus. Iac. Armin.* determinationem quandam agnoſcit, quâ poſitâ cauſa libera eſt abſolutè indifferens

ad agendum, vel non agendum, *ſed determinationem ad alteram præciſè partem magis quam ad aliam negavit*, ideoque verbis ludit, & ipſius determinatio eſt non determinatio, ſed ſolutio cauſæ contingentis à providentiæ nutu, ut docuit *Cicero*, *Epicurus*, & quicunque providentiam Dei negabant. *Francij. Suarez* opuſ. de auxil. lib. 1. de concur. cap. 16. ſ. 6. 7. agnoſcit in Deo prædefinitionem immanentem, quâ finis infallibiliter ſequatur, ex congruâ mediorum, juxta Dei præſcientiam, applicatione: at tamen decretum hoc præſupponit ſcientiam contingentium prius naturâ futurorum, quam decernantur, quod eſt decerni, ſeu poſt-decerni contingentia futura, poſtquam ſunt futura, quod non eſt decretum. Candidiores in hac re *Vaſq.* & *Valent.* Decretum conditionatum appellant. Sed candorem omnium vincit *Fonſec.* qui Met. lib. 6. cap. 2. q. 5. ſ. 7. co. 2. ita loquitur: *Poſſibilis ac vera prædefinitio actuum liberorum futurorum, nihil eſt aliud quam approbativum decretum divinæ voluntatis, quo Deus abſolutè vult, ut ſint futuri.* Alibi rotundè vocat poſt-definitionem. Atqui boni Angeli & ſancti homines approbant bonum futurum, poſtquam eſt futurum, & reprobi Angeli & homines approbant omne malum futurum, poſtquam eſt futurum: non ergo major eſt Dei, quam creaturarum intelligentium, circa futura contingentia providentia, ſi nudam ſcientiam accipiemus. *Gab. Vaſq.* ponit decretum concomitans, ſed eâdem in

tom. 1. diſp. 99 cap. 7. Armin. reſ. ad ar. 7. p. 143. Corv. contra. Boger. p. 2. c 2. Grevinch. p. 363. Meſſin. anthopolo. Sacra decad. 1. q. 4.

providentiam Dei injuriâ. 2. Sed anteceda-neum & abſolutum Dei decretum probo. 1. ſcripturis. 2. ratione. 3. teſtimoniis. Ita Scriptura, Epheſ. 1. *Elegit nos ut eſſemus ſan-cti.* 2. *Theſſ.* 1. 13. *Elegit nos ad ſalutem per ſan-ctificationem ſpiritus & fidem habitam veritati.* E. Deus elegit nos abſolute ad actus liberos ſan-ctitatis & fidei. *Reſp. Suarez.* Decretum hoc præſupponere actus futuros libere juxta con-gruam voluntatis motionem. At diluo ſic, vel præſcit illud fututum, antequam decernat, vel non: ſi prius; imponit lectori: nam quod jam eſt, non magis decerni poteſt, quam heſternus ſolis occaſus, hodie decerni poteſt, futurum non decernitur poſtquam eſt futurum, decretum dat eſſe rei, ut ſit: at quod jam præ-ſcitur futurum jam habet eſſe antecedenter ad decretum: ſi uero Deus præſcit illud nondum eſſe, tum decretum antecedit effectum con-tingentem futurum, quod eſt inſtitutum. 2. Voluntas vel poteſt refragari decreto congruo, vel non: ſi poteſt, non eſt decretum congru-um, ſed incongruum: ſi non poteſt, tam ar-ctè circumſcribitur indifferentia libertatis ab hoc decreto quã ab abſoluto; & ſic indifferentia nõ eſt de eſſentia libertatis, ut alibi docet *Ieſuita*

3. *Eſa.* 14. 27. *Iehovah inivit conſilium & quis irritum faciat?* *v.* 24. *Ne vivam niſi qnemad-modum propoſui, ita extiterit.* *cap.* 46. 10. *Con-ſilium meum ſtabit, delectationem meam facturus ſum.* 11. *Voco ab oriente (perſide) volucrem (Cy-rum* expeditiſſimum bellatorem*) effectorem con-ſilii*

ſilii mei, loqvutus & adducam. Hinc arg. Quod Deus decrevit, id ita fit, ut non poſſit non fieri: atqui Deus decrevit liberam *Chaldæorum à Medis & Perſis everſionem.* Erg. fiet illa libera everſio, ac proinde effectus liber & quidem indeclinabiliter futurus ſubeſt decreto abſoluto, atque omnium contingentium par eſt ratio. Jam audi *Ieſuitæ* diſtinctionem. *Quis* (inquit) *non videat decretum antecedere præſcientiam effectus ſic decreti.* At quis tum non videat (inquam ego) Jeſuitam credere veritati coactum? Jeſuitæ & Arminiani reſ. *Cyrus* neceſſitate conſeqnente, nulla vero abſoluto decreto neceſſitate antecedente, vaſtavit *Chaldæos*, ſed ex præſcientia liberi arbitrii *Cyri*, ſed quorſum dent verba *Iehovæ*, an ſecuri *Chaldæi* hoc in quæſtionem vocabant ipſos vaſtandos fore à *Cyro*, ſi modo vaſtandi eſſent. 2. Logica hæc nova facit probationem Dei ſophiſticam qua ſi probaret idem per idem: hæc eſt concluſio probanda. *Cyrus* delebit *Chaldæos.* Prob. Deus decrevit decreto invincibili ut *Cyrus* deleret *Chaldæos*. Erg. *Cyrus* delebit *Chaldæos.* Conſequen. eſt ipſius Dei. *Arminian.* & *Ieſuitæ* probabunt antecedens: Certum & fixum eſt Dei decretum ex præſcientia liberi arbitrii *Cyri* ſe libere ad bellum determinaturi, & præſcientiæ certitudo nititur certitudine rei præſcitæ (quia nempe *Cyrus* libere delebit *Chaldæos*) non enim res eſt certa, quia Deus præſcivit eum fore; ſed certa eſt præſcientia, quia res eſt certa. Ergo à primo ad ultimum

Suar. de auxil. c. 16. lib. 3. f. 10.

ita argumentatur Deus: *Cyrus* delebit *Chaldæos*, quia *Cyrus* delebit *Chaldæos*. An non hi dati omnia turbent? Et pari ratione omnis probatio à Dei decreto, juramento & promiſſione erit ſophiſtica, & ſcripturæ veritas peribit. 3. Si certitudo & neceſſitas vaſtationis liberæ non pendet à Dei decreto, mihi licebit ſecundum *Ieſuit.* & *Armin.* ita argumentari: Deus juravit & decrevit, ut *Cyrus Chaldæos* deleret. E. *Cyrus Chaldæos* non delebit, & ſic Dei argum. contradicentia probaret, ſi vaſtatio libera totam habet entitatem antecedenter ad decretum, & nullam à decreto neceſſitatem, tam arcta eſt connexio cauſativa aut logicalis inter juramentum vel decretum Dei, & non vaſtationem liberam, quam eſt inter juramentum vel decretum & vaſtationem. Neque ipſos juvat *Fonſecæ* decretum approbativum: nam tam certò res futura, quam ſi Deus futuritionem approbaret, imo certitudo futuritionis tota eſt antecedenter ad approbationem, non minus quam ad decretum. Deinde decretum approbativum eſt repugnans in objecto: nam objectum decreti eſt, quod poteſt eſſe vel non eſſe, juxta libertatẽ Dei decernentis: atqui objectum approbationis eſt ens jam exiſtens, & quod jam eſt, non poteſt non eſſe, & Deus exiſtentiam ſeu futuritionem futurorũ contingentium, quæ antecedenter ad decretum Dei futura ſunt, non magis non poteſt non approbare, quam impedire poteſt, ut illud nunquam ſit, quod jam eſt, quod eſt ſimplici-

plíciter impoſſibile vel *Iovi*, teſte *Heſiodo*.

4. Joan. 15. 16. *Ego elegi vos, & ordinavi, ut vos euntes fructus feratis.* Ergo Chriſtus decrevit, ut Apoſtoli liberè bona opera facerent, orarent, eccleſias plantarent, prædicarent. Quid? an electi ad illa opera ex præſcientiâ liberæ determinationis Apoſtolorum? tum Apoſtoli eligebant Chriſtum, quod negatur in textu. Deinde de illâ liberâ determinatione redibit quæſtio, ſit ne decreta conditionatè, an abſolutè? ſi conditionatè, redibit quæſtio infinities de illa conditione. E. neceſſariò ſiſtendum erit in Dei decreto.

5. Act. 22. 14. *Deus* (inquit *Paulo Ananias*) *elegit te, ut voluntatem ipſius cognoſceres, & videres juſtum illum, & audires vocem ejus.* Ergo *Paulus* erat abſoluté prædeſtinatus ad annunciandum euangelium liberrimè, ut foret teſtis eorum quæ viderat, ut eſt *v.* 15. *Reſp. Armin.* electionem illlam eſſe temporalem Pauli deſignationem ad officium, non decretum æternum. *Reſp.* 1. Hoc gratis dicitur, non probatur. 2. Sed eſto temporalis deſignatio, erat à matris ventre ſeparatus ad apoſtolatum, *Gal.* 1. tum enim abſoluta deſignatio antecedanea conſiſtet cum libertate, quod ipſorum dogmata evertet, & ſic æterna electio abſoluta cum actibus liberis conſiſtere poſſet. Deinde dicunt hanc electionem eſſe extraordinariam, ſed dictata ſine probatione quis ſobrius audiret? ſit extraordinaria, eſt tamen irreſiſtibilis, & abſoluta ſit oportet, non nixa

determinatione libera & tamẽ *Paulus* obediiſſe dicitur vocationi *Act.* 26. 19. Ergo libere euangelizavit: nulla enim eſt obedientia abſque libertate, uti ipſi docent. 2. Fruſtrà *Paulus* exemplar omnibus credituris proponeretur 1. *Tim.* 1. 15, 16. Si *Paulus* ita obedierit ut non poſſet non obedire & reliqui pro indifferente libertate, gratia longe minus efficaciore poterant obedire vel non obedire. 3. Ubi comminatio locum habet, ut clamitant adverſarii, ibi neceſſitas parendi non eſt: atqui *Paulus* comminationibus obnoxius erat, alioqui quorſum dixiſſet, *Væ mihi ſi non euangelizavero. Paulus* itaque & libere obedivit & abſolutè, & irreſiſtibiliter ad actus liberos ordinatus erat, ſecus non peccaſſet *Paulus*, ſi apoſtolicam provinciam ſubterfugio aliquo detrectaſſet.

6. Rom. 8. 29, *Quos præſcivit, eoſdem etiam prædeſtinavit ut conformes eſſent imagini filii Dei.* Atqui homines libere conformantur imagini filii Dei tùm liberrimâ ſub cruce patientiâ, tum vera ſanctitate, neque præſcientia futuræ cooperationis hic locum habet: nulla enim ſolatio ſub cruce erit à Dei prædeſtinatione abſoluta, ſi conditionatè, hoc eſt, antecedenter ad Dei prædeſtinationem, crucem ſubituri eſſent.

7. 1. Theſſ. 3. 3. *Ipſi noſtris ad id nos eſſe poſitos*, hoc eſt, ab æterno conſtitutos, *ut gravia in mundo patiamur.* Epheſ. 2. 10. *Creati ad bona opera, quæ præparavit Deus ut in iis ambularemus.*

remus. Ergo abſolute ordinati ſumus ad actus liberos. *Reſp. Armin.* non eſſe nos creatos ad bona opera abſolute, quia in vanitate cordis ſui ambulare poterant *cap.* 4. 17. *Reſp.* 1. non ſequitur. 2. pugnat cum ſcopo Apoſtoli qui probat nos ſalvari non ex operibus, quia bona opera (inquit) ſunt cauſaliter ex divina ordinatione gratioſa, ſed ſi antecedant talem ordinationem, non ſunt ab ea cauſaliter. 2. *Reſp. Suarez. ad ſummum tantum colligi beneficium prædeſtinationis qua Deus parat nobis auxilia ſupernaturalia, quibus adjuvemur ad bona opera.* Hinc contendunt *Arminiani Deum* abſolute decreviſſe normam ſanctè vivendi, non verò libertatem ad actus liberos prædeterminaſſe. *Reſp.* 1. textum jugulant miſerè. Nam *Paulus* non ait nos creatos ad gratiam aut auxilia ſupernaturalia: quid enim hoc faceret adverſus operarios, qui id non negabant, ſed ad bona opera ex gratia? 2. Nec eſt ſermo de conditura Euangeli, ſed de præconſtitutione noſtri ad parendum euangelio: *nos* (inquit) *ipſius creatura ſumus v.* 10. 3. Non ſic *Paulus*, negatum concluderet. Quid? Deus præparavit euangeliū & auxilia ſupernaturalia quibus bene operemur: Ergo non ſalvamur ex operibus, non ſequitur. Ipſi negant hanc conſequentiam: operarii enim fidem cum operibus, plerique ſaltem eorum, conjungebant. 4. *Armin.* verò contendunt decretum abſolute fuiſſe euangelium de ſalvandis credentibus, & ſi nullus mortalium ſalvaretur, quod

Suarez. opuſc. de auxil. gra. l. 3. c. 15. ſ. 7.

quod Jeſuitæ meritò non ferent: ſic enim inanis eſſet Dei intentio, & fruſtraneum decretum, ideoque par eſt ratio, ſive Deus abſolutè præſcripſit euangelium liberè agentibus, ſive agentia libera abſolute prædefinivit ad liberam obedientiam euangelio præſtandam. Et hoc reſponſo ſtabilitur noſtra ſententia.

8. Luc. 24. 44. *Oportet* (inquit Salvator) *impleri de me, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, in Prophetis, in Pſalmis.* v. 26. *Oportuit Chriſtum iſta pati.* Ergo foſſio manuum & pedum, lateris perforatio, deriſio, cæſio corporis, *Iudæ* proditio, & omnia ejuſmodi, quæ liberrimè, fiebant, ex definito Dei conſilio fiebant, *Act.* 2. 24. Quid hic adverſarii? Iſta omnia fiebant conditionatè. At quâ conditione? Nempe ſi Deus vellet, apage, decrevit, ſi decrevit, vel an ex præſcitâ pravâ inclinatione hoſtium decrevit permittere? at eſt hæc nugatoria principii petitio; nam illa prava inclinatio; & malevolus animus *Iudæorum in Meſſiam ſuum*, principem locum tenet inter illa, quæ *Chriſtum* abſque cauſa, ut in lege ſcriptum erat (*Ioh.* 15. v. 25.) exoſum, pati neceſſe fuit, & an illa prava inclinatio fuerit à Deo decreta, quæritur, & ſi decreta, utrum abſolutè, & ſic habemus intentum, vel conditionatè, & rurſus idem ſaxum voluntandum redit, quâ conditione? Nempe hoc eſt myſterium *σοφίας Arminianæ*, poſtquam omnia de *Chriſto* ſunt impleta, & futura antecedenter ad ullum divinæ voluntatis actum, Deus iſta

fieri

fieri voluit, hoc eſt, ſi jam ſunt, vult & decernit, ut ſunt, atqui ſic ego decerno creationem mundi & peccatorum redemptionem, poſtquam jam ſunt, volo ut ſint. Imo hoc modo Diabolus Jobi cruciatus decrevit, quod ad voluntatis actus attinet.

9. Jer. 1. 5. *Priuſquam formaſſem te in ventre, agnovi te, & quum nondum prodiiſſes ex vulvâ, ſanctificavi te, Prophetam ipſis gentibus conſtitui te.* Atqui libere prophetavit *Ieremias* comminatione & promiſſionibus tractus. c. 1. v. 17. c. 15. 19. 20. Sed & Decreta conditionata cum Dei natura, & proprietatibus omnibus è diametro pugnare evinco, & cum univerſo hominis officio, & vera contingentia, Deumque fato, res fortunæ arbitrio emandare. 1. *Argum.* eſt à providentia Dei, quam decretum conditionatum funditùs evertit. 1. Si res non ſunt decretæ, niſi conditionatè, ex præſcientiâ quid jam ſint, tum habent eſſe antecedenter ad Dei decretum: atqui ſic præter intentionem Dei, ideoque caſu fient. *Reſp. Fonſeca:* non ſequitur ea caſu fieri, quia poſtquam ea fore prævidit Deus, intendit, & *Leſſius* ait, id caſuale eſſe, & fortuitum, quod neque præſcire, neque declinare poſſumus. Sed *Reſp.* 1. Ipſe *Fonſeca* ſui oblitus alibi ait, iſta fortuito evenire, quæ præter intentionem cauſæ liberæ fiunt. Ita *Ariſto.* 2. *Phyſ. c.* 5. *Ita Doctor. Conymbricenſes* 16. Fortunâ (inquiunt) *fiunt, quæ non tantum præter ſcientiam, ſed etiam præter intentionem agentis fiunt.* 2. Si nuda

1. Argum. à provid. Dei.

Fonſec. Met. lib. 6 c. 2. q. 5. ſect. 11. Leſſius de grat. effic. c 4. Fonſeca Metaph. 7. tex. 7. in Comment. c. 7. Colleg. Conymb. comment. phyſ. 2. c 5. q. 1. a. 1.

nuda notitia rei & volitio, ut ſit poſtquam jam eſt, ſufficit ad providentiam, tum qui invenit theſaurum poſtquam invenit, habet providentiam perfectam de theſauro: ſcit enim illic eſſe theſaurum, & non tantum vult & approbat ut illic ſit, ſed & non mediocri gaudio perfunditur: at non habet præſcientiam theſauri priuſquam in ipſum caſu incidat, ideoque non habet circa ipſum (forte dicerent) providentiam, ſed reſp. providentia Dei hoc caſu erit humanâ perfectior, ſolo præſcientiæ actu, non voluntatis, atqui providentia formali ſuo conceptu claudit volitionem rei, non nudam ſcientiam. 3. Repugnantia dicit *Fonſeca*, nempe Deum præſcientem rem fore intendere, ut ſit: nam poſtquam res eſt, non magis intendi poteſt, ut ſit: quam creatio mundi hodierno die decerni poteſt. 4. Aſtrologus præſcit futuram eclipſin, & etiam vult ut ſit tali tempore, uti ipſe prædicit, ut famæ ſuæ conſulat: at per *Fonſecæ* rationem *Aſtrologi* habent circa eclipſeis providentiam, non minus, quam ipſe Deus. 5. Deus non poteſt declinare futuritionem rei contingentis, poſtquam futura eſt, neque ipſam avertere. Ergo habet nudam præſcientiam circa ipſam.

Argum. 2. 10. Peribit etiam Deo laus providentiæ particularis, & univerſa gloria in egreſſu ſortium è gremio, in cæſione hominis, ut videtur caſu, à ſecuri percuſſi, in reſponſione *Exod.* 21. 13 linguæ, quam ſcriptura ait eſſe à Deo, nem- *Prov.* 16. 33. pe quando tres aut quatuor ſunt meditationes in

in corde, cur una potius, quam alia, poſthabitis tribus, exiliat ad linguam, alia ratio reddi non poteſt; quam divinæ providentiæ determinatio. Audi quid ad caſualem occiſionem viatoris *Exod.* 21. reſpondeat *Corvinus*. *Non* (inquit) *expreſſe Deus voluit, ut ſecuris de manu ejus decideret in caput occiſi. Neque juxta eam voluntatem* (*abſolutam*) *manum direxit, ut & caderet & ita quidem caderet: ſed Deus cum caſum iſtum providerit, & impedire ac aliò dirigere poſſet, impedire, ac aliò dirigere noluit.* *Reſp.* 1. Dicit fraudulenter pro ſuo more (non expreſſè voluit, ut caderet ſecuris) pro eo, quod debebat dixiſſe (non abſolutè voluit, ut caderet ſecuris) ſed quæro an conditionate voluerit, ut caderet? At conditionem flagito, non alia fingi poteſt, quam ex hypotheſi quod ſecuris caderet. En egregium ſolamen tum cædenti, ſi forte patrem interemerit, tum cæſo moribundo, quod principium interitus ſit à ſecuri, non à Deo. At dicerent eſſe à voluntate conditionata Dei, quod ſecuris caderet: at vero quæ fingi poteſt conditio? Nam ex ipſorum placitis ſecuris antecedenter, ad Dei decretum caſura erat, ò fortunam. An conditio petenda erit à voluntate viatoris illuc libere conferentis, quando ſecuris decidit? Et tum miſer viator in ſua libertate contingente, non in Deo quærit ſolamen, nullus hic locus providentiæ. 2. Hic nullum actum providentiæ agnoſcit præter ſolam (neſcio quam) prævifionem ſeu præſcientiam: at vero

Corvin. cont. Molin. c. 3. l. 14.

ea nec eſt cauſa boni vel mali, ſed futuritionem utriuſque præſupponit: 3. Deus (inquit) caſum prævidit, ac aliò dirigere noluit: nullus hic actus eſt providentiæ poſitivus, ſed negativus, nempe non directio ſecuris. 4. Urgeo verò ſic: vel aliò dirigere noluit, voluntate abſolutâ; vel conditionatâ: ſi prius, habeo inſtitutum: tum enim contingens occaſio eſt, abſolutè à Deo decreta: ſi poſterius detur, quæro, quâ conditione noluit aliò dirigere, nempe ex hypotheſi, quod viator illuc liberè ſe conferret in eo temporis articulo, quo in caput exciperet ictum ſecuris? At vero tum falſò dicitur, Deum potuiſſe aliò ſecurim dirigere; & noluiſſe, imo ſic, ex hypotheſi quod exciperet viator ictum; non potuit Deus aliò magis dirigere; quam efficere poteſt, ut quod jam eſt, non ſit. Imò ſi ſecuris ſe ad cadendum determinet antecedenter ad Dei decretum, uti ipſi docent, Deus non potuit aliò dirigere ſecurim, ſic enim efficeret, ut quod jam eſt, non ſit; quod ſimpliciter impoſſibile eſt; ideoque Deus fato hic conſtrictus, viatoris occiſionem non potuit antevertere, aut præpedire. 5. Si dixerint, Deum potuiſſe impediiſſe confluentiam horum trium actuum contingentium, nempe actus cædendi in occiſore 2. actus proficiſcendi illuc in occiſo, & 3. dilapſus ſecuris, redintegro argumentum: Hæc tria contingenter agunt tali momento, quo cæditur viator. Ergo Deus vel voluit, ut tali tem-

tempore agerent, abſolutâ voluntate, & ſic habetur inſtitutum adhuc, vel voluntate conditionatâ, & tum requiro conditionem ex hypotheſi, ſcilicet quod tum agerent, & ſic Deus non potuit occiſionem præpedire, niſi neceſſitatati conſequenti obviam iret, quod eſt ſimdliciter impoſſibile. Hic vides non obſtante Dei voluntate occiſionem fieri poſſe, vel non, etiam invito Deo, & deum fato conſtringi: quem igitur viator manè oraret ut improviſam mortem effugeret, aut cui veſpere, declinatæ mortis gratias religiosè ageret? Non Deo, cujus voluntate non facta eſt occiſio (fit enim occiſio antecedenter ad Dei voluntatem) neceſſe eſt itaque *Armin.* fortunæ, ſeu novæ Deæ contingentiæ aras, & ſacrificia nſtituant, preces concipiant, & *Iehovah* noſter providentiâ ſuâ cadat. 6. Poſitâ voluntate hac conditionatâ, *Matthias* cooptatur in cœtum apoſtolorum, ex hypotheſi quod cadat ſors ſuper ipſum, & exit ei ſors bona ex hypotheſi, quod exierit & non poteſt non *Matthias* ad apoſtolatum evehi. Non eſt ergo quod Deo gratias ageret hoc nomine, quod ſorte electus fuerit. 7. Dicendum etiam tot injurias illatas innocenti ſalvatori, tot lapſus hominum & angelorum etiam in nunquam finiendos cruciatus, fieri voluntate Dei conditionatâ, ideoque antecedēter ad Dei æternã intentionem & decretũ. Mihi crede, Arminianiſmus erit merus Atheiſmos.

11. Certum numerum animarum à Deo abſolute decerni certum eſt. Ergo actus li-

 beri

beri generandi, per quos corporibus uniuntur, abſolute à Deo decernuntur. Hic vel dicendum numerum electorum non eſſe certum, & Deo definitum, quod non ferent aures theologicæ, vel cedendum eſt veritati, quod & facit *Suarez*, qui dicit omnia moralia media prædeſtinationis probabiliter à Deo abſolute definiri, ideoque probabiliter falſum ille dicit actus liberos non poſſe abſolute à Deo dedecerni. Neque auditu dignum eſt, quod ait *Fonſeca*, præfinitas eſſe animas, prout ſunt partes eſſentiales mundi, non vero reſpectu infuſionis in corpora. Nam 1. quis diceret à Deo præfiniri animas quod ſint, non verò quod ſint, cum *Davidis* membra omnia libro Dei inſcripta ſint. *Pſ.* 139. 16. 2. Poſſibilis eſt *Fonſ.* theſaurus animarum apud *Deum* corporibus nunquam uniendarum, ſiquidem homines nunquã generarent, uti ipſis eſt liberum: quis tales ſuſtineret conjecturas?

Suarez. de auxil. l. 2. c. 7. ſ. 1.

Fonſeca. Met. l. 6. c. 9. q. 5. ſect. 11.

12. Pugnat hoc decretum cum Dei omnipotentia, ergo non eſt ferendum. Prob. anteced. ſi omnes actus liberi habent *eſſe* antecedenter ad Dei voluntatem, tum etiam antecedenter ad Dei omnipotentiam. Prob. connexio. Quoniam cauſa omnium rerum eſt potentia Dei per liberam ipſius voluntatem determinata. Ideoque ne Deus quidem poteſt efficere, ut plures ſint actus volendi aut nolendi, quam ſint, nec eſt penes Deum ut plures ſalventur, quam qui ſalvantur, aut pauciores, aut plures vel pauciores damnentur vel

2. Argum. ab omnipoten.

inter

inter homines & angelos, quam qui damnantur & certe ſi effectus contingentes ſunt futuri antecedenter ad Dei decretum, non poteſt omnipotentiâ ſuâ Deus efficere, ut non ſint futuri, qui jam ſint futuri; non magis quam Deus poteſt efficere, ut id non ſit, quod jam eſt: ſimplciter enim impoſſibile involvit contradictionem, & nullo modo poteſt eſſe objectum omnipotentiæ. 4. Pugnat cum Dei ſapientia etiam: nam ſic divina ſapientia nihil ſtatuet omnino de ordine volitionum humanarum aut Angelicarum: atqui ordinem abſque primo ordinante nemo philoſophorum ſtatueret. Prob. connexio. Nam ſi *Petrus* prius hoc eſt voliturus, quam Deus decreverit, ut vellet, tum non eſt penes Deum ut *Petrus* prius vellet A. quam vellet B. & prius vellet B. quam vellet C. Neque eſt penes *Deum* quod prius ſceptrum *Iudæ* ſit ablatum, quam veniret Chriſtus: nam non obſtante Dei voluntate, poterant *Romani* non abſtuliſſe ſceptrum *Iudæ*, donec ageretur annus viceſimus poſt *Chriſti* reſurrectionem. Item poterat Dominus *Aſini* negaſſe Domino *Aſinum* certo illo die, quo implenda erat *prophetia Zach. c.* 9. 9. Poterat homo prius peccaſſe, quam *Angeli* non obſtante decreto, poterat *David Keilâ* non exiiſſe, donec adveniſſet *Saulus*; & infinita alia quæ fiunt hoc anno poterant fieri anno ſuperiore, quicquid in contrarium ſtatueret Dei ſapientia. 5. Pugnat cum abſoluta Dei libertate, & Dominio in crea-

Argum. 4.

Argum. 5.

turas. Nam ſi *Petrus* antecedenter ad Dei decretum credat, & *Judas* finaliter non credit, conſtituunt ſeſe formale electionis, & reprobationis objectum, ita ut cum Dei juſtitia & conſtantia pugnet vel non, electio *Petri*, vel non-reprobatio *Judæ*. Tollitur itaque Dei libertas in prædeſtinatione.

13. Duo ſunt hic effugia. 1. *Ieſuitæ* dicunt Deum per ſcientiam mediam præſcientem fidei & infidelitatis actus, quoſdam in tali rerum ordine & circumſtantiis collocaſſe, in quibus eos credituros ad finem præſcivit, damnandos vero in contrario ordine collocaſſe; ideoque Deo conſtare ſuam libertatem *R*. 1. Audio commentum Pelagianum. 2. Cogentur hic admittere hominum ſalvationem & damnationem ex abſoluto decreto' & cur non etiam exercitium libertatis ex eodem decreto ſtatuent? Imo poſtquam abſolute decrevit quoſdam ſalvare, illi poſſunt abſolute ad finem non credere ex ipſorum doctrina, & ſic fruſtraneum erit Dei decretum. At dicerent Deum ita movere abſolutè ſalvandos, quo modo juxta præſcientiam ſuam videt eos ad finem credituros. At vero ſic diluo, ſi antecedenter ad Dei voluntatem ſunt non finaliter credituri, adhibitâ motione congruiſſimâ nunquam credent. 3. Quomodo Deus antecedente voluntate velit ſalutem omnium hominum citra exceptionem ut docent *Ieſuitæ* ex loco 1. *Tim*. 2. & tamen quoſdam velit abſolute damnari & ea de cauſa locare, in eo rerum ordine, in

quo

quo non crediturosfinaliter, adeoque damnandos præſcit. Credo ego omnibus ſanioris cerebri eſſe prorſus ἀκατάληπτον. 4. Neque hi Davi effugient: Obj. enim ſcientiæ mediæ eſt prius ipſa ſcientia: nam omnis ſcientia ſuum objectū præſupponit. Ergo prius natura erat libera Dei collocatio ſalvandorum in tali rerum ordine, in quo ad finem ſunt credituri, & idem verum eſt de damnandis, ergo ſi antecedenter ad Dei ſcientiam collocantur in eo,quo nunc collocantur ordine, tum etiam & antecedenter ad Dei decretum: nam docent hanc mediam ſcientiam antecedere Dei decretum. Neque poſſunt negare, quin libera illa collocatio, & omnes actus Dei liberi, ſint objectum ſcientiæ mediæ. Ergo adhuc Dei libertas in ſalvatione & damnatione hominum nulla eſt, quia ſunt ſalvandi & damnandi ante actum libertatis. 5. Damnandi in tali ordine locati, vel neceſſario credunt, vel liberè. Si prius, perit theologia *Jeſuitica*: ſi poſterius, poſſunt ad finem credere, ac proinde non obſtante illa locatione, faciunt ſe antecedenter ad Dei decretum objectum electionis & reprobationis. Et non poſſunt non ſalvandi ſalvari, & qui damnantur, non damnari,etiam Deo invito.

14. Sed quoniam obiter hoc argumentum evertit prædeſtinationem *Arminianam* ex præviſa fide, non erit inutile paulò preſſius urgere effugia *Arminianorum*. Nam *Corvinus* vult Dei libertatem eſſe cauſam electionis, non liberam fidei obedientiam, *quoniam* (inquit) *Corvin. ſeu Mo-liu c. 17. ſ. 1. p. 266.*

Deus in genere ſtatuit ſervare fideles, etiam in genere eligit hunc vel illum credentem in individuo, quatenus ſic pars ſeu id quod habet modum partis imititur toti. Nam ſingularia ſub univerſali, tanquam pars ſub toto comprehenduntur. Reſp. 1. Conſtat quidem Deo libertas in generali decreto, quo ſtatuit ſalvare credentes cum poſſet, ſiquidem voluit, ſalvare operarios, ſed non conſtat Deo ſua libertas in particulari decreto, quo Petrus, non *Iudas* eligitur. Nam primo fiat hic ſyllogiſmus, Deus eligit omnes credentes, atqui *Petrus* credit, ergo Deus eligit *Petrum*. Concluſio nullo modo eſt vera propter veritatatem majoris, alioqui etiam concluſio hujus ſyllogiſmi eſſet vera qnoniam vera eſt major. Omnis arbor eſt ſubſtantia, atqui *Petrus* eſt arbor,ergo *Petrus* eſt ſubſtautia.Atqui vel tyrones in rudimentis Dialecticæ vix initiati ſciunt, majorem veram non reddere concluſionem veram, ſed & majoris & aſſumptionis veritatem ſimnl junctam eſſe cauſam totalem, cur concluſio ſit vera. Itaque aſſumptio (*Atqui Petrus credit,*) nec eſt certa, nec vera, quoniam Deus eligit omnes credentes: arenoſa itaque eſt hæc conſequentia. Deus eligit omnes credentes ex ſuo beneplacito, ergo ex ſuo beneplacito eligit *Petrum*: nam *Petrus* poteſt non credere, & tum non eſt electus, etiam ſtante veritate hujus, quod Deus elegerit omnes credentes. 2. In generali decreto nullam cauſalitatem Deus exercet aliam, ad electionem *Petri* potius quam *Iudæ*; nam ſtan-

te generali decreto de ſalvandis fidelibus, poteſt *Iudas* eligi & *Petrus* non eligi: nulla itaque eſt Dei libertas in electione *Petri* potiùsquam *Iudæ*, ſed quando *Petrus* liberè crediturus eſt antecedenter ad Dei decretum, vel fato coactus & neceſſitate Deus eliget *Petrum*, vel retractabit decretum generale & definet eſſe verax & juſtus. 3. Quæro an Deus abſolute decernat ſalvare credentes, priuſquam præſciat, ſintne aliqui credituri, nec ne, an vero neſcius, ſintne ulli credituri: ſi hoc poſterius dicetur, tum inſulſum & fatuum eſt decretum generale: poterat enim ſic decreviſſe liberare ſalvatorem per pluſquam 12. legiones angelorum: ſi vero prius, præſcit ſintne aliqui credituri, tum generale decretum non eſt abſolutum, ut ſtatuit ipſe *Arminius*, ſed conditionatum, & homines præſciuntur credituri priuſquam Deus media fidei dederit, quod invertit ordinem decretorum *Arminianorum*, ſed hoc obiter dici volo. *In decla. ſenten.*

15. Neque penes Dei libertatem eſt & Dominium quod *Aſſyrii*, *Chaldæi*, *Ædomitæ*, *Ammonitæ* &c. vaſtent eccleſiam Dei, vel non vaſtent, quod *Sabæi* ſpolient *Iobum*, vel non, quod decem tribus deficiant à familia *Davidis* propter idololatriam *Salomonis*, quod *David* filios generet, ex quibus naſciturus eſt Chriſtus. Siquidem hæc omnia fiunt liberrime & antecedenter ad Dei decretũ. Itaque non obſtante Dei Dominio non poſſunt non fieri, & ſic *Deus* fato nexus eſt ab hiſce theologaſtris, dum *Argum. 6.*

hominès fato commentitio eximere conentur.

16. Pugnat cum infinita divinæ naturæ perfectione: nam ſi voluntas Dei pendet à determinatione cauſæ contingentis, tum Dei natura non eſt infinitè perfecta: atqui ſi Deus non decernat contingentia, donec ſint futura, Dei volitio pendebit ab operationibus cauſæ contingentis, imo ſic Deus ad agendum determinabitur per entia creata: nam poſita futuritione effectus contingentis, neceſſario movebitur ad decernendum, nam non poteſt Dei voluntas eſſe indeterminata circa futura contingentia, inter quæ ſunt multa bona & actus ſupernaturales fidei, amoris, reſipiſcentiæ &c.

Argum. 7. 17. Pugnat cum primæ cauſæ dignitate ſupremâ, quæ eſt ut ſit cauſa omnium entium: atqui hæc ſententia ſtatuit omnia futura contingentia futuritionem habere, & è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis ab æterno tranſiiſſe, antequam accederet nutus & libera primæ cauſæ volitio, ideoque Dei voluntas non erit prima cauſa omnium, contra ſcripturas luculentas *Rom.* 11. 36. *Act.* 17. 28. *Prov.* 16. 17. *Apoc. c.* 4. 11. & ſic Deus non erit primum efficiens & ultimus finis omnium entium: ſi enim entia habent eſſe antecedenter Dei ad determinationem liberam & intentionem, in illo prioritate ob nullum finem ſunt, neque gloriæ Dei inſerviunt, quia omnia media divinæ gloriæ illuſtrandæ habent eſſe in Dei intentione: atqui hæc antevertunt Dei intentionem.

Argum. 8. 18. Pugnat etiam cum Dei æternitate: nam

nam ſi Dei volitiones ſint poſteriores volitionibus creatis & temporariis, non ſint æternæ. Atqui ſi contingentia futuritionem habent ante Dei decretum, erunt priora Dei volitionibus.

19. Pugnat cum Dei immutabilitate: nam ſi Deus antecedenter ad determinationem cauſæ contingentis ipſam flectit, & quo vult determinat, ut habet ſcriptura, *Prov.* 21. 1. vel decrevit antecedenter ad illam determinationem, ita movere & flectere cauſam contingentem, vel aliquid facit in tempore, quod ab æterno non decrevit facere, quod Deum facit mutabilem. *Argum.* 9

20. Cum juſtitia Dei, quatenus declaranda eſt, pugnat: fieri enim potuit, ut omnes, ſiquidem vellent, obedirent, tum homines, tum angeli, & ſic locus non fuiſſet Deo etiam volenti patefacere juſtitiam vindicatricem; & per eandem rationem poterant omnes non obedire, & ſic in æternum, non obſtante Dei ſapiente decreto, latere potuit miſericordia, quã Deus patefacere irreſiſtibiliter decreverat. *Argum.* 10.

21. Pugnat cum gratia Dei, & gratuito amore: non enim Deus ex voluntate regenerat nos, ut docet *Iacobus c.* 1. *v.* 18. Neque ex immenſo erga nos amore, uti ait *Paulus Eph.* 2. 4. Neque ſecundum gratioſum beneplacitum, ut ait *Chriſtus Matt.* 11. 26. ſed ex debito & neceſſitate: nam antecedenter ad actum gratioſæ voluntatis, regeneratio noſtra futuritionem habuit, & quod eſt futurum, Deus non potuit antevertere quin ſit futurum. *Argum.* 11

Argum. 12. 22. Hoc decretum etiam invertit euangelium: ſtatuit enim euangelium humiliationem & ſalutarem triſtitiam antecedere exaltationem & gaudium, at vero quatenus hæc, ſæpe liberè fiunt, eſt penes homines prius gaudere, quam ſeſe humiliare, neque poteſt talis ordo dici Dei decretum, nam antecedenter erat ad decretum, deinde euangelium eſt liberum Dei decretum de effectione cordis novi, in electis, de indurandis reprobis, de liberanda eccleſia, per agentia libera; de delendis hoſtibus Chriſti per bella cruenta, quæ libere fiunt, de humiliatione electorum per ærumnas & tentationes permultas, quæ ipſis accidunt per contingentes cauſas, nempe mundi odium &c. At vero hoc decretum ſtatuit, hæc omnia fieri antecedenter ad Dei decretum, imo ſalvatorem interimi, apoſtolos flagellari, martyres occidi, antichriſtum dominari tyrannicè, *pſeudo-chriſtos* decipere, & ſeducere multos, electos perſeverare, hypocritas deficere antecedenter ad Dei decretum, & hoc eſt totum euangelium eſſe fortuitum rerum eventum, & confluxum præter & ante ſapiens Dei decretum, contra ſcripturas, *Epheſ.* 3. 9. 1 *Cor.* 2. 7.

Argum. 13. 23. Hoc decretum omnem patientiam ſanctorum in ærumnis tollit: quorſum enim *David* in domino ſe ſolaretur *Pſal.* 39. *Tacui* (inquit) *quia tu feciſti*, ſi antecedenter ad Dei decretum factum eſt eſt ei malum ab hoſtibus, qui contra *Shemei* convitia in Deo ſolatium

quæ-

quæreret, ſi convitia illa futuritionem habuerint antecedenter ad Dei decretum: nam ſanctis ad Deum confugientibus, Deo eſſet in promptu reſponſio: ferenda, non flenda (mi filii) ſunt iſta mala, quæ à mundo & cauſis contingentibus inferuntur: nam evenerunt illa, priuſquam ego quicquam de ipſis decreveram, fortuna prius aleam jecerat ab æterno, ego non potui non ſubſcribere adverſæ iſtæ fortunæ: non eſt itaque quod in me ſolamen ærumarum veſtrarum quæratis. An non frigida erit piorum conſolatio in Deo? *Argum* 14.

24. Neque fides hic locum haberet: nam quorſum ecceſia in bello in auxilium *Iehovæ* contra hoſtes ſperaret? nam antecedenter ad Dei decretum, rata erat victoria & fataliter ſtatuta, neque contra mortem improviſam & immaturam valeret; quod ſpiritus ſanctus ait *Iob.* 14. 6. *Præciſi ſunt dies ejus, numerus menſium penes te eſt, limites ei feciſti, quos non tranſgrediatur.* Nego (inquit *Corvinus*) *decreto merè abſoluto fixos eſſe, niſi quatenus conceſſum eſt ſemel mori, & poſt judicium; ſed ſi horam ac articulum mortis præciſo decreto, ita vis ordinatum eſſe, ut ſimul præciſe decretum ſit, quod homo tali momento, tali modo, per talia media ſit moriturus, eo modo terminum vitæ fixum eſſe nego.* Imo contra ait fieri preces pro longævâ vitâ, inde ſequi ordinari à Deo, ut quidam ſeſe necarent & fruſtraneam eſſe medicinam. Sed reſp. 1. *Iobus* non illic diſſerit de neceſſitate moriendi ſimpliciter, ſed tali præciſo tempore. *Iobus* ait ita fixos *Corv. cont. Mol. c.* 24. *f.* 33.

fixos

fixos eſſe menſes & dies ut ipſos tranſgredi homo non poſſit, atheus novator non verecundatur Deo obloqui, quaſi homo per preces, per medicinam poſſit ultra à Deo præſcriptum momentum vitam prorogare. 2. Limites negat abſolute eſſe fixos. Vis ergo figi limites conditionate: at cedo conditionem nempe ex hypotheſi quod morbus lethalis tali tempore ipſum invaſerit, ac deinde redibit quæſtio, an iſte morbus lethalis tali tempore invadens ſit abſolutè, an vero conditionatè ordinatus: ſi prius, habetur inſtitutum: ſi poſterius, rogito denuo conditionem, & tandem Sophiſta nos huc deducet ut dicamus Deum hoc ordinaſſe, ſiquidem hoc futurum ſit, riſum teneatis amici. 3. Modum, horam tenebrarum: qua caperetur Chriſtus, genus mortis, manuum & pedum confoſſionem, ſatellites mortis, ſepulturam &c. à Deo fuiſſe, Chriſto ordinata ait ſcriptura, modum mortis *Ieſabelis*, & mortem, *Achabi* mortem præciſè Deus decrevit. 4. Adventum glorioſum Chriſti oramus, *Apoc.* 22. 20. At Deus diem adventus præconſtituit *Act.* 17. 31. Non aliter hic Sophiſta argutatur, quam Diabolus cum *Chriſto Matt.* 4. *Deus præfecit angelos tui cuſtodes, Ergo dejice temet è pinaculo templi.* Ita ille: Deus abſolute decrevit horam & modum mortis: fruſtranea ergo medicina, inanes *preces*, vana periculorum prudens declinatio. 5. Fruſtra ſperarem placidam mortem & repentinæ mortis declinationem à *Iehóva*, ſi

rata

rata fuit mors & fixa, quoad modum, genus, media, locum & tempus, prius naturâ quam *Iehova* ſuo decreto quicquam de morte mea ſtatuerit; quorſum enim fiderem in *Iehova*, quod eſt futurum antecedenter ad ipſius voluntatem, non poteſt ille vel ſuâ omnipotentiâ efficere ut non ſit futurum. *Argum.15.*

25. Fruſtraneæ ſunt preces, & gratiarum actio, & gratitudo omnis in Deum ex hoc decreto, quorſum deprecarer flagellationem linguæ, latronum in itinere manus violentas, incarcerationem, contagioſas peſtilentias ex convictu cum morbidis, mortem inopinam ex ruina ædium, uxoris & liberorum mortem immaturam & acerbam, longævitatem, dierum decurtationem, ſpoliationem ab hoſtibus, ædium incendia & infinita alia quæ miniſterio contingentium cauſarum eveniunt mala? Cui uſui pro hiſce Deum precibus ſollicitarem, & ſupplicarem? hæc enim omnia ratam fixamque futuritionem habuerunt ab æterno antecedenter ad Dei ſcientiam mediam, & multo magis ad Dei voluntatem. *Argum.16.*

26. Quorſum *Iobus à Sabæis* ſpoliatus nomini *Iehovæ*, qui dat & aufert benediceret? ſpoliatio enim illa totum eſſe futurum habuit citra & ante omnem Dei volitionem. Quorſum miles rerum potitus victoriis præclarus in dextra *Iehovæ* in bello præpotentis gloriaretur? *Pſal.* 20. 7. *Argum.17.*

27. Verbum, promiſſiones, & comminationes fruſtra planè à Deo adhibentur ea inten-

intentione ut homines ad obedientiam perducerent, aut ut reprobi inexcuſabiles fierent; per voluntariam ſuam contumaciam,' fruſtra enim Deus eorum obedientiam intendit, quorum obedientia totum eſſe habet ante talem intentionem, fruſtra per negationem auxilii efficacis intendit reproborum contumaciam in pœnam ſcelerum antegreſſorum, quando Dei volitio nullo modo eſt talis pœnæ cauſa: tol-
Argum. 18. litur itaque omnis miniſterii neceſſitas.

28. Fruſtra etiam ſpiritus ſanctus operatur in nobis ſalutarem curam & ſolicitudinem operandi ſalutem, & ſtudium & zelum bonorum operum; quando illud ſtudium & ſollicitudo fataliter antecedunt omnem Dei tum præſcientiam tum volitionem, fruſtanea etiam omnis Dei actio in mentem, voluntatem & affectus, ea intentione ut ſanctificemur, quando antecedenter ad omnem Dei intentionem perficitur ſanctificatio noſtra: idē enim eſt, ac ſi Deus id intenderet facere, quod jam factū eſt.

Argum. 19. 29. Denique non video procliviorem viam ad Atheiſmum, Epicuriſmum & ſolium fortunæ ſeu *contingentiæ* ſtabiliendum, qua conſcientiæ omnium hominum à Deo à providentia avocentur, & ipſis cauſis fortuita plane volutatione operantibus infigantur; *Ieſuitico-Arminianiſmus, erit itaque Epicuriſmus.*

30. Stet itaque decretum abſolutum, & cadat neceſſe eſt decretum conditionatum. At vero *Tho. Iackſonus Anglus* cudit nobis tertium decretum, quod diſjunctivum vocat, cujus obje-

objectum jeiunus iſte theologus facit poſſibile. *Ita* ille *impeccabilis regula æternæ æquitatis, quæ ab æterno decernit quicquid poſſibile eſt, & præſcit quicquid eſt futurum, nullum ſtatutum ponit quod abſolutæ & æternæ ſuæ poteſtati dominii adverſetur. Semper* (inquit) *fuit, eſt, & erit ex æquo indifferens & liber ad retribuendum unicuique ſecundum opera ipſius.* Et alibi dicit, *unicuique antecedenti poſſibili decrevit conſequens correſpondens.* Et 2. par. 2. cap. 17. *Nullum eſt in Deo decretum de contingentibus præterquam disjunctivum, aut erit, aut non erit, aut pluet per totum diem cras aut non pluet per totum diem. Hodie aut Sol ſplendebit hora decima & ſecunda, aut non ſplendebit.* Hæc effata cerebri *Silveſtris & feri* ad examen revocare non eſt inutile. Nam. I. nunquam ſatis laudandus *D. G. Tuiſſius* vir in *Palæſtra* Scholaſtica bone Deus quantus! Obſervat objectum decreti divini non eſſe neceſſarium: non enim Deus decernit, ut ipſe ſit infinitus, juſtus &c. Nam non poteſt non eſſe infinitus: atqui objectum decreti disjunctivi eſt neceſſarium, quia neceſſe eſt ut *Petrus* vel credat, vel non credat, quia contradicentiũ altera pars eſt neceſſario vera, altera falſa. 2. Multæ prædictiones Dei & promiſſiones erunt ex hoc decreto disjunctivo aperte falſæ: erit illo die, poſtremis diebus hoc faciam, dabo vobis cor novum. *Zach.* 12. 10. & reſpicient ad me, quem tranſfixerunt, & clangent &c. ferre poſſunt contrarium

De div. eſſ. ſenl c. 10. ſ. 2. p. 125.

Cap. 8. ſ. 2. ſig. 8.

Tuiſſ. contr. Iack.

rium plane ſenſum, non erit illo die; non dabo vobis cor novum. non reſpicient ad me, non clangent &c. prophetandum tibi eſt *Ier.* 1. Quare? Conſtitui enim te prophetã gentibus. Imo ex hac conſtitutione ſequitur, ergo non erit tibi prophetandum; & quis tum decernere poteſt inter Deum prædicentem hoc fore, & prædicentem hoc non fore? 3. Hinc ſequitur Dei voluntatem eſſe nullorum actuum ſupernaturalium cauſam; nullius boni moralis ſiquidem poſito decreto Dei poſſunt omnes res decretæ nunquam eſſe, imo tam diabolorum quam Dei voluntas eſt cauſa boni, ſiquidem eâ poſitâ poteſt bonum morale eſſe vel non eſſe, poterat ſimpliciter Chriſtus incarnari, vel non, mori & redimere genus humanum; vel non, *Iudæi* in captivitatem abduci à *Chaldæis*, vel non, poſita Dei voluntate de futuritione horumomnium, imo totum euangelium poteſt eſſe vel verum vel falſum, quando multa ſunt in euangelio quæ interventu agentium contingentium implentur. 4. Omnia fere argumenta contra decretum conditionatum, hoc decretum profligabunt: mihi enim nihil fidei aut ſpei adverſus mala quæ contingenter eveniunt in *Iehovam* eſſe poteſt, ſiquidem poſito ipſius decreto, poſſunt tam evenire, quam non evenire. Ecquid enim ſolatii foret ſanctis in Deo ſub onere ærumnarum tantum non exſpirantibus, ſiquidem mala contingentia ipſis vel evenire, vel non evenire poſſunt, non obſtante ſapientiſſimo Dei decreto? tum

non eſt quod oremus Deum vitæ prorogationem, ſecundam valetudinem, gratiam fidei & perſeverantiæ contra tentationes, conſtantiam, in adverſis patientiam. Quid aliud hic Deus nobis reſpondere poſſet, quam? penes me iſta vel promovere vel non, non eſt, nam vel iſta vobis eveniunt, vel non; ego fatalibus contingentiæ citra meæ voluntatis actum conſtitutis ſubſcribo vel invitus.

31. Si poſſibilia ſunt à Deo decreta, tum decrevit Deus liberare filium ſuum per duodecim legiones *Angelorum*: ea enim liberatio fuit poſsibilis: at vero quid impedire potuit illius decreti impletionem. Num boni *Angeli* ſunt Deo minus obſequentes? non dicent. Num ipſe Deus ſua decreta quo minus impleantur, impediat? Tum non creatio mundi, excitatio filiorum *Abrahami* ex lapidibus, diabolorum redemptio ſunt decreta; quis iſta audiret prodigia? 2. Decretum nihil ſtatuit niſi quod divinæ ſapientiæ conſultiſſimum videtur, ac proinde cujus contrarium Deo minimè expediens videtur, alioqui Deus erit agens inconſultum, ac proinde decrevit ut frangerentur oſſa Chriſti, & non frangerentur. 3. Quis ſapiens judex terrenus decernit ut ſontes vel necarentur, vel non necarentur? At tale decretum Deo affingitur. 4 Si Deus quicquid poſſibile eſt, decernit, tum peccata hominum & Angelorum, tum quæ ſunt, tum quæ poſſibilia decrevit. Nunquid igitur Deus erit author peccati? & peccata Dei vo-

luntate fiunt? 5. Hoc dato quod Deus nihil omninò decreviſſet, quod fieri potuit, quia liberè & non neceſſitate & omnia extra ſe voluit, & creavit, tamen omnia quæ nunc poſſibilia ſunt, fuiſſent poſſibilia. In habitudine quippe ad Dei omnipotentiam, non ad Dei voluntatem res ſunt poſſibiles: ergo res poſſibiles ſunt citra omne Dei decretum, neque neceſſe eſt ut decernantur. 6. Deus ex infinitâ ſuâ præſcientiâ videt, quæ ſunt futura, quæ non: atqui nullâ ſapientiâ id fore decernitur, quod decernens vidit nunquam futurum: nam quo fine decernerentur nunquam futura? Nullo certo fine. Certe ad ſalvandam libertarem humanam poſſibile decerni dicitur: atqui hinc inclinare videtur, Deum non omnia futura præſcire, ſed quando fiunt, quod eſt poſſibile, ut ſic accreſcat Deo nova ſcientia. 7. Quod Deus decernit fore, liberè decernit fore, ſi iaque Deus non decreviſſet poſſibilia, tum poſſibilia non fuiſſent poſſibilia, quod eſt c ontradictorium. 8. Quia futurum aliquid ſuperaddit poſſibili, quæritur an futurum poſſibile decernatur à Deo, an non. Si prius, vel abſol ute, & ſic perit decretum diſjunctivum: nam eadem res futura, non eſt, & futura abſolute, & non futura, hæc enim ſunt contradicentia, vel futurum conditionatè decernitur; at qua conditione? Ex hypotheſi quod ſit futurum: at quæritur infinities, an hypotheſis futura abſolute, an conditionate decernatur, ſi futurum non omnino decernatur, tum

tum primo falſo dicit *Iackſo.* Omne poſſibile à Deo decerni; tum etiam futurum eſſe incipit citra Dei voluntatem, & periclitatur providentia Dei. 9. Vana & nulla eſſet omnis ratiocinatio ſcripturæ à Dei decreto: nam ex decreto rei poſſibilis, tam hoc quam non hoc ſequitur. 10. Inſulſa eſt collocatio inter Dei conſilium quod reſcindi non poteſt, & humanum quod reſcindi poteſt *Pſal.* 33. 10. 11. Quis enim in quæſtionem vocet, an Dei conſilium de re quæ poteſt tam non eſſe, quam eſſe, cujuſmodi eſt poſſibile, poſſit reſcindi? ſic enim humanum conſilium æque fixum eſſet atque divinum: nam quod homines decernunt, id vel poteſt eſſe, vel non eſſe. 11. Fruſtra Deum oramus, in eo confidimus, ei voluntatem noſtram patienter ſubmittimus in ſecundis vel adverſis, ſi Dei voluntas nullam cauſalitatem exercet citra futuritionem rei, vel non futuritionem, ſed circa ſolam poſſibilitatem, quaſi vero David Deum poſſibilitatem liberationis à *Saulo, Abſolomo,* & aliis hoſtibus, non actualem liberationem oraret; quicquid rerũ gerirur id fortunæ, non providentiæ aſcribendum foret. Imo quicquid boni à Dei voluntate petunt impii, id continuo haberent, & nunquã non exaudirentur; nam poſſibile fuit illud bonum per Dei voluntatem, at vero futuritionem, Dei voluntas velle non potuit, abſque inſigni injuria in novam Deam contingentiæ.

32. Qui dicit Deum eſſe, & futurum ſemper indifferentem & liberum ad retribuendum

unicuique ſecundum opera ipſius, is æternitatem divini decreti pernegat. Atqui hoc facit hic *Iackſonus*. Nam ab æterno Deus ſuam voluntatem ita determinavit ad tractandum homines ſecundum opera, ut non poſsit non ita ipſos tractare, niſi vellet, & promiſſa, & commi-nationes reſcindere, quamvis nemo aſſerat Deum, vi decreti cogi ad homines ita tractandos: tam enim liberè Deus decreta exequitur, quam decreta ſua facit, ſi loquamur de libertate naturæ, quia neceſſitate hypotheticâ, non poteſt non decreta exequi. Sed *Iackſonus* vult Deum ne quidem neceſſitate decreti, & hypotheticâ hominibus retribuere ſecundum opera ipſorum, ſed volitiones liberas in Deo de novo oriri, ſecundum ortum & interitum volitionum angelicarum & humananarum, quia vult decreta irrevocabila divinæ libertati obeſſe: imo & futuritio & exiſtentia actualis effectuum contingentium, *Iackſono*, antecedunt potius quã ſequuntur Dei decreta.

33. Si unicuique antecedenti poſſibili decrevit conſequens correſpondens, age dic, quod conſequens mundi non creati, Chriſti incarnati & non crucifixi? Hæc enim ſunt poſſibilia. Imo ſic Deus ſuam gloriam non intendit per media poſſibilia. Nam tam non glorificationem ſui, per antecedens poſſibile, quam glorificationem intendit. 2. Quæ hic ſapientia antecedenti, quod Deus præſcit nunquam futurum, decernere conſequens? num ſaperet Mater quæ veſtes & alimenta pararet

raret fœtui quem in ventre certiſſimè novit enecatum? At (inquiunt) quia poſſibile antecedens, ideò decrevit conſequens, & ex multis poſſibilibus antecedentibus hoc poteſt de facto fieri, ideoque conſultum eſt ut paretur ei conſequens correſpondens. At vero tenet hæc providentia in hominibus futurorum contingentium ignaris, Deo vero ab æterno notum erat, quod antecedens poſſibile eſſet futurum, quod non. 3. Conſequens poſſibile vel eſt contingens, vel neceſſarium poſſibili antecedenti; ſi contingens, poſito antecedente poſſibili, poteſt nunquam ſequi conſequens poſſibile. Ergo cuidam antecedenti poſſibili, nullum aptavit conſequens, ſed fallitur planè Dei decretum: ſi vero conſequens ſit neceſſarium, tum vel neceſſario fit à cauſa ſecunda, vel â prima. Si prius, quæro proditioni *Iudæ*, quod eſt conſequens neceſſarium? Num à neceſſaria cauſa ſecunda eſt, quod *Iudas* laqueo ſibi necem crearet? Hoc ſi dicitur, non peccavit *Iudas* ſeſe laqueo committendo, ſi neceſſarium eſt hoc conſequens è prima cauſa, à Deo erat neceſſitas peccati. Idem dici poteſt de languore & triſtitia *Achitophelis* ex repudiato ſuo conſilio, quod nefarium ſcelus conſequutum eſt. 4. Non alio tendunt, quæ dictat rudis iſte novator, quã ut omnia fortunæ arbitrio gerantur, & per Dei decreta non determinentur ex multis poſſibilibus, quædam ad futuritionẽ, quædam ad non-futuritionem, ſed ad ſalvandã fortunam, ſeu commentitiã hanc contingen-

tiam, omnia vult à Deo poſſibilitati relinqui, Dei voluntatem dependentem planè à futuris tione poſſibilis, cæco quodam modo, aptaſſe conſequens quoddam, ne forte antecedens inane videretur. 5. Quid intelligit per conſequens correſpondens? vel intelligit correſpondens præmium ex ordine juſtitiæ, vel id quod proximè ſequitur ex antecedente poſſibili. Si prius, vult Deum neminem nominatim elegiſſe vel reprobaſſe, ſed vitam & damnationem confuſo quodam decreto omnibus reliquiſſe ut præmium actuum poſſibilium bonorum vel malorum, & hoc eſt Deum non eligere, ſed homines. Deinde multi ad tempus credentes & juſtificati ex *Arminio* nullum præmium ex ordine juſtitiæ conſequuntur: deficiunt enim à fide in articulo extremo vitæ & præmium æternæ damnationis probè anteactæ vitæ conſequuntur, & multi flagitioſi in extremo vitæ exitu credunt & reſipiſcunt, & conſequuntur vitam æternam; an quæſo vita æterna eſt conſequens, poſſibile correſpondens antecedenti vitæ flagitioſæ & profligatæ? 3. Peccatum eſſe peccatorum antecedentium pœnam non diffitentur *Arminiani* & expreſſè id docet ſcriptura: itaque peccatum erit correſpondens conſequens à Deo decretum. 4. Omnibus electis poſſibilis eſt defectio & finalis impœnitentia, & reprobis poſſibilis in fide perſeverantia. Ergo Deus non minus electis exitium quam vitam, & reprobis vitam quam exitium decrevit, & ſic uni-

Ex hypotheſi Iackſoni arguitur.

ver-

verſalis eſt electio, quod eſt repugnans in adjecto, & univerſalis reprobatio. Si vero conſequens correſpondens eſt id quod proxime ſequitur ex antecedente poſſibili, tum *Davidis* innocentiæ decrevit Deus *Sauli* animum malevolentiæ & livoris plenum; ut correſpondens conſequens Chriſti prædicationi ſinceræ veritatis Dei immanem & horrendam Domini gloriæ crucifixionem, *Chaldeorum* in Dei Eccleſiam truculentiæ decrevit regnum florentiſſimum & bonorum omnium affluentiam: hoc verò correſpondens conſequens truculentiæ nemo dicet. 6. Quod Deus decrevit id ſtabit, & indeclinabiliter fiet *Eſai.* 14. At vero conſequentia correſpondentia antecedenti poſſibili, plæraque tantum ſunt poſſibilia & nunquam futura; ergo non ſunt à Deo decreta. 7. Hoc dicto innuit, omnia bona aut mala ſimpliciter relinqui in ſtatu poſſibilitatis, neque à Dei voluntate determinari, quod tollit uſum precum, fidei, ſpei, gratitudinis, ſubmiſſi in Deum animi, quicquid boni vel mali ex cauſis contingentibus nobis eveniat.

CAP. IV.

Contingentiæ & decreti abſoluti conſpirationis modus, Arminianorum, Suarezij, Vaſquezij, Molinæ, Leſſij, Fonſecæ rationes ad examen vocantur.

1. IN hanc arenam deſcendere vix tutum tyroni præſertim videtur, niſi ſatius famæ quam veritatis diſpendium & jacturam facere eſſet. Primò itaque obſervari velim, quatuor eſſe rerum ſtatus. Primus eſt ſtatus non entis vel ſimpliciter impoſſibilis: ex hoc ſtatu Deus nulla entia extrahit, quia ſimpliciter impoſſibile, non eſt objectum omnipotentiæ. 2. Secundus ſtatus eſt vaſtiſſimus nempe ſtatus poſſibilitatis, quo omnia futura contingentia, & omnia tum neceſſaria tum contingentia, quæ ſunt nunquam futura, habent eſſe, hoc eſt non repugnantiam ut ſint, in habitudine nempe ad Dei omnipotentiam, & dato quod nunquam fuiſſet in Deo decretum producendi ulla entia extra ſe, omnia quæ jam ſunt poſſibilia in eo caſu poſſibilia forent: poſſibilia enim ſunt antecedenter ad Dei voluntatem, hoc modo contingentia omnia ſunt antecedenter ad Dei volitiones, & in ſigno rationis aliquid prius naturâ eſt poſſibile, quam futurum, & futurum aliquid ſuperaddit poſſibili, ſicut ſpecies aliquid ſuperaddit generi; hoc ſenſu contingentia, ſimpliciter poſſunt eſſe vel non eſſe, & omnia etiam maximè neceſſaria poſſunt eſſe vel non eſſe. Tertius verò ſtatus rerum eſt ſtatus futuritionis, quo res poſsibiles accipiunt (eſſe) futurum à Dei decreto, poſſibile: itaque eſt terminus à quo, futurum, terminus ad quem, & futuritio motus intermedius,

quo

quo res poſſibilis tranſit à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis. Sicut itaque res ſunt poſſibiles in habitudine ad aliquam cauſam, (alioqui eſſent impoſſibiles, & hæc cauſa eſt omnipotentia), ita etiam res poſſibiles, è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis evehuntur, & remotius à non ente elongantur per aliquam cauſam. Jam hæc cauſa futuritionis, vel eſt in ente creato, vel in Deo. Non poteſt eſſe in ente creato, quia vel in ipſo ente futuro, vel in alio ente creato. Non in ipſo ente futuro: quia ſicut ens præſens non habet eſſe præſens à ſe ipſo quoniam non habet eſſe ſimpliciter à ſeipſo, & præteritum non habet eſſe præteritum à ſeipſo, ita neque futurum habet eſſe futurum à ſeipſo, tum enim eſſet & ſui ipſius cauſa & ſeipſo prius, & poſterius, quod abſurdum: deinde futurum cum ſit ab æterno non habet eſſe futurum ab alio ente creato, quia nullum erat ens creatum ab æterno, quod poſſit eſſe cauſa futuri, quod eſt æternum. Itaque cauſa futuritionis neceſſe eſt, ſit in Deo, non in Dei intellectu, quia Deus entia intelligendo, entia non facit, quippe non entia intelligit, neque omnipotentia Dei eſt cauſa futuri, ſed tantum poſſibilis. Ergo neceſſariò dicendum Dei voluntatem ut libere decernentē eſſe cauſam hujus tranſitus è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatū futuritionis. Quartus rerum ſtatus eſt ſtatus actuationis, quo res è ſtatu futuritionis tranſeat ad

ſtatum actuationis & hujus tranſitus cauſa eſt voluntas omnipotentiâ armata; in Deo.

2. Obſervo, eſſe futurum, quod eſt, à Dei voluntate commenſurandum eſſe exactiſſimè ab eſſe præſente, quod illud futurum in tempore habet & accipit; ita ut eſſe futurum & eſſe præſens, ſint unum & idem eſſe, & tantum differant durationis ordine. Hinc illud eſſe quod effectus contingens habet in tempore, non eſt aliud quam illud idem eſſe futurum, quod erat habiturum ab æterno, per decretum divinæ voluntatis liberum; & poſſibile nunquam tranſit ad ſtatum actuationis niſi intermedio ſtatu futuritionis. Itaque contingens poſſibile nullo modo poteſt immediatè tranſire ad ſtatum actuationis, quia ſic aliquid eſſet præſens, quod ab æterno non erat futurum: quod idem eſt ac aliquod ens creatum eſſe actu, quod nunquam fuit in potentia, quod eſt ſimpliciter impoſſibile. Poſſibile itaque eſt quod poteſt eſſe vel non eſſe, hoc eſt cui non repugnat eſſe: at vero poſſibile contingens eſt quod de facto & actu poteſt eſſe vel non eſſe, non ſimpliciter ſed antecedente futuritione, ideoque quamvis poſſibilitates ſuperent numero actualitates, at vero futurorum contingentium & effectorum contingentium actu & de facto, planè & idem eſt numerus, nec illa vel unitate hæc excedunt.

3. Hinc tertiò obſervo. Poſito per impoſſibile, quod nullum eſſet in Deo abſolutum decretum determinans futura contingentia, cau-

cauſa contingens de facto non determinatè produceret effectum alium quam qui ab æterno habuit futuritionem ſibi correſpondentem exactiſſimè, & ille effectus contingens qui nullam ſibi correſpondentem habuit futuritionem, eſſe non poteſt, quia impoſſibile eſt aliquod ens eſſe præſens, quod ab æterno non fuit futurum; ideoque nemo non videt effectus contingentes omnes qui eveniunt in tempore, de facto limitari per futuritionem æternam: at vero ſi Dei decretum ſuperveniens eidem futuritioni correſpondenti effectui contingenti qui de facto fit, ipſam determinet, non magis evertit naturam cauſæ contingentis, quam ſi contingens cauſa ſola antecedenter ad Dei decretum ſe determinaret, prævià æternâ futuritione. *S*it itaque libertas humana inclinans ad volendum, A, B, C, D, E, & actu volitura, C, non, A, non B, non D, non E, actualis volitio τȣ͂ C ſola habuit ſibi correſpondentem æternam futuritionem volitionis τȣ͂ C, volitio vero τȣ͂ A, B, D, E, nullam futuritionem ab æterno habuit, neque potuit voluntas actu velle A, B, D, E, niſi antecedente futuritione æternâ illius volitionis; hoc enim ex obſervatione noſtra ſecunda eſt impoſſibile. Si itaque Dei decretum abſolutum determinet ab æterno voluntatem liberè inclinantem & determinantem ſe ad volendum, C, cui volitioni correſpondebat æterna futuritio, ex hypotheſi quod non fuiſſet in Deo decretum abſolutum, & idem decretum non de-

determinet ab æterno voluntatem libere nolentem τὸ A, B, D, E, manifeſtum plane eſt Dei decretum abſolutum non magis lædere naturam libertatis, quam ſi per impoſſibile non eſſet in Deo tale decretum. Itaque hic oculos convertat in ſequens diagramma lector:

Decretum abſolutum Dei	Potens eligere	A, poſſibile futurum æternum B, poſſibile non-futurum æternum
	Eligens	C, poſſibile & futurū æternum
Libertas humana.	Potens eligere	D. Poſſibile non-futurum æternum. E, Poſſibile futurum æternum.

4. Neceſsitas ex hypotheſi quod libertas jam actu operetur, & neceſsitas ex hypotheſi decreti abſoluti, quamvis reſpectu termini & principii à quo, ſint diverſæ neceſsitatis, tamen reſpectu termini ad quem ſunt eædem: quod ſic doceo. Hæ propoſitiones ſibi æquipollent.

Homines prout ſubſunt decreto Dei abſoluto non poſſunt aliud velle aut eligere, quam volunt aut eligunu actu, & de facto.

Homines in actuali exercitio libertatis non poſſunt aliud velle aut eligere, quā actu volunt aut eligunt.

Probatur, illæ ſunt eædem neceſſitates quoad terminum & objectum, quæ removent eaſdem indifferentias libertatis: atqui neceſſitas ex hypotheſi decreti abſoluti, & neceſſitas ex hypotheſi actualis exercitii removent eaſdem, imo unam & eandem indifferentiam libertatis humanæ. Ergo ſunt quoad terminum & ob-

jectum

jectum eædem neceſſitates. Major eſt certa ex oppoſitione inter determinationem factam per neceſſitatem & indifferentiam. Probatur aſſumptio, quoniam neceſſitas decreti aufert indifferentiam ad volendum A, B, D, E ut ipſa libertas auferat eandem indifferentiam, non aliam. In eo verò adverſarii & fallunt & falluntur, quod ex decreti abſoluti vi manare velint, quod voluntas libera ex ſe & quoad futuritionem in hunc angulum actu inclinatura eſſet, & volitura, A, B, D, E, & torqueatur contra inſitam vim ſuam per fatale decretum ad volendum C; at vero pernegamus nos libertatem humanam ulla vi decreti, aut fatalitate torqueri ab illo coinclinationis primigeniæ & nativæ angulo ad alium angulum, aut ad aliam potentiæ quaſi partem actuandam, quam & ad illam quæ ab æterno actuanda erat, antecedente æterna futuritione, & illam eandem & non aliam, quam ipſa libertas humana ex ſe erat amplexura, hoc dato per impoſſibile, quod non fuiſſet in Deo decretum abſolutum, & nulla rerum providentia.

5. At vero duo hic objici poſſe video. 1. Dicerent me hic nunc non ponere aliam neceſſitatem in cauſa libera ex decreto, quàm concomitantem, & talem quæ relinquat potentiæ liberæ omnimodam indifferentiam, quamvis verbis ponam antecedentem neceſsitatem. Nam ſi decretum Dei, accedente nimirum in tempore potentia executrice, removet eandem

dem indifferentiam & potentiam particularem, quam removet actuale exercitium libertatis, tum quoniam actuale exercitium removet vel hanc vel illam potentiam indifferenter: ſequitur decretum vel hanc vel illam indifferentiam removere non aliam, & ſic non præciſe actus liberos à decreto abſoluto determinari. R. Non ſequitur, quia quamvis libertas in actu liberrimo vel hanc vel illam potentiam removeat, tamen non & hanc & illam removet, ſed tantum illam removet quæ ab æterno non actuanda erat; & eam ponit quæ actuanda erat, & cui æterna futuritio correſpondebat: decretum vero præciſe determinat actum illum liberum & futuritionem, quoniã antecedenter locat voluntatem liberam quoad primam vitalem & electivam motionem, in eo vitali ſitu, quo reſpicit illam inclinationis naturalis (ut ſic loquar) poſitionem, in qua actuetur illa eadem potentia particularis, quam & Deus ab æterno abſolute actuari voluit, & decrevit, & non aliam, & quam libertas ſubordinate & dependenter à Deo vult actuari. Sicut itaque aulicus quidam clam Rege ſtatuit proficiſci in longinquam regionem, & rex apud ſe ſtatuit eundem ad illam regionem legare, & re utrique ex votis ſuccedente, ille ut mittat, pro regis imperio, hic ut liberè illuc iter faciat, quamvis Rex nullo tali decreto, aut imperio ipſum preſſiſſet, quo caſu & rex abſolute decernit illud iter, & aulicus liberrime iter conficit, ita Deus abſolute decernit

cernit hunc non illum actum liberum, & in eo ſitu vitali locat libertatem, quo illum actum liberum & non alium, quam qui quoad æternam futuritionem libertas erat liberrime productura, ita penes Dei providentiam eſt ut talis actus ſit, non alius, non plures vel pauciores, & etiam penes voluntatem ſed ſubordinate & dependenter; quod ſint tales actus non plures vel pauciores.

6. Objici poteſt, ſi non poneretur tale decretum, neceſsitas futuritionis nulla eſſet, & maneret vera indifferentia naturalis, quia neceſsitas futuritionis eſt mere hypothetica, manans à libertate creata; quia enim libertas creata eſt libere hoc volitura, ideo eſt futuritio æterna talis volitionis: nam poſito, quod res ſit futura, neceſſe eſt ut ſit futura, ſicut neceſſe eſt res præſens, ſit præſens: at vero in ſigno rationis futuritionem antecedente, libertas eſt abſolute indifferens ad hoc vel illud volendum: quia vero eſt hoc non illud volitura, ideo antecesſit æterna futuritio. *Reſp.* 1. contra omnem ſanam rationem, libertas libere volens in tempore ſtatuitur cauſa futuritionis æternæ. Nullum enim temporale eſt cauſa æterni, quia cauſa eſt prior effecto, temporale non eſt prius ſed poſterius æterno. 2. Concedimus neceſſitatem futuritionis eſſe tantum hypotheticam non abſolutam, ſed tamen eſt antecedens neceſsitas reſpectu actus liberi, quod nobis ſufficit ad probandum neceſsitatem antecedentem non pugnare cum

actus

actu liberò, niſi talis ſit neceſſitas, qua vi evellatur aut torqueatur libertas ab illo, quod naturaliter erat volitura, ad illud quod non erat volitura, quod non eſt verum de neceſſitate ex hypotheſi decreti, 3. Quando futuritio non ſit merè nihil, (nam futurum & non futurum per aliquid differunt) tendentiæ à poſsibili ad ſtatum actuationis aliam cauſam aſſignare non poſſunt, quam liberam Dei voluntatem. 4. Etiam in ſigno rationis antecedente futuritionem, potentia libera eſt quidem indifferens ad nolle vel velle idem ſub diſjunctione, non vero ad nolle & velle idem copulativè. Potentia vero diſjunctiva in ſe & intrinſecè reſpicit tantum unum oppoſitorum, ideoque vi materiæ potentia unum reſpicit intrinſece; indifferentia vero tantum formaliter hoc importat quod τὸ velle A non magis ſpectet ad naturalem agendi modum in libertate, quam τὸ nolle A. Ideoque potentia reſpicit illud tantum oppoſitum intrinſece, quod per poſitionem futuritionis, tendet è ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum actuationis, & quia Dei decretum potentiam determinat ad illud idem objectum in habitudine ad quod, habebit in ſigno rationis ſubſequente, futuritionem: quis non videat decretum hic optimè conſpirare cum libertate humana? in hoc vero eſt Dei dominium, quod abſolute hunc non illum actum prædefiniat; & quod ita collocat voluntatem, ut voluntas ex inſita vi electiva in illud, vitali influxu, & indifferen-

ti, (quantum attinet ad naturalem modum agendi in libertate) in illud idem numero, & non aliud objectum erumpat, quod Deus præciſe decrevit.

7. Hoc 4. etiam obſervo; libertatis humanæ duplicem eſſe potentiam, univerſalem & particularem: prior eſt libertati eſſentialis; qua libertas ex naturali ſuo agendi modo, non magis reſpiciat nolle quam velle, eligere quam repudiare, vel ſuſpendere ſuum actum. Poſterior eſt accidentalis, accedens vel recedens à libertate, ſalvâ ipſius eſſentiâ. Hæc diſtinctio potentiæ non poteſt negari. Qui negat potentiam voluntatis ad nolle, velle, vel eligere in genere, is negat libertatis potentiam. Dari vero potentiã particularem probo. Antequam *Petrus* cras diſputet, eſt in potentia ad diſputandũ cras. At vero el apſâ ſemel craſtinâ diſputatione, perit talis potentia, neq; amplius eſt in potentia ad talem diſputationem; quoniam ad præteritum actum nulla eſt potentia. 2. Cuilibet actui particulari correſpondet potentia particularis. At multi ſunt actus particulares in voluntate. Ergo ſunt etiam potentiæ. 3. Sicut Philoſophi jure optimè ponunt in materiâ primâ duplicem potentiam hanc, ita pari jure tales ſunt hic potentiæ. Hinc dico decretum Dei non removere potentiam libertatis univerſalem utpote ei eſſentialem. At vero potentiæ libertatis particulares ſunt à Deo ab æterno determinatæ. Prob. 1. Omnes actus, cum ſint entitates determinatæ à Deo,

decreto abſoluto præfiniuntur, alioqui præter Dei intentionem evenirent & providentiæ non ſubeſſent. Ergo etiam potentiæ particulares determinantur. Prob. conſequens, quoniam oppoſita ad oppoſitorum multiplicationem multiplicantur. 2. Potentiæ hæ particulares ſunt entia determinata. ergo à Deo abſolutè præfiniuntur: alioqui providentiam etiam effugerent. 3. Habent hæ potentiæ eſſe determinatum & individuale: ergo tale eſſe à primo ente habeant neceſſe eſt. Hinc ſequitur libertatem non eſſe in potentia particulari ad plures paucioreſve actus, quam quos actu exercet, quamvis ſit in potentia univerſali ad omnes actus poſſibiles. At dicent per antecedens decretum ita igitur ligari voluntatem, ut non poſſit aliter facere, quam facit. *Reſp.* non obſtante decreto, potentiâ univerſali poteſt aliter facere, & alia velle, nolle, & eligere, quam quæ de facto vult, non vult, aut eligit. At dices potentiâ particulari non poteſt voluntas agere vel non agere. *Reſp.* me id haud gravatè concedere, quoniam ipſa voluntas talem potentiam removet liberrime inclinando ſe in illum actum, qui quoad futuritionem erat ab æterno producendus, quam futuritionem habuit à decreto Dei abſoluto: at vero quia voluntas libero exercitio iſtam potentiam particularem removet, quam Dei decretum removet, non magis læditur libertas per antecedens decretum, quam per ſuum actuale libertatis exercitium. Si vero Dei de-

cretum

cretum aliam potentiam particularem, nempe ad hoc volendum removeret, & ipſa voluntas tali potentiâ particulari inclinaret ad illud non volendum, tum antecedens decretum libertatem læderet. At hoc tribuitur nobis ab adverſariis, ſed falſò.

8 Objiciunt etiam neceſſitatem ex decreto non eſſe neceſſitatem hypotheticam, ſed abſolutam, ac proinde evertere libertatem; probant ſic: neceſſitas hypothetica eſt neceſſitas, qua res alioquin contingens, ſive libera, non poteſt non eſſe, ex hypotheſi, quod ſit, ideoque rei contingentis exiſtentiam ponit. At verò necesſitas decreti non ponit actum liberum jam poni, aut eſſe antecedenter ad decretum, ſed contra quia prius eſt decretum, ideo neceſſario fore actum liberum. *Reſp.* 1. Anguſta & arcta nimis eſt illa definitio neceſſitatis hypotheticæ. Nam non tantùm neceſſitas hypothetica dicitur, quando res contingens ponitur jam eſſe, ſed quando ponitur aliquod antecedens, ex quo poſito res contingens neceſſario eſt futura ad modum ſuæ naturæ, nempe contingenter. Ideo actus liberi ſunt neceſſarii ex hypotheſi decreti divini ponentis actus liberos non jam eſſe, ſed futuros eſſe liberrime per vim decreti; & ratio eſt manifeſta, quoniam necesſitas ex decreto ponit cauſam liberè in talem præciſæ oppoſitionis angulum erupturam vitali & electivo influxu ex judicio rationis, in quem liberè erumperet, poſito quod

nullum eſſet decretum, ſed antecederet per impoſsibile, ſola futurito æterna, dico (per impoſsibile antecederet futuritio æterna) quoniam impoſsibile eſt ullam futuritionem rerum omnium ab æterno fuiſſe, niſi per liberam Dei voluntatem. Quid? Si futuritio ab æterno omnium rerum fuiſſet, tum invito Deo, & contra ipſius voluntatem, mundus & omnia entia quæ jam ſunt futura, eſſent neceſſariò non liberè reſpectu divini decreti, & ſic Deus, neceſsitate naturæ mundum creaſſet, & per eandem rationem, non-futuritio omnium entium poſsibilium ponenda eſſet antecedenter ad Dei decretum, & ſic fatali neceſsitate *Iehova* entia omnia produxit, ita ut ei ſimpliciter impoſsibile fuerit illa non produxiſſe, & impoſſibile vel plura vel pauciora, quam ſunt producta, produxiſſe. Nam quod jam eſt futurum prius, vel contra quam Deus id velit eſſe futurum, non poteſt ne per Dei omnipotentiam, non eſſe futurum. Nam omnipotentia non poteſt efficere ut propoſitio identica ſit falſa, aut ut futurum non ſit futurum, & videat hic lector miſerrima eccleſiæ fata: en quo rerum devolvimur à ſubtilioribus ſophiſtis: qui malunt homines eſſe liberos, quam Deum, & interim libertatem humanam evertunt, & in fatū ne Deo quidē ſuperabile convertunt.

9. In eo vero inimici gratiæ turpiter hallucinantur, quod ex ingrata & ſuperba creati arbitrii elatione, Dei ſapientiſsimum, & omnipotens in omnia entia creata Dominium igno-

ignorant : quaſi Deus non poſſet in profunditatem libertatis creatæ penetrare, abſque læſione ipſius naturæ, & libertatem ad quatuor angulos propendentem; quod ad verò futuritionem æternam in tertium angulum ex illis quatuor actu erupturam liberrime, & non in ullum ex reliquis tribus, non poſsit antecedenter decreto ſuo abſoluto in illum tertium angulum præciſè definire. Nos vero, ſi Deus eſſet agens finitũm, haud ægrè concederemus, fieri haud poſſe ut antecedenter determinaret voluntatem liberam præciſè ad unum actum, poſthabitis aliis poſsibilibus. At nobis concederent, ſiquidem concederemus ipſis ſcientiam mediam, quia Deus antecedenter ad decretum ſuum infinita ſua ſcientia cognoſcit futuritionem actuum contingentium, Deum poſſe abſolutè prædefinire actus liberos; at vero hoc verbis dicunt, non argumentorum pondere evincunt. At vero dicimus nos, Deum, quâ eſt infinitate, & abſoluto & ſapienti dominio in creaturas abſolute decernere actus omnes contingentes, & cauſam contingentem determinare antecedenter in eam partem ſuæ coinclinationis primigeniæ & radicalis, in quam ipſa contingenter ſe determinabit, & niſi hoc dicendum, videre nos haud poſſe, vel intelligere, qui infinitâ ſuâ providentiâ & dominio ſapienti omnia adminiſtret.

10. Itaque 1. non quæritur, an effectus liberi fiant contingenter, vel an in ſe ſint con-

tingentes. Nam & eſſentialiter & antecedenter ad Dei decretum effectus contingentes ſunt contingentes, non minus quam homo eſt animal. 2. Non quæritur, an fiant neceſſario ex Dei decreto; quaſi decretum effectis contingentibus neceſſitatem inſpiraret; ut inſulſè loquitur *Thom. Iackſ*; ſed an fiant neceſſario ex hypoheſi decreti abſoluti; hoc eſt, an poſtquam Deus abſolute decrevit ut actus contingentes ſint, an tum ita fiant, ut ſub ea ſuppoſitione poſſent non fieri. Nam Dei decretum cauſative non facit neceſſitatem aliam quam ipſa libertas facit. Itaque an cauſa libera prout ſubeſt decreto, poſſit non agere, quando per decretum determinatur ad agendum; hoc præcipue quæritur. Nam etiam prout ſubeſt decreto potentiâ univerſali poteſt non agere, & contra id agere, ad quod determinatur, quia decretum nullo modo aufert potentiam univerſalẽ. Dici itaq; forte poteſt, ſi manet potentia univerſalis ſub decreto, tũ nihil impoſſibile poneretur ſi in actum reducetur ut definit *Ariſtoteles* contingens τῦ μὴ ὄντος ἀναγκαίυ τεθέντος δ' ὑπάρχειν, ὐδὲν ἔςαι διὰ τῦτ' ἀδύνατον,

Ariſt. lib. 1. prior Analyt. c. 13. ſect. 2. Ac proinde nihil impoſſibile eſſet ſi libertas ad hanc partem determinata per decretum in aliam & contrariam partem ſe determinaret. Ergo vel falletur, & reſcindetur tale decretum; quod non eſt dicendum; vel tale decretum non determinat libertatem præciſe ad unam partem. *Reſp.* Potentia liberæ voluntatis ex ſe & immediate nunquam reducitur in

actum, ſed ſemper mediante potentia particulari: jam potentia particularis non poſſet reduci in actum, contrarium actui à decreto determinato. Nam repugnat hypotheſi decreti divini, imo ſuæ naturæ etiam repugnat, eo quod decretum potentiam particularem determinat ad eum actum in quem ipſa liberè erumpet, & non in alium: nemo autem ſanus diceret voluntatem id poſſe non velle quod actu eſt volitura, poſtquam eſt id actu volitura. Nam neceſſitas abſoluta ſive conſequentis eſt, ut rectè definit *Antonius Andreas*, *Ipſius rei neceſſitas quæ conſiſtit in eſſentiali cauſæ & effectus dependentia: quando nimirum res ſequitur ex cauſa antecedente neceſſariò.* Jam vero omnis effectus contingens ita eſt à decreto Dei ut tamen potuerit non eſſe: non eſt enim *Petri* volitio à Dei decreto, ut lumē à ſole, aut calor ab igne, ſicut neque talis volitio *Petri*, tali modo eſt à libertate *Petri*. Semper itaq; teneo, decretū Dei determinare præciſe voluntatē creatam in talē partem in quam ipſe ſe libere determinabit. Sed dices, decretum Dei non propterea determinat potentiam liberam in eam partem, in quam poteſt ſe determinare voluntas: at verò in quamcunque partem voluntas determinat ſe, poterat in contrariam partem ſe determinaſſe. *Reſp.* 1. ridiculum eſt Dei decretum determinare voluntatē ad eam partem in quam poteſt inclinare. Nam poteſt inclinare ſe ad omnes actus poſſibiles, neque ipſa libertas ſeſe determinat in actus poſſibiles. 2. In

Anton. Andr. 5. Metaph. q. 4.

quamcunque partem ſe determinet voluntas, poſito quod in actum, qui contrarius eſt ei, quem nunc ab æterno decretum Dei determinavit, tum dico antecedens decretum futuritionem æternam debuiſſe iſti actui poſſibili tribuiſſe, quo è ſtatu poſsibilitatis, ad ſtatum futuritionis elevaretur. 3. Si ſtrictè loquamur, Dei decretum, cum ſit in actus immanens, non ponit aliqvid in libertate, ideoque ipſam non determinat; Dei vero determinatio eſt actus tranſiens, & temporalis: attamen decretum determinare libertatem dicimus, quia abſolutè decrevit, ut voluntas in tempore, âccedente potentia Dei executrice, ſe determinaret. Primo hinc dico, falſæ ſunt hæ propoſitiones. 1. Deus decrevit ut effectus contingentes fierent neceſſariò. 2. Deus decrevit ut actus liberi non poſſent non eſſe. Veræ ſunt hæ. Deus decrevit ut effectus contingentes ita fierent, ut poſſent non fieri, nempe oblata ſuppoſitione æternæ futuritionis, & decreti divini. 3. Deus decrevit ut illi actus liberi eſſent præciſe & non alii quam libertas liberè elicit in tempore. Hinc etiam hæ propoſitiones obſerventur. 1. *Petrus* crediturus eſt, quoniam Deus decrevit ut liberrimè per motum efficacis gratiæ crederet. Idem de non credentibus, ſano ſenſu, dicendum, ut poſtea exponemus. 2. Quoniam *Petrus* eſt crediturus, ideo Deus decrevit ut liberè crederet, hæc eſt vera, ſed ab effectu non à cauſa, quoniam Deus decrevit antece-

ecedenter ad *Petri* volitiones, illum actum ad quem *Petrus* quoad æternam futuritionem erat ſe libere determinaturus, & hoc eſt ter mirandæ ſapientiæ & omnipotentiæ proprium, ut ita in cauſæ contingentis naturam penetret, ut illam coinclinationis naturalis actuationem extrahat, quam ſolam, & non aliam, quam cauſa contingens contigenter extrahi appetit. Luculentius & clarius iſta in patria viſuri ſumus, hæc interim credimus.

11. Jam diſcutiamus Adverſariorum rationes. 1. In arenam primò deſcendat, *Iacob. Arminius: Vna* (inquit) *& eadem res nequit eſſe neceſſaria ſimul & contingens, quia neceſſarium & contingens dividunt totam entis amplitudinem. Omne enim ens eſt vel neceſſarium vel contingens. Quæ autem dividunt totum ens, illa non coincidunt in ullum ens, ſecus non dividerent totum ens.* *Armin reſp. ad art. 31. art. 5. p. 140.* *Reſp.* 1. Præter aliquid Sophiſtici acuminis, auſim dicere, nihil fuiſſe in impoſtore iſto præter fumos & verba, imo ne umbratilem logicæ aut metaphyſicæ notitiam. Age itaque *Iacobe*, fare quæſo, an non cauſa vel cauſatum, potentia vel actus, finitum infinitum dividunt totum ens? Omne enim ens eſt cauſa vel cauſatum, actus vel potentia, finitum vel infinitum, & tamen materia prima, elementa, & ferè omnia entia ſunt cauſa reſpectu aliorum entium, & cauſatum reſpectu primæ cauſæ, elementa ſunt actu elementa & miſta in potentia, Embryo actu Embryo, & potentiâ homo. Chriſtus qua homo finitus, niſi velit

Sophiſta cum *Arrio*, quia finitum & infinitum dividunt totum ens, non poſſe Chriſtum eſſe & Deum & hominem. 2. Quia aliqua dividunt totum ens, non officit, quin diverſo reſpectu in idem coincidant, quia diverſitas reſpectuum, maxime diſtantia uniit in aliquo tertio.

Idem ibid. p. 342. 2. Ob. p. 141. *Differunt* (inquit) *contingens & neceſſarium integris eſſentiis & tota definitione : Nam neceſſarium eſt quod non poteſt non eſſe, vel fieri. Contradictorie ſcilicet iſta opponuntur quæ oppoſitio eſt infinita.* *Reſp.* 1. Audite nugas methaphyſicales, differunt integris eſſentiis, relatum & correlatum, & tamen *Iacobus Arminius* fuit & pater & filius, & doctor & diſcipulus, cauſa & cauſarum, album & quantum differunt totis eſſentiis, & idem tamen eſt & cauſa & cauſatum, cauſa hujus ut *Polycletes* ſtatuæ & cauſatum illius, filius patris, à quo ut homo generatus, idem paries albus & quantus. Diverſitatem reſpectuum, quando contradictio non eſt πρὸς τὸ αὐτὸ, κατὰ τὸ αὐτὸ, ὡσαύτως καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ ut ait *Ariſtoteles*, tollere contradictionem norunt in ſcholis decantatiſſimum eſſe pueri. *Iacobus* grandis metaphyſicus planè contra vult contradictionem, quæ non eſt contradictio niſi in ipſius cerebro, evertere diverſitatem reſpectuum.

Quid contingens proprie. 3. Laxe & diſſolutè definit contingens quod poteſt non fieri; atqui ſic ſol, luna, plantæ, & etiam maxime neceſſaria ſunt contingentia. Deo enim ita volenti poſſunt omnia

nia non eſſe: nam liberè omnia fecit. Contingens eſt quod reſpectu naturalis modi agendi in cauſa poteſt non fieri, ut actus credendi in *Petro*, & tamen reſpectu decreti non poteſt non credere.

3. *Neceſſitas* (inquit) *vel contingentia eventus non ex una cauſa, ſed ex omnibus ſimul junctis eſt æſtimanda. Si enim poſitis decem cauſis ex quibus res non neceſſariò ſed contingenter producitur una accedat ex qua res neceſſariò conficiatur, tota illa res dicitur non contingenter, ſed neceſſariò, extitiſſe.* *Armin. p. 141.* *Reſp.* 1. Sed audi quid tute, alibi, magne *Gamaliel*, tanquam è tripode docueris, *ſi plures cauſæ concurrant ad unum effectum producendum, jam quidem effectum illud relationem habet & affectionem ad ſingulas ſuas cauſas, ſed nomen non ſortitur, niſi ex modo quo ex cauſis ſimul junctis exiſtit & producitur: qui modus ſi ſit neceſſarius, neceſſarium dicitur, ſi contingens, contingens.* *Armini Antiperk. p. 710. ed. Ber.* Tum infero ex tuis placitis effectuum contingens ex decem cauſis; & ex una neceſſarium, eſſe partim contingens, partim neceſſarium. 2. An non motus ſolis eſt contingens ſeu liber in relatione ad Deum? nam Deo ita libere volenti olim conſtitit ſine motu ſol, & reſpectu ſolis eſt naturalis: doce tu ergo utrum motus ſolis ſit neceſſarius an contingens: hic cogeris dicere eſſe diverſo reſpectu & contingens & neceſſarium, & ſic quæ infinitè opponuntur, in idem coincidunt. 3. Si decem illæ cauſæ ſunt proximæ, totum effectum denominatur contingens, & quia Deus decrevit

concur-

concurrere cum illis decem cauſis, erit effe-ctum etiam neceſſarium in relatione ad Deum. 4. Si Dei modus concurrendi vel agendi ſit partim neeeſſarius, partim liber, qualis erat mundi creatio? Deus enim abſolutè ab æterno mundum decrevit creare, & tamen liberè creavit mundum; vel volitio creationis in Deo orta eſt in tempore, & ſic mutabilis eſt; vel creatio mundi erit & & libera & neceſſaria diverſo reſpectu, 5. *Petrus* mutabiliter & defectibiliter credit, uti omnis cauſa ſecunda facit: Deus vero impedibiliter & immutabiliter, ut credat. Videat *Arminius* quî iſta contradictoriè oppoſita commiſceat.

4. Obj. *Decretum Dei, cum ſit interna Dei actio, non eſt rei cauſa immediatè, ſed quicquid facit, per potentiam facit, unde nihil eſt neceſſarium reſpectu decreti. Reſp.* Non ſequitur: poſito decreto, neceſſario effectus contingens fiet, non quia decretum influit immediate in effectum, ſed quoniam decretum applicat in tempore omnipotentiam ad determinandum voluntatem.

5. Ob. Sic reſpondet *Iacob.* objectioni ſibi propoſitæ; oſſa Chriſti ſi naturam oſſium quis conſideret, frangi potuerunt; ſi decretum Dei, non potuerunt frangi. *Reſpondeo* (inquit) *me negare, quod reſpectu decreti divini non potuerunt frangi. Deus enim non decrevit, ut non poſſent frangi, ſed ut non frangerentur.* Fractionem enim non impediit potentia irreſiſtibili: ſed levi ſuaſione, argumento ducto, ab inutili.

utili. *Reſp.* 1. Non potuit imprudens ſophiſta clamoſius ſibi contradicere. Concedit enim Deum decreviſſe ut non frangerentur oſſa Chriſti, & tamen argumentum ab inutili, milites frangebant contingenter, Ergo fractio illa reſpectu Dei decreti erat neceſſaria: alioqui Dei decretum reſcindi potuit, & reſpectu militum erat contingens, quod eſt inſtitutum. 2. Dicat quis noſtrum; aſſerat Deum decreviſſe, ut oſſa Chriſti non poſſent frangi; hoc illi in ſomniis venit in mentem. 3. Dicimus Deum decreviſſe ut milites non frangerent oſſa, id quod *Iacobus* ait, ſed quæro, an potuerint non frangere. Certè fatetur id *Iacobus Arminius*, quando negat vi irreſiſtibili milites fuiſſe à Deo impeditos, vult vi reſiſtibili milites fregiſſe. Nam negat ſuaſionem determinare voluntatem; quæro quomodo itaque Deus decrevit ut frangerentur; decretum illud reſcindi potuit à militibus libere frangentibus, hoc eſt ita frangentibus ut potuerint non frangere. Quid hic, *Iacobe*, reſpondeas aveo ſcire, nempe ex præſcientia determinationis liberi arbitrii militum, decrevit ut non frangerentur. Itane? Ergo prævidit prius ipſos non velle frangere, & tum decrevit ut non frangerentur, hoc eſt, ſi velit lector nugas audire, poſtquam præſcivit Deus è feneſtra ſcientiæ mediæ, fore ut milites liberè non frangerent: decrevit ut ab iis non frangerentur. Pudeat itaque theologos, ſuperficiarium rudem, & logicæ planè ignarum impoſtorem ſ4. 16.4 15

depe-

deperire, & ut doctorem demirari. 4. Quaſi vinolentus nihil non molitur, ut defendat effectum non eſſe diverſo reſpectu & contingens ſive liberum & neceſſarium, & tamen reſp. ad art. 6. p. 142. ait *Mundus vero; ut & omnia alia ſecundum abſolutam conſiderationem, contingentia ſunt, & contingenter à Deo liberè operante producta. At vero poſito quòd Deus vult mundum condere potentiâ infinitâ; & poſito quod Deus actu iſtam potentiam uſurpat; jam dicetur mundum non potuiſſe non exiſtere ex iſta cauſa.* Illic verbis videtur fateri mundum & contingenter & neceſſario à Deo creatum eſſe. Sed velim, ut lector vafriciem miſelli theologaſtri obſervet; non dicit mundum neceſſario exiſtere hoc poſito quod Deus infinita potentia vult mundum condere, ſed vult aliam poni conditionem, nempe hoc poſito quod Deus actu iſtam potentiam uſurpet. At quis dubitet Deum neceſſariò condere mundum, quando actu condit? Sed quæro, cur non ſufficit ad neceſſitatem creationis mundi hoc poni, quod Deus velit mundum condere infinita ſua potentia. Hoc ſi *Arminius* fateatur ſufficere, cogetur dicere actum liberum & decretum abſolutum adverſis frontibus haud pugnare, & idem eſſe contingens in ſe, & neceſſarium reſpectu decreti divini. Sed aliud forte heterodoxius ſubeſt, nempe quod fieri poſſet ut Deus decreverit mundum infinita ſua potentia creare, & tamen non neceſſe eſt ut creetur, niſi Deus etiam actu potentiam infinitam uſurpet; quia forte

ſorte oritur in Deo nova ſcientia & mutatio voluntatis, aut quia nihil ab æterno decrevit, ſed volitiones ipſius temporales ſunt, etiam in effectibus à ſolo Deo productis, & ſic Deus inconſultius aget, quam homines.

12. *Object.* 6. Contradicens (inquit) eſt in adjecto contingenter aliquid fieri, hoc eſt, ita fieri, ut poſſit non fieri, & tamen idipſum eſſe determinatum ad alteram partem, ut non poſſit non fieri id, quod determinatum eſt (per Dei decretum abſolutum) ut fiat, nec ſufficit manere libertatem quoad naturam creaturæ, nam ad contingentiam non ſufficit, ut adſit potentia, quæ libere agere poſſit ſecundum naturam; ſed requiritur, ut uſus illius potentiæ & libertatis nullo modo impediatur, & quæ inſania eſt concedere potentiam in creatione, & cum jam uſurpanda eſt, ipſam auferre. Hoc eſt potentiam concedere, quum illius uſus non eſt, & cum uſus ejus & neceſſitas eſt, tum libertatem in actu impedire. Idem etiam in anal. *Rom.* 9. ait ad libertatem requiri potentiam & δυνάμει & ἐνεργείᾳ non impeditam, & *Remonſt. in confeſſ.* volunt non tantum potentiam eſſe liberam, ſed & uſum liberum, atque ad oppoſita indifferentem. *Reſp.* 1. Contradicens in adjecto non eſt aliquid fieri contingenter reſpectu cauſæ ſecundæ, & eſſe determinatum reſpectu Dei decreti, quod ſtatuit futuritionem æternam illius actus, quem voluntas determinatè ex inſita ſua libertate producet, ſicut non eſt re-

Reſp. ad art. 7. p. 144.

p. 700.

Remonſt. confeſſ. c. 6. th. 3.

pug-

pugnans; ſi auferatur Dei decretum, voluntatem poſſe velle hoc, vel nolle, & tamen quoad æternam futuritionem determinate tantum hoc velle, non nolle, non enim poteſt & velle & nolle idem, ut innuit Sophiſta, niſi ab æterno præceſſerit & futuritio æterna volitionis, & æterna non futuritio volitionis hujus, quæ palpabilis eſt contradictio. 2. Bene eſt quod fateatur *Arminius* poſito decreto abſoluto, manere potentiam liberam. 3. Ait requiri ad libertatis naturam, ut uſus ipſius non impediatur; ſed quomodo probat Sophiſta ex decreto abſoluto impediri uſum libertatis? certe hic obmuteſcit, nihil adfert ne ſyllabam qua probet. Semper videbis illum, quando ad probationes ventum eſt, ſilere, quaſi hiatus oris aut inanis conatus cerebri profligandæ veritati par eſſet. Neque *Remonſtrantes* verbulo probant impeditionem uſus liberi, quin & nos dicimus poſito Dei decreto; tandem omnipotentiam adjuvare, non impedire libertatem, & libertati quaſi gravidæ actus quoad futuritionem producendi, obſtetricari, & cum libertate in hunc non in alium actum propendente, concurrere ad extractionem actuationis è potentia libertatis, quam illa ſola ſuis viribus extrahere non poſſet. 4. Hic lector videat, quam diſſimulatè & minus candidè noſtram ſententiam exponant. Nam voluntas non magis impediri poteſt, quam cogi, imo voluntatem liberam velle impeditam, eſt ſimul velle & non velle & velle coactam,

quia

quia impeditio eſt impedimentum ponere voluntati, ne velit, hoc eſt efficere, ut velit contra ſuam inſitam propenſionem, ideoque non velle, quia τὸ velle in ſuo conceptu claudit vitalem propenſionem. 5. *Arminius* dicit auferri uſum libertatis cum opus eſt, & forte hoc eſt actum impedire, ſed falſo & abſurde, bone Deus, quia hoc innuunt voluntatem inclinare ad volendum A B. C. D. & decretum abſolutũ vi torquere inclinationem à volitione τὸ A. B. D. & efficere, ut impedita & conſtricta velit C, non A, non B, non D, hoc ſomnium eſt ipſorum non doctrina noſtra, imo volumus voluntatem ex ſe poſſe velle, A, B, C, D. & quoad æternam futuritionem volituram eſſe liberrime C, non A, non B, non D, etiam poſito per impoſſibile, quod non eſſet in Deo decretum, at vero Dei decretum ſuperveniens & antecedens volitionem τοῦ C, non conſtringit voluntatem; de voluntatem in eo vitali ſitu locat, in quo electione liberrimâ, admirandâ conſpiratione, id eſt, volitura, & non aliud; quod Deus abſoluto decreto definivit volendum, & rurſus Deus abſoluto decreto illud prædefinit; & non aliud; quod libertas humana actu eliget: jàm quærant hi Davi impeditionem ſuam commentiam. 6. Accuratius *Arminius*? uti vulgo vendicatur, vult potentiam eſſe δυνάμει hoc eſt, potentiâ liberam, quæ nugæ? Potentia potentiâ libera. 7. Uſum eſſe indifferentem ad oppoſita; eſt repugnans in adjecto, ita tamen loquuntur *Re-*

monſtrantes: nam uſus liber eſt actus libertatis, actus libertatis eſt actualis determinatio voluntatis, at vero determinationem libertatis eſſe indifferentem ad oppoſita, eſt determinationem eſſe determinabilem, & non determinationem, & album eſſe nigrum, deinde potentia dicitur indifferens ad oppoſita, non actus, vel uſus libertatis: nam quando adeſt uſus, tollitur indifferentia ad actus oppoſitos. Sed *Remonſtrantes in apolog.* cap. 6, pag. 70 dicunt ſe velle nullam circumſtantiam adeſſe vel abeſſe à voluntate cum qua non poſſet conſiſtere ipſum non agere, hoc itaque eſt actum abſolute poſſe fieri, vel non; & ſic ita loquuntur, non tantum potentia ſed & uſus debet eſſe indifferens hoc eſt non tantum actus liberi poſſunt eſſe vel non eſſe ſed etiam poſſunt eſſe vel non eſſe. Nam Sophiſtæ non docent, quod non-impeditio actus ſuperaddat non-impeditioni potentiæ.

Armini ibid. 13. *Obj. 7.* Ex hac determinatione ſequitur 1. Deum eſſe authorem peccati, 2. Deum verè & propriè & ſolum peccare, quia poſita lege vetante, iſtum actum, & prædeterminatione tali, qua actus ille non poteſt non patrari, ſequitur Deum ipſum eſſe qui legem tranſgrediatur, utpote qui faciat ipſe actum contra legem, quomodo actus homini eſt inevitabilis. *Reſp.* 1. quia Deus effectivè determinat actus poſitivos illegalitati in peccato ſubſtratos, nullo modo ſequitur eum eſſe peccati authorem, ſed alibi cum bono Deo diſputa-

putabitur de Dei circa peccatum volitione. 2. Injurius eſt in providentiam, qui Dei efficientiæ & decreto admit actus poſitivos in peccato, neque ſequitur Deum eſſe, qui legem tranſgrediatur. Nam creaturæ vetuit actus quoſdam: at doceat quâ lege cautum ſit, ne Deus mundum adminiſtret, omnia entia æterno decreto, modo, menſura, numero & circumſtantiis determinet, ne tanquam prima cauſa cum actu poſitivo in pecato concurrat. Num *Arminius*, Deo lege prohibitum eſſe velit, ne in eo creaturæ vivant, moveantur, & eſſe habeant? *Act.* 17. 3. Quæro an actus poſitivi in peccato nullo Dei decreto, ne quidem conditionato fiant, æterna Dei voluntate: ait *Arminius* Deum *velle omnia illa quæ ex infinitis ſibi poſſibilibus entibus, per extremum ſapientiæ judicium facienda decrevit, & quidem vult illa facere.* Aſſerit Dei voluntatem omnium rerum eſſe cauſam mediante potentia, inter quæ, eo loci numera actus contingentes. *Ibid.* hinc voluntas Dei ex *Arminio* erit cauſa actuum lege prohibitorum, qua ſunt actus. Ergo ex *Arminio* Deus vere, propiè, & ſolus peccat, & peccare decrevit, utpote qui faciat ipſe actum contra legem. Item diſp. 10. th. 15. citra omnem injuſtitiam, efficientiam Dei in concurrendo aſtruit Ergo, inquam, ab æterno decrevit concurrere, ideoque actu poſitivo voluntatis ſuæ mediante potentia, actum peccaminoſum efficere. At ſcio *Arminium* dicere Deum velle illum actum voluntate

Armin. diſp. pub 1 th. 52.

theſ. 54. p. 215.

Diſp. 10. th. 15. p. 261.

Ita Arminius vult ex

abſoluta & indifferenti libertate hominem peccare vel non, ideoque poſitivum actum exercere vel non Ideoque eſt penes hominem neceſſitare Deum ad actum turpiſſimum id quod olim obſervavit Bradwardina.

non abſolutâ ſed conditionatâ. Age itaque *Iacobe*, quid eſt voluntas conditionata, nempe Deus præſciens creaturam libere actum peccaminoſum efficere, vult. hoc eſt poſtquam actus eſt, actum eſſe vult. At mendacem oportet eſſe memorem. An Dei voluntas, mediante potentia, erit cauſa actuum contingentium, uti faſſus eſt ſupra, nempe poſtquam eſt actus contingens. tum enim quia vult hoc eſſe poſtquam habuit eſſe, Dei voluntas eſt ipſius cauſa. Apage, Sophiſta, ineptias. 2. Vide, qui *Arminius* Deum excuſet, vult ipſe vere & proprie & ſolus facere actum lege prohibitum, non abſolute, ſed conditionatâ voluntate, nempe præſciens creaturam illum actum efficere, at vero velle ſeu approbare actum lege prohibitum, poſtquam eſt, non eſt minor injuſtitia, quam illud velle & intendere abſolute, antequam ſit, ac proinde hoc argumentum in detrimentum non mediocre cedet doctrinæ *Arminianæ*. 4. Actus peccati Deo erit inevitabilis: nam ſi voluntate Dei conditionata fit talis actus, tum habet eſſe antecedenter ad voluntatem, & ſic Deus fato volet actum lege prohibitum. Non enim poteſt avertere, ut id quod eſt, non ſit, & non poteſt non velle illum actum, quia ipſius voluntas, non poteſt non eſſe cauſa omnium actuum poſitivorum: *Arminius* hic Deum fato eximat. 5, Actus contingens à Deo definitus nullo ſenſu dicitur creaturæ inevitabilis. Fit enim libere à creatura, quæ libere

bere id vult & aliud libere non vult, quam quod æterno Dei decreto eſt determinatum. Itaque commentitia illa inevitabilitas, ſi qua eſt, tam ortum habet à libertate creaturæ, quam â decreto Dei. 6. Deus ex abſoluto ſuo dominio nulla lege nexus decernit efficere actus poſitivos libertatis tanquam prima cauſa, & creaturæ legi obnoxiæ libere eoſdem actus efficiunt contra legem & dictamen conſcientiæ, ideoque hic illæ peccant, Deus vero nullo modo tranſgreditur.

14. *Ob.* 8. Tertio (inquit *Arminius*) ſequitnr Deum homine peccatore & peccato indiguiſſe ad gloriam juſtitiæ & miſericordiæ illuſtrandam. *Reſp.* Expectabam ut audirem probationem conſequentiæ, & *Arminius* obmutuit, ſatis habuit ponere non probare, quod ei ſolenne eſt, atqui dicemus nos Deum libere gloriam juſtitiæ & miſericordiæ declarare, potuit non declaraſſe, non eſt apud creaturas gloriæ indigus. 2. Hoc poſito quod Deus gloriam decreverit illuſtrare, libere decrevit peccati permiſſione eam patefacere, non indigus vel peccati vel peccatoris, ſed libero decreto permittere volens. At vult *Arminius* nos docere Deum non potuiſſe alio modo, quam peccato gloriam declarare. *Reſp.* medium hoc divinæ ſapientiæ, cujus nulla eſt homuncionibus inveſtigatio, credimus nos eſſe convenientiſſimum, ex hypotheſi, quod Deus decreverit gloriam juſtitiæ uindicatricis & miſericordiæ parcentis creaturis patefacere: illi

ſpiritum *Jehovæ* inſtruant, nos adoramus & credimus, infinitæ Dei ſapientiæ relinquimus innumera poſſibilia, quibus fines ſuos poſſet fortiter attingere.

Armin. ib. p. 145.

Ob. 9. Sequitur ex decretò abſoluto contingentium, peccatum non eſſe peccatum. *Reſp.* Facile eſt *Arminio* quatuor verba ponere, at tam facile eſt mihi reponere, ex hoc decreto optime ſequitur peccatum eſſe peccatum: nulla enim eſt hic neceſſitas, quæ libertatem evertat.

Obj. 10.

15. Ad *Suarezium* accedo. Voluntas creata decreto ſubjacens non magis poteſt aliud velle, quam determinatum eſt illo decreto, quam Dei decretum reſcindi poteſt. *Sed non eſt ſatis* (*inquit Suarez.*) *ſi dicamus manere poteſtatem, poſitâ neceſſitate ex ſuppoſitione, quoniam ex tali ſuppoſitione, eſt ſopita & impedita, quoad alia omnia præter illud unum, quod eligitur, & ideo eſt tantum potentia remota ad plura, non vero propinqua, qualis requiritur ad uſum libertatis.*

Suar de receſſ. grat. p. 1. prolego. 1. 1. c. 6. ſ. 27.

Reſp. (voluntas non poteſt aliud velle, quam quod decernitur à Deo) diſtingui debet. Nam illud (*non poteſt*) vel notat impotentiam in voluntate, quaſi per decretum eſſet conſtricta, & fataliter torta, vel (*non poteſt*) eſt libertatis non potentia electiva, & idem eſt quod, liberè non poteſt, vel non vult, quippe ſi (*non poteſt*) in latiſſimo ſenſu accipiatur, quoties vult hoc, non poteſt hoc non velle, at vero ut decreto ſubeſt, libere non poteſt aliud velle, quam vult, & decretum eſt, non ex impotentia,

tentia, quaſi decretum removeret, vel judicium rationis, vel vim electivam, vel imperialem illam propenſionem voluntatis, imo hæc omnia ponit, quia hæc non-potentia æque eſt ab ipſa libertate, ſed dependenter & ſubordinatè, atque à Dei decreto principaliter. Hæ (voluntas decreto ſubjacens, non poteſt aliud velle quam quod decretum erat a Deo) & (voluntas non poteſt aliud velle quam actu vult) ſunt una & eadem non-potentia quoad objectum & terminum, quoniam decretum Dei ad eundem terminum flectit mediante potentia, ad quam ſe libere flectit ipſa voluntas. jam vero voluntas libere volens hoc, non poteſt non velle hoc, ideoque hæc non-potentia eſt libera, non ſequitur itaque ex hoc (*non poteſt*) vel læſio libertatis, vel uſus. 2. Ita ait *Alvar. ut homo* (inquit) *vere poſſit uelle aliquod objectum, non requiritur quod ex æternitate præceſſerit in Deo abſolutum & efficax decretum prædeterminans ejus liberum arbitrium ad volendum idem objectum, quamvis id requiratur ut illud actu velit. unde ex hoc, quod in Deo non fuerit ejuſmodi decretum, non ſequitur quod homo non poſſit velle tale objectum abſolute loquendo, ſed ſolum ſequitur quod de facto non velit illud.* Hinc recte infero, quâmvis homo actu libere velit id ſolum ad quod decretum libertatem determinat mediante potentia, tamen, ſive Deus tale decretum habuerit, ſive non, poteſt voluntas contrarium velle. Nam ad τὸ poſſe velle non requiritur decretum abſolutum,

Alvar. de auxil. l. 3. q. 21.

ſed ad τὸ velle. Ideoque poſito decreto abſoluto manet potentia aliud volendi, ideoque libertas, quod & annotavit *Aquinas.* 3. Manet (inquit *Suarez*:) ſed ſopita & impedita ſub Dei decreto, at vero quis ſopor eſt *Ieſuitæ* hoc allegare, non probare? Num lectorem ſopore oppreſſum credit? Nam potentia hoc eſt non libere exerens ſuam potentiam aliud volendo, quam quod libere vult, & ad quod decretum abſolutum voluntatem determinavit ut liberè vellet, hiccine ſopor, an vero vigiliæ? nulla hic impeditio, quia libertas, ſi non hoc vellet, certe impediretur. Sed hæc res eſt, ſopor eſt *Ieſuitæ*, ſi libertas non ita ſolvatur à providentiâ, ut ſopitâ providentiâ, poſſit libertas, abſolutâ indifferentiâ omnibus ad agendum requiſitis poſitis, velle. vel non velle. Ideoque poſita æterna futuritione volitionis, & non futuritione æterna nolitionis, tamen poteſt libertas non velle, & ſic erat nolitio in tempore, quæ non futura erat ab æterno, quod *Ieſuita Vaſquez.* jure merito rejicit. Sed memini quid *Suarez* alibi dicit *potentia* (inquit) *ſolum in ſenſu diviſo* (quam nempe nos libertati damus prout ſubeſt determinationi Dei) *non poteſt immediate reduci in actũ, ſed oportet ut procedat aliqua diſpoſitio aut mutatio, qua potentia reddatur proxima, vel acquirendo aliquid neceſſarium ad actum, vel tollendo impedimentum, & ſic niſi potentia ſit proxima ad agendum & non agendũ impeditur uſus liber. Vt poteſtas quam habet album, ut ſit nigrum non reducitur ad actum, niſi*

Aquin 1. par. q. 23, art. 6.

Vaſq. in 1. d iſp. 63. q. 19. ſg. 39.

Suar. de neceſſ. grat pro. 1. c. 3. ſ 11.

niſi ablata albedine. R. 1 Voluntas habitu gratiæ inſtructa ſub Dei decreto eſt in potentiâ proximâ ad non agendũ in ſenſu diviſo, ſi nempe removeatur decretum Dei, & ponatur contrarium. Nam neque decretum, tempus, aut locus, aut ejuſmodi ponunt in voluntate, novam potentiæ aut diſpoſitionis acceſſionem. Nam oculus in tenebris, hoc modo, eſt in potentiâ proximâ ad videndum, quoniam acceſſio luminis non addit novam potentiam viſivam oculo, quam non habuit in tenebris, 2. Potentia albi, ut ſit nigrum eſt potentia paſſiva: at voluntas ſub Dei decreto habet potentiam electivam, vitalem, activam ad non agendum, ſi removeatur Dei decretum, & contrarium decretum poneretur. Neque decretum eſt impedimentum actui contrario, tum quia repugnat voluntatem impediri in agendo, tum quoniam voluntas non poteſt contrarium actum tunc elicere, non-impotentiâ, ſed voluntatis liberâ non-potentiâ & vi electivâ. 3. Vis pandam myſterium hic Jeſuiticum? vult libertatem omnibus ad agendum requiſitis abſolute poſſe agere & non agere, ita ut ſi velit, præceſſerit in Deo decretum volendi; ſi nolit, uti abſolute poteſt, fuerit in Deo decretum nolendi. Unde Deus nihil omnino abſolute determinavit de actibus liberis, ſed voluntas Dei hodie eſt ſuſpenſa, & ab æterno fuit ſuſpenſa tam ad *Petri* volitionem quam nonolitionem approbandam, ideoque decretum Dei certum & fixum de hac potius volitione

I 5 *Petri*

Petri quam de illa, vel de nolitione, tum oritur de novo in Deo, quando *Petrus* ult: alioqui potentia libera non erit immediate & proxime indifferens ad agendum vel non agendum. Certe decretum Dei non magis eſt cauſa vaſtationis *Chaldæorum*, quam non vaſtationis, & objectum decreti eſt poſſibile, quæro de conſequentia Dei à decretis, id quod *Arminius* teſtatur, *Certa eventus contingentium futuritio neceſſitatem non includit.* At quid hoc aliud eſt, quam Deum nihil certo ſcire, nihil voluntate decernere de futuris contingentibus, donec actu eveniant? & ſcientiam Dei in tempore incipere, ut & omnes volitiones? ut taceam quam ſit abſurdum futuritionem rei non eſſe neceſſariam. Nam ſi eſt futuritio & è ſtatu poſſibilitatis extracta, tam neceſſaria eſt, quam neceſſe eſt idem ſit idem, futurum ſit futurum. Imo futurum neceſſitatem non includere eſt futurum poſſe eſſe non futurum.

Armin disp. 4. theſ. 54.

Ob. 11. Suar. de neceſſ. grat. par. 1. proleg. 1. c 6, th. 15.

10. 2. *Ob. Suar.* Si ſuppoſitio ita antecedit voluntatem ut non ſit in poteſtate ejus, illam ponere vel tollere, & ex tali ſuppoſitione neceſſario ſequitur actus, talis actus non poteſt eſſe liber. Hinc formatur argument. Decretum abſolutum pugnat cum Dei juſtitiâ, quia prœmia & pœnæ non jure irrogantur hiſce qui in ſua poteſtate non habent, quæ faciunt, atqui poſito tali decreto, non habent homines in ſua poteſtate, quæ faciunt. Ergo &c. Prob. minor. Illud in poteſtate, homines non habent, cujus neceſſarium antecedenter requiſi-

tum in ſua poteſtate non habent; atqui non habent homines neceſſarium antecedenter requiſitum in ſua poteſtate. Non enim in ſua poteſtate habent Dei abſolutum decretum, neque determinationem Dei phyſicam. Hinc *Remonſtrant.* ut quis liber dicatur, volunt eum habere debere in ſua poteſtate omnem circumſtantiam, cum qua componatur agere vel non agere. Hoc argumentum urgent. *Vaſquez*, *Molina*, *Fonſeca*, *Leſſius*. *Remonſt. in apol. c. 6. f. 70.*

11. Quoniam hoc unico argumento tantum non triumphant *Ieſuitæ* & *Arminiani*, quanti ſit videamus. *Reſp.* Eo inclinat argumentum hoc ut dicant homines habere in ſua poteſtate Dei decreta, ut ſic homines electionis & reprobationis ſuæ fabros faciant, Deum dominio in creaturas, & libertate in eligendo & reprobando, ſpolient. Quo nomine Deus figulo terreno dignitate cedet, & terrenis judicibus, qui ſua decreta & ſtatuta, ſubditorum arbitrio ægerrime indulgent; ſic hic videant quæri, utrum Deo, an hominibus competat abſoluta libertas. Sed ſi homines efficiant, ut Deus talia vel talia decreta formet, ſequi humanam voluntatem eſſe divinæ volitionis occaſionem vel cauſam, id quod diſerte affirmat *Arminius*, ideoque Dei cauſam dari poſſe, vel voluntatem non eſſe eſſentiam Dei, quod eſt Deum non eſſe Deum. 2. Quia eſt in omnium arbitrio ad finem credere, habent homines in ſuo arbitrio decretum univerſale electionis, & in omnium arbitrio eſt nunquam credere, *Vide Suar. de auxil. l. 1.* *Armin. diſp. 4. theſ. 53.*

habent

habent homines in ſuo arbitrio univerſalem reprobationem. 3. Neque Deus quorum vult miſerebitur, ſed ex debito flectetur voluntas miſerendi: atqui Arminiani ſuam gratiam efficacem adminiſtratam decreto prædeſtinationis à decreto providentiæ diſtincto, uti fabulatur *Arminius*, & *Ieſuitæ*, motionem congruam hominum arbitrio non ſubjicient: qui igitur habent homines in ſuo arbitrio omnia antecedentia ad liberum actum requiſita? 2. Illud (in poteſtate, id homines non habent, cujus neceſſarium antecedenter requiſitum, in poteſtate non habent) eſt multis nominibus apertè falſum. Nam erat in *Adami* arbitrio, legem præſtare, & non comedere de fructu vetito: at vero non erat in *Adami*, ſed in ſolius Dei arbitrio, interdicere eſu illius arboris, quod erat tamen antecedens requiſitum ad obedientiam *Adami*. Electi per gratiam Dei habent in ſua poteſtate, ut credant promiſſionibus Dei: at vero ſolius Dei eſt promiſſiones proponere, quod antecedenter requiritur ad fidem. Subditi & ſervi, in poteſtate ſua habent, ut obediant legiſlatoribus, & heris juſta imperantibus: at in poteſtate non habent, ut legiſlatores & Domini imperent hæc, vel non. Congruè vocati habent in ſua poteſtate, ex placitis Jeſuitarum, ut obediant Deo congruè vocanti: at vero in poteſtate ſua non habent, ut congruè vocet vel non.

Alvar. diſp. 21. ad ſig. 8. 3. Reſpondet *Alvarez*. Si ſuppoſitio (inquit) ita antecedit voluntatem, ut teneat ſe ex parte cauſæ creatæ diſtinctæ ab ipſa voluntate humana,

mana,tum propoſitio eſt vera: at vera non eſt, ſi ſe teneat ex parte primæ & univerſaliſſimæ cauſæ. Ratio,quia ſola prima cauſa poteſt immutare voluntatem humanam efficaciter, ut ipſa ſervet ordinèm naturalem operandi, huic reſponſo illudere ſatagit *Suarez*. 16. ad ſig. 12. ſed revera petit principium. 4. Illud aſſertum optime diſtingui poteſt. nam ſi illud antecedenter requiſitum, vi & contra naturam arbitrii, fatali neceſſitate torqueret arbitrium, valeret argumentum. At hoc nos minime docemus. Sed ſi illud antecedenter requiſitum ſuaviter determinet potentiam ad illud idem numero objectum, & non ad aliud, quod voluntas de facto liberè eliget, tum actus liber eſt in voluntatis poteſtate, quamvis illud antecedenter requiſitum non ſit in noſtrâ poteſtate, quoniam decretum conſpirat in illud idem volitum cum libertate. 5. Diſtingui etiam poteſt minor. (atqui Dei abſolutum decretum, non eſt in poteſtate hominis) duobus enim modis Dei decretum eſt in poteſtate arbitrii, vel ut in cauſa, vel ut in effectu: ut in cauſa; quando ipſum decretum eſt in arbitrio noſtro, & nòn neceſſe eſt hoc dicere, neque poſſibile eſt, ut actus in Deo immanens & æternus ſit in poteſtate arbitrii noſtri, quod in tempore operatur: at vero eo modo, decretum Dei eſt in poteſtate arbitrii, quo poſſibile eſt, & quo ſufficit ad ſalvandam libertatem, nempe eſt in arbitrio noſtro ſecundum effectum, quoniam, nempe, quod eſt à Deo

deter-

determinatum in decreto abſoluto, eſt in noſtra poteſtate, huic qui libere non credit in effectu, & interpretative apponit ſigillum decreto reprobationis, ut Prov. 8. 36. *Qui me* (inquit ſapientia) *odio habent, mortem diligunt;* interpretativè, & ita etiam decreta Dei in hoc ſenſu ſunt in noſtra poteſtate, quod nos talia non voluiſſemus, niſi Deus, ut vellemus talia, decreviſſet. Hoc itaque ſenſu decretum eſt in noſtra poteſtate, nempe quoniam effectus, objectum, & terminus decreti, nempe actus liber abſolute à Deo decretus eſt in noſtra poteſtate, & hoc ſufficit ad ſalvandam libertatem. Ideoque hic eſt ſanus & verus aſſerti illius ſenſus. Illud non eſt in noſtra poteſtate, quod nec in cauſa ſive in ſeipſo, nec in effectu, interpretative, vel in objecto volito, eſt in noſtra poteſtate, quo ſenſu vera eſt major, & minor eſt falſa. Et ratio hujus eſt plana, quia ratio obedientiæ aut inobedientiæ, meriti aut demeriti non eſt formaliter in hoc quod nos homunciones habeamus in nutu & poteſtate arbitrii noſtri decretum antecedens actus noſtros. Nulla enim lex mihi imperat ut vel habeam, vel non habeam Dei abſolutum decretum in mea poteſtate: ſed in eo eſt ratio obedientiæ aut inobedientiæ, quod id eligam, vel non, quod non tantum decreto abſoluto decretum eſt, ſed etiã quod lege Dei revelatur.

Prov. 8. 36.

Suar. ibid. f. 17.

Ob. 12. 3. Sic *Suarez, Actus hominis non eſt liber per ordinem ad voluntatem Dei, ſed per ordinem*

nem ad voluntatem hominis, ſicut non eſt vitalis actus, quia procedit à Deo, ſed quia procedit ab intrinſeco principio vitæ hominis: Ergo, ut actus ſit liber homini, oportet, ut non ſit neceſſarius eidem homini, per neceſſitatem antecedentem liberum influxum ejus. Reſp. 1. Non eſt formaliter liber in ordine ad Dei voluntatem, eſt tamen liber cauſaliter ab eo, alioqui *Ieſuita* non vult nos agere Deo gratias ob actus ſupernaturales fidei charitatis, ſpei, & reſipiſcentiæ. 2. Non ſequitur, quoniam quando Dei determinatio cadit in idem objectum, in quòd libertas creata cadit, (quod hic fit,) idem actus eſt liber Deo independenter & principaliter, & homini dependenter & ſubordinatè.

14. *Ob.* 13. 4. Sic arguit, *neceſſitas antecedens non eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, quia non fundatur in illo principio, impoſſibile & idem eſſe, & non eſſe, ſed in hoc impoſſibile eſt talem cauſam ſic effectam eſſe, & ex illa non ſequi effectum, eſt itaque neceſſitas ex cauſa, & Phyſica, ideoque deſtruit libertatem. Reſp.* 1. Fundatur in illo principio poſſibile eſt Deum movere libertatem, & illam non moveri. 2. Non fluit liber actus ex decreto cauſativè, ſi propriè loquamur, ſed fluit propriè, expoſitione decreti, mediante potentiâ. Nam decretum ponit voluntatem ſeſe inclinaturam libere, & etiam neceſſario ſecundum quid. 3. Quamvis neceſſitas cauſalis repugnet libertati, tamen neceſſitas ex cauſâ infinitâ, qualis eſt Deus, non repugnat, quia eâ arte infinita poteſt movere *ibid. f.* 26.

liber-

libertatem, ciendo illam, potentiæ, quaſi, partem, quæ reſpicit objectum à ſe abſolute determinatum, ut tamen & neceſſario & libere moveatur.

15. *Object.* *Quinto* ſic arguit, *ſi ſuppoſitio decreti antecedat influxum libertatis, ſicut in ejus poſitione non intervenit exercitium libertatis, nec in emanatione effectus à tali ſuppoſitione, quia ſuppoſitio non ſubditur dominio libertatis, ac proinde nec ipſa poteſt talem emanationem impedire.* *Reſp.* 1. Supra probatum eſt conſequens eſſe in arbitrio voluntatis, quamvis antecedens non ſit. 2. Non poteſt impedire, quia libere non poteſt, ideoque non vult, & tamen ſequitur abſolutum Dominium ſui actus non competere libertati creatæ, quod haud indignanter largimur: id enim ſoli Deo competit.

Suarez de grat. par. 1. prol. 8 c. 8. Huc refer, quod habet *Suarez.* de decreto conditionato concurrendi hâc horâ & loco cum voluntate humanâ non determinatè ad agendum, ſed ad coagendum, ſi arbitrium

Ob. 16. creatum coagere voluerit. *Reſp.* Somniant vero ſalvari non poſſe libertatem noſtram, niſi Deus tali decreto exponat ſe in bivio ad concurrendum, vel non, ſiquidem homo velit, vel non, ſed. 1. ipſe *Suarez* nullam admittit confuſionem in decretis Dei: ait enim hoc ſapere imperfectionem, ſed voluntas concurrendi cum *Petro*, ſi velit, aut non concurrendi, ſi noluerit, eſt decretum confuſum. Quid hic *Suarez.* ib. ſig. 16. *Dicitur* (inquit) *hoc decretum generale, non tamen confuſum, quia per illud*

illud non offertur concurſus ad unum tantum actum, ſed ad plures vel etiam ad omnes, quos liberum arbitrium circa objectum ſic propoſitum poteſt hic & nunc exercere, ad omnes (inquam) *non in individuo poſſibiles, ſed in ſpecie, non tamen confuſe, ſed in particulari, ad determinatum & ſingularem actum ſub ſpeciebus ſingulis, ut ad talem actum amoris, odij, conſenſus vel diſſenſus.* Reſp. 1. Ipſe *Suarez*. ib. ſig, 10, agnoſcit decreta circa poſſibilia futura eſſe otioſa & à ſapientia Dei aliena: atqui hoc decretum eſt concurrendi cum *Petro*, ſiquidem ipſe coagere voluerit, Nempe ſi *Iudas* finaliter vult credere, decrevit Deus cum illo concurrere; & tamen *Iudas* nunquam eſt finaliter crediturus, quæ vel hic ſapientiæ umbra, vel *Suarezio* judice? 2. Hoc decretum conditionatum vel innititur ſcientiæ, vel non. Si non, eſt decretum cæcum & irrationale. Si prius: inſulſe Deus decrevit concurrere cum actu, quem nunquam futurum prævidet: ſic enim dici poſſet Deum decreviſſe reſipiſcentiam diabolorum, & fidem finalem omnium reproborum. 3. Quomodo hoc decretum ſit generale, expoſitum omnibus actibus poſſibilibus, & tamen non confuſum, eſt ἀσύστατον / ἀντίλογον. 4. Per hoc decretum vult concurſum offerri ad actus non in individuo, ſed in ſpecie poſſibiles, & tamen ad omnes, quos liberum arbitrium poteſt hic & nunc exercere, hæc eſt contradictio, nempe offertur concurſus ad omnes in individuo, & non ad omnes hic & nunc, hoc eſt,

non ad omnes in individuo. 5. Si Deus decernit mittere *Ieremiam* ad prophetandum, tali decreto quo exponit concurſum ſuum ad prophetandum; vel non prophetandum, male arguitDeus à decreto ad neceſſitatem prophetandi. nam tali decreto *Ieremias* tam eſt non prophetaturus, quam prophetaturus. Et quis putaret, quando Deus exponit decretum de vaſtatione *Aſſyriorum*, *Tyriorum*, *Chaldæorum* per agentia libera & confirmet decretum, hoc aſſerto (ego *Iehova* loquutus ſum; & faciam) Deum tam velle hoſtes ipſos non vaſtare, quam vaſtare? Quia decreto plane affirmativo, ſe vaſtaturum ipſos affirmet. Aut quis ſanus, niſi Jeſuitico ſpiritu raptus; affirmationem exponeret diſjunctivo ſenſu per affirmationem vel negationem, & ita per ita vel non.

Vaſq. tom 1. num 11. q. 4. art. 13 diſ. 65. c. 2. 6. Hoc etiam *Vaſquezio* forte excidit. *Quia* (inquit) *Deus in tempore non generatim, & confuſè concurrit cum libero arbitrio, nec ſtatuit ab æterno generatim & confuſè concurrere.* Hoc enim *Pelagianos* docuiſſe aſſerit ibid. Et revera ſi Deus modo illo indeterminato paratus eſt concurrere, ad tam nolle, quam velle *Petri*, quis hic confuſum decretum tali modo ab æterno concurrendi, non videat? Nemo enim aliquid inter homines agit ſub diſjunctione, (ſi non hoc; tamen illud vel hoc, vel ſin minus illud) in quo non eſt & ignorantia & confuſa ſuſpenſio animi.

Suarez. de aux. divin. Ob. 17. Septimo, ita *Suarez*, *prædeterminatio iſta eſt ita neceſſaria, ut ſit eſſentialiter inhibita*

bita in concurſu primæ cauſæ. Ergo ſi Deus abſoluta voluntate ſua determinat humanam voluntatem ad unum actum, & non ad alios, præbet ſuum concurſum ad illum actum ſolum, & relinquit voluntatem & ſine concurſu ad alios, ſed voluntas ſine concurſu primæ cauſæ non poteſt operari: Ergo alii actus non manent in poteſtate verâ, proximâ ac morali voluntatis. *Reſp.* Quicunque non operatur, caret actuali concurſu, & tamen non inde fit, qui ſic non operatur, non poſſe operari. Replicat ibid. *Suar. Aliud eſt non habere concurſum in actu ſecundo, aliud non habere illum in poteſtate ſua ſeu in actu primo, ſed omnino eſſe denegatum â Deo, illud prius non dicit carentiam poteſtatis proximæ & expeditæ ad operandum, quamvis non tollat facultatem intrinſecam ad operandum.* *Reſp.* 1. Quamvis voluntas humana haberet concurſum Dei in ſua poteſtate in actu primo, non tamen eſſet potentior ad agendum vel non agendum, quam quando eum habet tantum in actu ſecundo. Neque enim Dei concurſus, quo eſt proprior, facit acceſſionem potentiæ novæ in libertate, ſicut præſentia luminis, non addit novam potentiam realem viſivam oculo, quæ non fuit ei dum in tenebris conſtitueretur, ideoque ſomnium eſt voluntatem non eſſe in proxima ad agendũ potentia niſi habeat in poteſtate ſua concurſum Dei. 2. Quando concurſus ille Dei, quem nos dicimus voluntatem habere, non in ſua poteſtate, ſed in actu ſecundo, licet non in actu primo; in idem cadit objectum in quod cadit libertas electivè influens ſalvatur

grat. volunt. non prædeterminari. lib. 1. c. 12. ſ. 8. p. 38.

ma libertatis potentia. 3. Negamus nos libertatis hanc eſſe naturam, ut poſſit, omnibus poſitis ad agendum requiſitis, indifferenter agere vel non agere, & abſurdum eſſe putamus, ut voluntas creata haberet in ſua poteſtate ut Dei concurſum traheret indifferenter ad hunc vel illum pro abſoluto ſuo arbitrio actum in ſpecie, quia hoc tolleret Dei libertatem & providentiam, tum etiam quia neceſſe foret, ut fuiſſet ab æterno hujus & ejuſdem actus liberi & futuritio, & non futuritio, quæ eſt palpabilis contradictio. Nam poſitis omnibus requiſitis poſſet hoc velle, & neceſſario procedere debuit æterna futuritio hujus volitionis, & poterat etiam hoc non velle, & ſic neceſſario præceſſit æterna futuritio nolitionis, quod eſt abſurdum. Ergo neceſſario dicendumunam tantum volitionem futuram fuiſſe in potentiâ illâ, quam *Suarez* vocat proximam.

Suarez. de aux. lib. 1. *c.* 12. *ſ.* 13.

18. *Ob.* 8. Sic arguit *Suarez*, *Conſtituamus* (inquit) *hominem cui hic & nunc proponitur hoc objectum amandum, v. g. Ingredi religionem, ita ut ex parte intellectus, habeat omnem conſiderationem & judicium neceſſarium, & in voluntate non habeat aliquod impedimentum, poſitivè, contrarium, ſolumque illi deſit voluntas divina efficax, qua velit Deus illum amare illud objectum. Quid quæſo ille homo faciet, ut amet illud objectum:* Non *movetur nec determinatur à Deo, non poteſt fingi aliquid in ejus poteſtate, quo à Deo determinetur, quia ad illam cogitationem neceſſaria eſſet illa præmotio efficax. Ergo non poteſt moraliter imputari tali*

homini

homini, quod non amet tale objectum. R *eſp.* 1. Homo cui proponitur hoc objectum amandum vel amat, vel amare cupit objectum, ad & amationem & amandi deſiderium præceſſit æterna & efficax Dei volitio, ideoque in actu ſecundo habuit in ſua poteſtate prædeterminationem Dei, nihil ergo aliud requiritur ab eo niſi ut amet objectum. 2. Si caret prædeterminatione Dei, caret ea libere ſaltem interpretative, quia libere recuſat amare objectum, & actus liber recuſandi tendit objective in non-amationem, in quam tendit æterna dei efficax voluntas, & decretum. Ideoque, & ſi careat Dei prædeterminatione, imputatur non-amatio in peccatum, quia ſi libere non amat, ideoque conſequenter ſubſcribit carentiæ prædeſtinationis. 3. Si intellectus habeat omnem conſiderationem, & judicium, & voluntas nullum impedimentum, non poteſt non præceſſiſſe efficax volitio, & ſic inſtantia eſt vana, utcunque ſe res habet, negamus dari non-amationem objecti ex ſola carentia efficacis Dei volitionis, quia impoſſibile eſt componi ſimul carentiam efficacis volitionis Dei, & conatum ſufficientem ex parte voluntatis quo propendet in amorem objecti, quod actu amare haud poteſt, ex ſolâ carentiâ illius prædeterminationis, ideoque inſtãtia eſt impoſſibilis eo rigido ſenſu, quo proponitur, quia ſemper in idem cadunt objectum, negatio efficacis volitionis Dei, & libera non-amatio objecti.

14. Priuſquam vero alias objectiones ſolvamus, quæritur an nullo ſenſu admitti poſſit decretum conditionatum. R. Decretum conditionatum eſt duplex: vel eſt ita conditionatum, ut conditio referatur ad Dei voluntatem, quaſi quis diceret, Deum hoc decernere, & velle, ſi homo tale aliquid faceret: hoc modo pernegamus omne in Deo decretum conditionatum, quia Dei voluntas ſuſpenditur à nulla conditione, cauſa aut occaſione, qua voluntas ipſius moveatur ad decernendum, aut volendum. Decretum vero conditionatum dicitur tale ex parte non Dei volentis, ſed objecti voliti, & poni poſſunt in Deo decreta conditionata, præſertim in effectis contingentibus conditionatis, hoc eſt, futuris ex poſitione decreti. Sic in decreto conditionato prædeterminante Deus vidit *Tyriorum* reſipiſcentiam, ſi factæ fuiſſent illic virtutes & ſigna: & *Relitas* tradituros *Davidem* in manus *Sauli*, ſiquidem *David* apud ipſos permaneret, & exteras gentes audituras *Ezechielem*, ſiquidem apud ipſas vaticinatus eſſet Propheta Dei.

Suarez. de neceſſ. grat. Trol. 2. de ſcien condit. c. 8. ſ. 13.

Tria hic video à *Suarezio* Objici. 1. non poſſe talia cognoſci in decreto conditionato prædeterminante. *Quia* (inquit) *ſi Deus habuiſſet tale decretum conditionatum de prædeterminanda voluntate creata ad talem effectum, ſubſiſtente tali conditione, oportuiſſet ut ex vi talis decreti eſſet paratus ad illam prædeterminationem conferendam, alioqui vanum eſſet decretum. At Deus in eo caſu*

non

non eſt paratus ad dandum tale auxilium, quia ſi eſſet paratus, daret illud cum ab homine non pendeat (nempe quod in Tyriis ſigna fierent) ſed à ſolo Deo, Ergo non habuit tale decretum. Reſp. 1. Nego mai. conex. quia decretum hoc conditionatum, eſt tantum volitio Dei qua voluit ut *Tyrii* videntes ſigna reſipiſcerent: & libere, & recuſavit ipſis ſigna, & libere recuſavit ipſis dare reſipiſcentiam. Poteſt enim Deus decernere coexiſtentiam duorum extremorum connexorum ex hypotheſi, & non decernere extrema. Nempe vult & decernit fidem reproborum, & vitam æternam cohærere, & tamen nec *Iudæ* fidem, nec vitam æternam decrevit, hoc eſt enim objectum decreti Dei, omnis credens habebit vitam æternam. 2. Non eſt tale decretum vanum, habet enim in Deo graves cauſas, & poteſt Deus velle connexa ex hypotheſi, quorum extrema non vult, & decretum tale eſt liberum. Hoc enim aſſerit ſcriptura, Deum voluiſſe ipſis dare reſipiſcentiam, ſiquidem ſigna vidiſſent. 3. Nec ſequitur Deum non eſſe paratum ad dandum illis tale auxilium, & quia libere dat & dediſſet ſiquidem ſigna vidiſſent: at vero ſigna libere recuſavit, quamvis haud negem non proprie eſſe decretum conditionatum, ſed potius abſoluta eſt volitio qua coexiſtentiam vult duorum conditionatè cohærentium.

2. *Ob. Suarez.* *Conditio illa* (inquit) *ut ſupponitur, pendet ex ſola voluntate Dei, alioqui Deus ex ſe decrevit non ponere talem conditionem, quia*

ſupponitur nunquam futura: ergo non poteſt paratus eſſe ad dandum tale auxilium, quod illam conditionem impletam neceſſario requirit. *Reſp.* Neg. conſequens; decernit enim, ut credentes ſalventur, nunquam tamen decernit, ut *Iudas* crederet. Itaque non neceſſe eſt ut mutatio realis in creaturis ſequatur ex decreto conditionato ex parte objecti. Dicit enim expreſſe exteras gentes audituras *Ezechielem*, ſi ad ipſas miſſus foret, & tamen noluit *Ezechielem* ad ipſas mittere.

3. *Ob, Conditio ſub qua prædicta fuit Tyriorum pœnitentia, fuit, ſi tales virtutes factæ fuiſſent in te, & per abſolutum decretum, præfinitum fuit, ut tales virtutes iis nunquam fierent. Erg.* Non *habuit tale decretum conditionatum. Prob. conſeq. Quia tale decretum fuiſſet de re pendente à ſola voluntate Dei, & ſub conditione ab eâdem ſolâ voluntate pendente, & ex decreto ejuſdem voluntas abſoluto nunquam implenda; tale autem decretum conditionatum eſt prorſus otioſum & fruſtraneum, quia per illud revera Deus nihil contulit Tyriis, nec paratus fuit conferre, nec continet promiſſionem ullam, nec ſub ulla generalitate divinæ providentiæ, nec ad illum aliquid confert.* *Reſp.* 1. Poſito illo antecedente, non ſeq. conſequens. Nam non eſt decretum fruſtraneum, quo Deus, ſicut decreto libero voluit entia in actu cohærere, ut fidem electorum & ſalutem, tranſitum populi ſui per mare rubrum, & ſubmerſionem *Ægyptiorum*, & multa alia quæ ex ſe contingenter connexa ſunt, ita eodem libero decreto æquum eſt ad perfe-

perfectionem infinitæ & altiſſimæ providentiæ ut connectantur etiam futura conditionata, & quid ni ad aſtruendam Dei libertatem inſerviret? ut videamus in Dei decreto abſoluto connexiones rerum tantum poſſibilium quamvis ipſæ res non ſint futuræ: hoc docet nos ne res quidem poſſibiles effugere providentiam, & docet nos humillime noſmet Deo ſubjicere & abyſſum judiciorum Dei adorare, qui voluit mittere *Ezechielem* ad non auditurum populum, & noluit ad auditurum mittere, idque ex ſolo beneplacito ſuo, ut videamus Deum non ex indigentia vocare hos, cum poſſet alios obſequentiores vocare, & ex mera gratia vocare, & ex abſoluto arbitrio rerum etiam poſſibilium combinationes determinare.
2. Non tantum decretum hoc non eſt otioſum, ſed neceſſe eſt ſit in Deo, quia Dei voluntas non poteſt eſſe ſuſpenſa & indeterminata circa entia in actu, ſed nec circa entia in poteſtate. Quia vero miraculorum viſio & *Tyriorum* fides, quoad coexiſtentiam ſunt poſſibilia, vel horum duorum coxiſtentia in ſe ſit poſſibilis, & etiam futura ex hypotheſi Deus eam coexiſtentiam vel decernit & vult, vel non decernit & non vult. Deum illam coexiſtentiam ex hypotheſi non voluiſſe, haud poſſumus tuto affirmare, quia ſcriptura dicit, viſis miraculis convertendos fuiſſe *Tyrios*: at vero ſi converſio illa antevertiſſet Dei decretum, homines nulla providentia, nullo Dei voluntatis actu prævio, ac proinde, nec præeunte gra-

tia, & gratuito Dei favore convertuntur, quam theologiam ſacra oracula explodunt. Itaque ſicut eſt voluntas approbans & ſimplex complacentiæ, quæ revelatur in ſcripturis, de re nunquam futura, qualis eſt obedientia reproborum, & voluntas beneplaciti de re, quam Deus indeclinabiliter eſt effecturus, ita eſt decretum abſolutum in Deo de rebus vere futuris, & decretum ſimplicis complacentiæ ſeu approbationis de multis poſſibilibus nunquam futuris, ſed ponendis ex hypotheſi. At objici poteſt me hoc argumento rejeciſſe decretum Dei conditionatum de concurſu Dei cum actibus libertatis poſſibilibus nunquam futuris, quia alienum eſt à Dei ſapientia ut illud decernat fore quod præſcit nunquam futurum eſſe. Id enim non eſt viri prudentis: nulla enim provida mater præparat tunicam fœtui, quem certò ſcit in ventre enecatum. Ergo alienum eſt à ſapientia, ut Deus decernat *Tyriorum* converſionem ex hypotheſi, quod miracula illis fierent, quando & præſcit & decrevit hypotheſin illam nunquam ponere. R. Non tam hoc argumneto à nunquam rei futuritione, decretum conditionatum rejicio, quam quia Dei voluntas fixa & rata fit (alioqui non eſt decretum) circa rem nunquam futuram & quoniam Dei voluntas fit, quaſi intellectus nihil præſciret, ſuſpenderetur à voluntate humana: at vero hic quamvis Deus præſcit extrema conditionati connexi nunquam futura, tamen præſcit connexionem eſſe veram & realitatem

litatem habere in ſua voluntate. Ideoque non decernit Deus non ens: nam in Dei decreto verè coexiſtunt viſio miraculorum & *Tyriorum* reſipiſcentia: quamvis nec miracula illa, nec reſipiſcentia ſeorſim & ſeparatim exiſtunt: at vero per decretum conditionatum *Suarezij* quod ego rejeci, ſtatuitur Deus id intendere & decernere, quod videt eſſe plane non ens, & id decernitur à Deo actu futurum, quod præſcit nunquam eſſe futurum, & præſcit in ſua voluntate determinante nullum omnino eſſe habere: in hoc enim decreto conditionato, non decernitur, ut res nunquã futura, ſit futura; nam revera converſio *Tyriorum* viſis ſignis, eſt ens vere volitum & decretum à Deo. 2. Non nego hoc decretum admodum improprie dici conditionatum, quia conditio pendet ab abſoluta Dei voluntate, ſicut & conditionatum, imo eſt ſimplex & abſoluta volitio, ut duæ res cohæreant inter ſe, nempe viſio ſignorum & converſio *Tyriorum*. At vero in decreto conditionato quod ego rejicio, Deus vult aliquid, quod ſcit nunquam eſſe futurum ex hypotheſi quam ſcit nunquam eſſe ponendam, ut decernit Deus ut *Iudas* crederet, & concurrere cum eo, ſiquidem vult credere, & ſcit & eum nunquam crediturum, & ſe nunquam concurſurũ. At vero dicimus Deum neq; velle, neque præſcire vel miracula *Tyriis* viſa vel ipſorũ converſionẽ, ſed tantum ſimpliciter Deo complacere in coexiſtentia horũ duorũ ſicut Deus complacet in obedientia *Iudæ* nunquã futurâ.

18. *Ob.* 15. Pergo jam ad reliquas objectiones. Pauca habent *Vaſquez.* & *Molina* quæ apud *Suarezium* non ſunt, & à nobis examinata, ita *Vaſquez. Quamvis decretum extrinſece, & non intrinſece & phyſice immutat & neceſſitat voluntatem, tamen tollitur libertas, quia ſub ſuppoſitione decreti, non poteſt non agere, ideoque actus non-eſt poſſibilis : poſſibile enim eſt quo poſito nihil abſurdi ſequitur ut habet Philoſ.* R. nō recte exponit Jeſuita axioma illud. Nam poſſibile eſt illud quo actu poſito, dependenter & ſubordinate ad motionem primæ cauſæ, nihil abſurdi ſequitur. 2. Abſurdum ſequitur, ſi removeatur actus à libertate, à Dei decreto ad agendum, determinatâ, quia Dei decretum ponit libertatem in eo ſitu vitali, in qno libere aget hoc quod determinatum eſt à decreto, ideoque ſi hoc non ageret, libertas lederetur, quod eſt abſurdum.

Vaſq. tom 1. *num.* 11. *diſp.* 99. *c* 3. *ſ.* 14.

19. *Ob*, 16. Ob quam rationem rejicitur fatum Stoicorum, ob eandem rejici debet decretum abſolutum : ſed ab antiquitate hoc fatum rejiciebatur, quia per illud homines non plus boni facere, aut plus mali, aut minus, omittere poſſunt, quam faciunt, & omittunt, ſed hoc etiam ſequitur ex decreto abſoluto. Ergo. Et ita *Molina*, *Leſſius*, *Remonſtrantes*. *Reſp.* 1. Neg. maj. Nam rejicitur fatum Stoicorum, quoniam per id creaturæ rationales non poſſunt plus minuſve boni aut mali facere, eo quod conſtellatio aut creatura determinet libertatem & in ipſam agat, quod nulla creatura

Leſſ de offic. grat. c. 3. *Remonſtran. in ſcrip, ſynod. art.* 4. *p.* 249. 250.

tura præſtare poteſt, illibatâ manente libertate: ſolus enim *Iehova* quocunque vult, voluntatem inflectit. Prov. 21. Concedimus quidem, ſi cauſa creata, ita flecteret voluntatem, tolli libertatem, At vero Deus poteſt determinare voluntatem, & non evertere. 2. Fatum rejicitur, quia ipſum Deum rectorem actuum liberorum fato Stoici alligabant, unde *Iupiter Homerianus Sapedonis* filii ſui, fato mortui necem deflet & *Neptunus*, quod *Vliſſis* reditum in patriam, contra fatales leges, nequeat prohibere. Quod vero *Grevinchovius* nugetur, fati aſſertores, ut *Cleanthen*, *Iovem* precibus ſolicitaſſe, ſicut & nos *Iehovam*, nihil eſt contra nos: nam fato ſe orare, & fato *Iovem* audire dictitabant. Ideoque *Plutarchus* in fatalibus, agnoſcit divinam diſpoſitionem, ſed fatalem, quo nomine merito Stoici vapulant à patribus, *Auguſtino* & aliis. 3. *Ieſuitas* & *Arminianos* Deum fato alligare certiſſimum eſt. *Ordo prioris & poſterioris* (inquit *Vaſquez*) *inter decreta divinæ voluntatis, non ex ſolo Dei beneplacito* (en fatum fataliſſimum) *ſed ex vario rerum ordine, quæ à Deo prædeſtinantur.* Et ibid. *Itaque ſicut Deus non prius concurrit ad calefaciendum, quam ignis cooperetur, ſic non prius prædefinit concurrere, quam videat ignis determinationem.* Sed ut hoc obiter doceam, *Vaſquez* ipſe hic ſuum decretum concomitans convellit, quando vult determinationem cauſæ ſecundæ prius à Deo ſcitam ac proinde prius eſſe, quam ipſe aliquid prædefiniat. Quo pacto Deus ordinem,

Grevinch. p. 64. 65.

Vaſq. tomo. 1 q. 99. c. 8. f. 51.
Ibid. f. 5.

dinem, ſitum, diſpoſitionem, intentionem, aut remiſſionem, aut modum in operando in cauſis ſecundis, & eſſe effectuum contingentium non aliter determinare poteſt, quam ſint prædeterminata ab ipſis cauſis ſecundis antecedenter ad voluntatem Dei, magis quam efficere poteſt, ut quod jam eſt, non ſit, quod eſt ſimpliciter impoſſibile; Deumque fato involvit.

20. *Ob.* 17. Si omnia hoc decreto fixa ſunt; tum neceſſe eſt iidem homines ad eandem gloriam in Chriſto per remiſſionem eorundem peccatorum pervenirent; neceſſe eſſet iiſdem hominibus, ſacrilegis, adulteris &c. naſcerentur: eodem cibo, lacte, pane, ut herbis veſcerentur; eadem facerent opera meritoria &c, Ita ait *Leſſius*, *Reſp.* Puerili hoc argumento evincitur omnia neceſſitate hypotheticâ fieri, quod concedimus, ſi Deus voluiſſet omnia hiſce contraria ſtatuere. Quid ni ſtatuiſſe poterat?

21. *Ob.* 18. Si actus liberi ſunt neceſſarii reſpectu decreti Dei, tum reſpectu decreti non ſunt contingentes, quia ſic reſpectu ejuſdem & ſecundum idem eſſent neceſſarii, & non neceſſarii, & ſic etiam actus contingentes Deo non ſunt contingentes, quod abſurdum. Nam Deus decrevit & entia & modos entium; hoc ex *Fonſeca* colligitur, & *non refert* (inquiunt *Remonſtrantes*) *an quis externa vi, an interna operatione, vel ceſſatione ab operatione peccet ac pareat, ſi peccare eum ac parere neceſſe*

Fonſec. comment. in metaph. l. 6. c. 2. q. 4. ſect. 6. Remonſtr. in apolo c. 6. fol. 78.

ceſſe eſt. *Reſp.* 1. Fallunt hic adverſarii: nam neceſſitas non eſt propriè à decreto, ſed à poſitione decreti, neque eſt proprie neceſſitas interna, qualis rebus convenit: ſed eſt quid commune neceſſario & contingenti. Nam efficaciâ voluntatis divinæ fit, ut ſtatuatur futuritio omnium entium & neceſſeriorum & contingentium, ideoque ſicut effectus naturales non poſſunt non eſſe neceſſitate internâ, reſpectu cauſarum naturalium, & tamen poſſunt eſſe, vel non eſſe, neceſſitate externâ reſpectu decreti divini, in habitudine ad quod omnia maximè alioqui neceſſaria, ut ortus ſolis, eclipſis, motus corporum cæleſtium, poſſunt eſſe, vel non eſſe; ita pari jure, effectus contingentes internæ contingentiæ à cauſis ſecundis reſpectu, poſſunt eſſe vel non eſſe, & neceſſitate externâ, in relatione ad Dei voluntatem non poſſunt non eſſe, ideoque contingentia eſſe Deo contingentia dupliciter intelligitur. 1. Quaſi non obſtante poſitione decreti, poſſunt eſſe vel non eſſe abſolute, & hoc non eſt dicendum: nam Deo decernente non poſſunt non eſſe. 2. Sunt contingentia reſpectu decreti hoc ſenſu, quod decretum ponat in iis contingentem, adeoque futuritionem liberam in habitudine ad naturalem modũ agendi in cauſa ſecunda, & quid impedit quo minus Deus effectus contingentes conſideret, & in habitudine ad ſuum decretũ, & in habitudine ad cauſas ſecundas? Nam omnia evenire neceſſario in habitudine ad Dei decre-

decretum, tripliciter etiam intelligitur. 1. Ità ut neceſſitas componatur cùm rebus à Deo volitis. Hoc non docemus: decrevit enim Deus ut effectus contingentes fierent contingenter non neceſſario, ideoque & entia & modos entium decrevit. 2. Ità ut vox neceſſitatis cum Dei voluntate componatur, neque ſic Deus neceſſario, ſed liberrimè decrevit ut omnia fierent, vel contingenter, vel neceſſario, vel 3. ut neceſſitas referatur ad futuritionem entium contingentium, & ſic contingentia ſunt Deo neceſſaria reſpectu ſui decreti, & nullo modo ſequitur. Ergo non ſunt Deo contingentia. 3. Multum refert, contra quod ſentiunt Remonſtrantes, utrum neceſſitas externa ſit, an verò interna. Nam quia neceſſitas eſt externa & à Deo omnipotente, cujus eſt ex infinita ſapientia ſua libertatem determinare manente illæſa indifferentia naturali, ideo illa neceſſitas non aufert nativam libertatem.

Fonſec. ibid. 22. *Ob.* 19. Voluntas ſub determinatione divina vel agit neceſſario, aut minime. Reſp. Et neceſſario & libere, verum ea neceſſitas cum libertate conſpirat, ut dictum.

Leſſius de præd. ſect. 2. c. 7. 23. *Ob.* 20. Si omnia ſunt decreta abſolute, tum quærenti cur hodie decem opera facias, non plura non pauciora, reſpondendum, quia Deus decrevit, & decretum eſſet cauſa omnium, & ad tot actus opus eſſet admirandâ providentiâ. R. Decretum & voluntatem Dei eſſe omnium cauſam, ſi neget, ſcrip-

turæ

turæ *Rom.* 11. 36. *Apoc.* 4. 11. *Matth.* 10. 29.
contra-dicit: quia vero eſt prima & commu-
nis cauſa omnium, in qua mens non acquie-
ſcit, per hanc male reſponderetur omnibus
quæſitis, 2. Nos admirandam providentiam
adoramus, cujus viæ ſunt imperveſtigabiles
Rom. 12. rideat, ſiquidem volet, Jeſuita.

24. *Ob.* 21. Si Deus omnia abſolute deter- *Vorſt. de*
minavit præciſe ad unam partem, tum perit *Deo ad diſp.*
Dei libertas, aliter diſponendi res quam ſunt *6. p, 368.*
diſpoſitæ: ita *Vorſtius*. *Deus nullum ſtatutum* *Iackſ. de*
(inquit *Iackſonus*) *ponit quod abſolutæ & æternæ* *divin eſſen.*
ſuæ dominij poteſtati adverſetur. Et ſtricta (inquit) *c. 10. ſ. 2.*
nimis obligatio legibus poſitivis, vel decreta immu- *Ibid. p 123.*
tabilia, & legiſlatores & alios nativâ ſuâ libertate *ad. ſ. 2.*
& bene agendi opportunitate ſpoliant. Reſp. 1.
Craſſo & modo plane anthropomorphetico
(in quod delirium ſemper inclinat ferum &
agreſte cerebrum hujus novatoris) metitur
Dei libertatem, quaſi determinando ſuam vo-
luntatem, libertatem ſic profunderet & ex-
hauriret: ſed dic, novator, an poſt decretum
creandi mundum; & redimendi genus huma-
num, & reſuſcitandi filium Dei à mortuis,
quæ decreta jam ſunt completa, an Deus ali-
quid libertatis abſolutæ perdidit? Ergo Deus
eſt minus liber, nunc quàm ante mundum
conditum. quid? fare, quæſo: an homo quo
plures actus liberos exerceat minus eſt liber?
non dices, niſi te tam heterodoxa ſcribendo,
libertatem ſcribendi ſaniora dixeris, quod
certe ego veriſſimum eſſe arbitror, 2. Per de-
L creta

creta abſoluta nihil Deo libertatis decedit, quia non oritur in Deo novum judicium, aut ſcientia nova, quâ quædam hodie incipit ſcire, quæ ab æterno ignoravit, quo caſu neceſſe fuit ei, inconſulta vel mutare, vel nunquam feciſſe. 3. Vult longè ſatius eſſe Deo, ut decreta ipſius alterabilia ſint, ut ſic retineat libertatem bene agendi: itaque *Iackſono*, Deus per immutabilia decreta amittit opportunitatem bene agendi, ideoque ſatius eſſet fingere Deum mutabilem, ut poſſit eſſet liber. An abſoluta libertas & immutabilitas in Deo ſimul eſſe non poſſunt? 4, Quia Deus eſt infinite ſapiens & infinite juſtus, ideo ipſius decreta ſunt mutabilia: ait enim, *Papam*, ſiquidem ſapientia & juſtitia in eo dignitati & poteſtati pares forent, longe tutius decreta & facta, cum ſpiritus inſpiratione vel exſpiratione reſcindere; ideoque decreta Dei debent eſſe mutabilia, quia Dei juſtitia & ſapientia eſt infinita, ideoque juſtitia & libertas in Deo adverſis frontibus pugnant. 5. Confundit *Iackſonus*, ut optime annotavit doctiſſimus vir G. *Tuiſſius*; libertatem naturæ æqualiter communem omnibus, cum libertate conditionis ſeu authoritatis, quæ major eſt in principe, quam in ſubdito, ideoque princeps poſt latam legem irrevocabilem, habet naturæ libertatem, ſicut ante latam legem habuit: non tamen habet libertatem conditionis, ita ut ſine inconſtantiæ notâ mutare poſſit decreta ſua. Deus poſt decreta eſt liberrimus naturæ libertate, ſicut

Tuiſſius contra Iackſo. c. 10. ſect. 2. pag. 390.

ſicut fuit ante poſitum decretum, ſed pôſt latum decretum, non poteſt eſſe Deus, ſi decreta reſcinderet, & tamen liberrime decreta ſua exequitur: nullam enim videt, aut videre poteſt rationem, cur reſcinderet decrecreta. 6. Sicut per decreta, ita per promiſſiones pari ratione Deus amitteret opportunitatem bene agendi, ergo Deus promiſſiones etiam violare poteſt. 7. Notum eſt *Vorſtium* Deo corporeitatem, pœnitentiam & multas paſſiones humanas, blaſphemiæ, affinxiſſe: ita hic vult, Deum poſſe decreta ſua mutare, ne periret libertas decernendi.

25. *Ob.* 22. Ita objicit *Iackſon. Quod* (inquit) *unicujuſque vitæ curſus & ſententiæ finales unicuique deſtinatæ immutabiles eſſe debeant, quia ſunt prædeterminatæ ab immutabili omnipotente decreto, nihilo majorem veritatis colorem habet, quam ſi diceremus, oportere Deum eſſe nigrum, quoniam nigros facit Corvos &c. Reſp.* Præter *Iackſonum* nemo ita differit: quia Deus fecit *Corvos*. Ergo dic Deum tuum Arminianum eſſe Corvum: nam mutabilem ſtatuiſſe eum. 2. Nemo aſſerit, decreta Dei facere res decretas immutabiles, ſic faceret creaturas non creaturas. 3. Decretum eſſe immutabile, & res decretas in relatione ad decretum eſſe mutabiles, eſt contradictio. Nam ſi Deus decernit, ut *Petrus* crederet, non poteſt fieri neceſſitate modali, ut non credat: eo enim modo ſtatuit decreta Dei eſſe immutabilia, quo decreta Perſarum. p. 123. At ſi res à *Perſis* decretæ, qua-

Iackſo. cap. 9. ſect. 2. p. 119. ibid.

tenus ſunt decretæ, revocari & mutari poſſunt, an non decretum erat revocabile? Definiat nobis decretum immutabile: an relinquet res decretas, ut poſſint eſſe vel non eſſe? ſcilicet hoc eſt decretum diſjunctivum, atque ſublato omni in Deo, decreto, neceſſe eſt *Iudas* ut credat vel non credat, vel damnetur vel non damnetur, nec opus eſt, imo ridiculum eſt, ut Deus hoc decernat. 4. Sententiæ de morte vel vita hominum, ſunt actiones Dei, at ſi eæ ſunt mutabiles, tum actus Dei ſunt mutabiles, & volitiones. 5. Quod mors & vita hominum ſic ſunt Deo in æquilibrio, ſapit Deum ignorantem, mutabilem, ſuſpenſum, pendulum & minime infinitum, qui exſpectat creatas volitiones, ne vel aliquid ſtatuat, vel certi quicquã cognoſcat.

26. *Ob.* 23. Pater meus hodie operatur *Ioh.* 5. Ergo (inquit) Deus hodie decernit, omnia facit ſecundum conſilium voluntatis. Ergo: & ita *Iackſo.* Reſp. confundit decretum cum decreti executione. 2. Ergo aliquid facit in tempore, quod ab æterno ſe facturum non decrevit, & incipiunt novæ in Deo volitiones hodie, aliæ cras. Abſurda omnia, hodie decernet creationem,

Tuiſs. in vin. dic. gart. cont. Armin. Antiperkinſ lib. 2. crim. 3. ſect. 1. p. 20.

27. *Ob.* 24. Sequitur juſtitiæ actus omitti, quia Deus decrevit abſolute & ſimpliciter ne fierent, ideoque Deus erit impeditor juſtitiæ & bonorum actum. Reſp. 1. *Clariſſimus D. Tuiſſ.* voluntas omittendi bonum erit à Deo decreta, neque alia actio fingi poteſt. Nempe Placet *Arminio* decreviſſe Deum, ut actus juſtitiæ

ſtitiæ omitterentur ab hominibus, ſi modo vellent. Deus ergo decrevit illam voluntatem omittendi, voluntate abſolutâ, aut reſpectivâ; ſi abſolutâ, habetur inſtitutum: ſi reſpectivâ, nempe decrevit, ut creaturæ vellent omittere actus juſtitiæ, modo vellent. 2. An non Deus multos credentes operaturos, ſiquidem ſatis ſupereſſent, multos actus juſtitiæ, ex hac vita in beatitudinem vindicat? & tum actus juſtitiæ impedit Deus. Reſipuiſſent *Tyrii*, ſi Deus ſigna adhibuiſſet, audiſſent exteræ gentes *Ezechielem*, ſiquidem Deus ipſum ad vaticinandũ miſiſſet. At noluit *Tyriis* ſigna, noluit nationibus prophetas indulgere: Item *Eſai*. 63. 17. 1. *Sam*. 2. 25. 3. Impeditor proprie eſt juſtitiæ, qui creaturam propendentem in actus juſtitiæ violentiâ aliò torquet & avocat: at vero qui libere actus juſtitiæ omittunt, & eoſdem actus qui ut omitterentur, abſolute Deus decrevit, ſeſe libere impediunt, quo minus juſte operentur, ideoque libere actus omittunt, & etiam neceſſitate decreti divini. *Auguſt. de civit. Dei lib. 5. c. 35.*

28. Non genio meo admodum arridet coacervare teſtimonia humana, huic ſæculo oſtentationibus delectanti unicè placet, quædam tamen addo. *Auguſt*. 1. Si propterea quiſquam res humanas fato Dei (ut cauſæ, vide textum patris) tribuit, quia ipſam Dei voluntatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat. Et *Enchrid*. Nullus *Enchir. 103.* fit ſalvus niſi ille velit, & ideo rogandus eſt, ut velit, quia ſi ille velit, neceſſe eſt fieri. Et

Ad Simplic. lib. 1. q 2. *lib. 1. ad Simplicium.* 1. Deus vult nos velle, nos vero ad volendum eum movere non poſſumus. Et in *Soliloq.* Velle quod bonum eſt non poſſum, niſi tu velis. *Fulgentius*: Hoc prædeſtinavit Deus, quod erat ipſe facturus, aut quod fuerat largiturus. *Hieronimus*: Reprobat enim (Deus) cogitationes populorum, hoc eſt, Judæorum conſilia, quia non potuerunt illa facere, niſi quantum à Deo prædefinitum erat. *Athanaſius*, vel ut alii volunt, *Theophylact. Epheſ. c.* 2. Bona opera noſtra ſunt à Deo præparata, & prædefinita. *Theodoret. in Rom.* 8. Noſtram precationem præconſtituit, ut nos filiorum adoptionis donum perciperemus ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ. *Damaſcenus*: Omnia à Deo (inquit) præfinita, & ſine ulla commutatione futura, in ejus conſilio non aliter, antequam fierent, erant expreſſa, quam ſi quis velit domum ædificare, prius imaginem ac formam ipſius in animo effingit &c. *Anſelmus*: quoniam enim quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cum vult hominis voluntatē nulla cogi vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel non ad volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt, voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult. *Leo*: Quod homines per crucem ſalvarentur, erat commune Patris & Filii conſilium, nec ulla poterat ratione turbari, quod ante æterna ſæcula, & miſericorditer erat diſpoſitum, & incommutabiliter præfinitum. *Proſper*: Nec aliter (inquit) quidquam

Margin notes: *In ſolil. c. 4.* — *Fulgent. lib. 1. ad Monymum.* — *Hieron. ex poſ. pſ. 42.* — *Athanaſius* — *Theodoret. Rom. 8.* — *Damaſce. orat. 1. de imagin.* — *Anſelm. de concord. c. 1.* — *Leo ſerm 7. de paſſ. n. Domini.* — *Proſp. de vocat Gent. l. 2. c. 34.*

proce-

procedere poteſt: quam omnipotentis voluntate diſpoſitum eſt. *Petrus Diaconus*: Dona, Domine, virtutem ac tutimentum, malos quæſumus, bonos facito, bonos in bonitate conſerva, omnia enim potes, & non eſt, qui contradicet tibi: Cum enim volueris, ſalvas, non eſt qui reſiſtat tibi Hæc verba è diametro pugnant cum voluntate Dei conditionatâ ex præſcientia media liberæ cooperationis arbitrii humani. *Pet. Diaconus de incarnat. & grat. c. 8.*

Scholaſtici hic nobis unicè favent. *Schola Pariſienſ.* damnavit eos, qui dixerunt, Deum velle aut decernere, quia nos prius volumus. *Aquinas*: Fieri non poteſt, ut Deus aliqua faciat, quæ non præſciverit & præordinaverit, ſe facturum & 1. par. 116. ar. 1. Contingit aliquid eſſe caſuale & fortuitum ad res inferiores relatum, quod tamen, relatum ad primam cauſam, ſit per ſe intentum. Et 1. par. q. 23. concl. Deum ordinare (ait) omnes cauſas ad determinatos effectus. *Aquinas*: Quamvis (inquit) voluntas Dei ſit immutabilis & invincibilis, non tamen ſequitur, quod omnis ejus effectus ſit neceſſarius neceſſitate abſolutâ, quam habet res a cauſa ſuâ proximâ, ſed ſolum neceſſitate conditionata, ſicut de præſcientia dictum eſt. *Durand.* Stante ſuppoſitione, quòd omnia ſunt volita à Deo, non poſſunt non evenire. *Bonavent.* Voluntas Dei abſoluta connotat eventum rei, & ideo eſt ibi neceſſitas conſequentiæ, ſed non conſequentis, quia non mutat eventum rei, imo vult Deus quod eveniat *Schol. Pariſi. Ann. 25. Thom Aquinas 1. p. q. 25. ar. 5. ad. 1. Aquin. 1. ſent. d. 47. ar. 1. ad. 2. Durand. l. 1. d 46. q. 1. Bonavent. 1. d. 47.*

conſequens contingens. Et hanc eſſe Scholaſticorum ſententiam unanimem, docet ipſe Jeſuita

Valent in q. 22. Aq. p. 339.

Gregor. de Valent. Communiter (inquit) theologi dicunt effectum contingentem, quatenus eſt quidem à Deo proviſus, eſſe inevitabilem ſeu neceſſarium ſecundum quid, nimimirum ex ea hypotheſi divinæ providentiæ. Simpliciter autem & abſolute evitabilem propter conditionem nimirum proximæ cauſæ illius, quæ eſt contingens.

Cajet. 1. par. q. 22. art. 4.

Et *Cajetanus*, Omnes (inquit) Doctores affirmant hoc.

Trigoſ. comment. in ſummam theo.

Idem doceri à *Trigoſio* docet *Guil, Tuiſſus* in ſcholaſticorum ſcriptis vir non mediocriter verſatus.

Bonav. 1. p. q. 15. ar. 2.
Guil. Tuiſſ. in vindic. cont.
Arm. l. 2. crim. 3 q. 5. ſ. 17.
Bradw. de cauſ. Dei l. 3. c. 29.

Braduard, Illum (inquit) pro Deo noſtro nolo habere, qui non ſit omnipotens in agendo, qui non habeat omnipotentiſſimum dominatum ſupra meam debilem voluntatem; qui non poſſet omnipotentiſſime facere me velle; & facere quicquid vellet, qui non habeat voluntem univerſaliter efficacem, infruſtrabilem, indefectibilem & neceſſariam in cauſando, imo cujus voluntas, non ſit mihi neceſſitas, cujus ſanctiſſimam voluntatem ego peccator, velut mulierculam debilem faciliime poſſum opprimere & neceſſitare ad horribilem actum peccati, &c. Hæc eadem citat & *Tuiſſius*.

Scot in 4. q. 49. q. 6.

Scotus, Contra (inquit) naturam voluntatis eſt determinari à cauſa inferiori quia hoc ipſo non eſſet ſuperior, non eſt autem contra eam determinari à cauſa ſuperiore.

Capreol. l. 2. q. 38. q. 1. ar.

Id docent *Capreolus*, & *Ferrarienſis*. *Alvarez de auxil. d*, 22. Probat quod Deus abſoluto decreto,

vere

vere efficienter ſive ad modum cauſæ phyſicæ prædeterminet omnes cauſas ſecundas, & ex *Thoma* affert expoſitiones locorum *Damaſceni* & aliorum qui videntur contrariæ ſententiæ favere. Et *Do. Bannes.* Neque (inquit) effectus divinæ voluntatis impediri poteſt à voluntate noſtra, ſed neceſſe eſt neceſſitate conſequentiæ & ſuppoſitionis, quod voluntas noſtra ſequatur efficacem Dei directionem & concurſum. *Gul. Eſtius*, Sequitur (inquit) rem neceſſario fore in tempore, quia Deus eam prædeterminavit ab æterno fore.

Ferrar. cont. gent. 3. c. 89.

Ban. 1. p. 4. 23. ar. 5. 6. 7.

Eſtius lib. 1. de 28. ſ. 10.

29. Hiſce teſtimoniis & veritate convictus *Fr. Suarez.* Concedit prædefinitionem quandam immanentem, non tranſeuntem, eamque efficacem & abſolutam actuum ſupernaturalium. Hinc infero, quia actus ſupernaturales ſunt actus vere liberi, & quoad potentiam & uſum, decretum noſtrum abſolutum optime conſiſtere cum libertate arbitrii, & quoad potentiam & exercitium potentiæ etiam juxta doctrinam *Suarezij.* Fundamenta ipſius an ſint valida examini ſubjiciantur, neceſſe eſt 1. actus ſupernaturalis eſt honeſtus. Ergo ex hac parte non repugnat, quod Deus illum aſoblute velit & amet. Reſp. 1. Si non ſit actus liber, non proprie eſt honeſtus, at ex placitis Jeſuitæ non poteſt dari actus liber ex abſoluta prædefinitione. Ergo: &c. addit *Suarez. deinde præcognovit Deus talem vocationem vel auxilium* (de congruo loquitur) *eſſe accommodatum medium, ut per illud voluntas humana de facto incline-*

Suar. in opuſc. de auxil. q. 10. grat. l. 3. c. 17. ſ. 4.

tur ad talem actum eliciendum. Ergo *poteſt Deus unico actu ſimpliciſſimo ſuæ voluntatis velle, quod creata voluntas eliciat talem actum &c.* Reſp. 1. Præcognoſcit Deus conſilium congruum de facto accommodatè ad naturam libertatis inclinaturam voluntatē ad actum ſupernaturalem, ſcientia non ſimplicis intelligentiæ, ſed media, quæ præſupponit actum ſupernaturalem liberum antecedenter ad omnem actum divinæ voluntatis: Ergo Deus poteſt talem actum abſolutè decernere, nullo modo ſequitur. Nam abſolutum decretum non antecedit futuritio actus liberi, ſed ſequitur, ut effectus cauſam: lectorem itaque Jeſuita vaferrime ludificatur. 2. Ergo non poteſt abſolute velle actum liberum, ſed conditionate: nam Deus hic vult actum liberum, ex hypotheſi, quod jam ſit per auxilium congruum productus. 3. Pari ratione omnes actus contingentes ſunt determinati immanente prædefinitione, licet non tranſeunte, quia fiunt omnes actus contingentes vel motione congruâ vel incongruâ, eo quod fiant ſcientiâ mediâ, quâ cognoſcit Deus, utrum motio ſic accomodata, ut de facto inclinet cauſam ſecundam, vel non inclinet. Addit *Ieſuita: Quod vero* (inquit) *in hoc decreto nihil ſit repugnans libertati gratiæ, patet, quia per tale decretum vult Deus actum illum in ordine ad cauſam, & ad medium, per quæ libere futurus eſt, & ex vi talis decreti nullam aliam cauſam adhibet ad talem effectum. Non ergo lædit libertatem, quia directè vult ipſum actum creaturæ & liberum & ex vi ejus*

ejus ordinat medium aptum ad liberam determinationem cauſandam. Reſp. 1. Admiror Jeſuitæ verſatile & vafrum ingenium. Nam vult Deus actum liberum, qui in ordine ad cauſam eſt libere futurus, vel antecedenter & abſolute priuſquam ſit futurus liber actus, & ſic perit ſcientia media, quæ ſtatuit actus liberos futuros eſſe antecedenter ad voluntatis decretum, & ſic antecedens neceſſitas optime etiam ſtat cum libertate, quod totis viribus Jeſuita profligare ſatagit, imo unicè in hoc vires ingenii intendit: vel vult illum actum libere futurum conditionate, & ſic ludit nos; nam præfinitio hæc tum eſt conditionata: vel denique det Jeſuita voluntatem Dei, quæ nec ſit abſoluta nec conditionata, quod certe dari non poteſt, quoniam contradictorie opponuntur. 2. Directe vult ipſum actum creaturæ, pro voce (*directe*) ſuppone, quæſo, vocem (antecedenter & abſolute) ſecus cauſam tuam non promovebis, & ſic videbis cauſæ tuæ ruinam, nempe Deum velle abſolute actum creaturæ ut liberum. 3. Ordinat (inquit) medium aptum (dic congruum) ad liberam determinationem cauſandam. Atqui congrua cauſatio & motio includit præſcientiam, & præſcientia objectum non facit, ſed præſupponit jam factum, ergo ordinat volitionem congruam, quæ jam antecedenter ad ordinationem eſt, ubi jam jeſuita, prædefinitio tua abſoluta; Viden' præfinitionem conditionatam, quæ objectum eſſe præſupponit? Proh dolor! non erubuit

rubuit Jeſuita & chartam albam haud erubuiſſe admiror.

22. Perge Jeſuita. *Talis voluntas eſt abſoluta & efficax. Nam decretum quo ſtatuit Deus dare homini talem vocationem congruam, ut credat, eſt prædefinitio reſpectu talis vocationis, quia ſimpliciter vult dare illam antequam præſciat abſolute futuram, quamvis non velit eam dare niſi propter talem finem vel actum: Ergo & è contrario decretum de actu ipſo erit prædefinitio ejus, quamvis non ſit volitus niſi per tale medium, tandem ille actus non comparatur ad noſtram voluntatem ut determinandam ſolum concomitanter, ſed antecedenter & cauſaliter, quia per illum Deus vult non tantum concurrere, ſi voluntas conſenſerit, ſed vult ut conſentiat, idque non per velleitatem ſeu ſimplicem affectum, ſed abſoluto & efficaci decreto, quale eſt illud de quo Auguſt. Deo volenti ſalvum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium.* Reſp. Quid hoc eſt? Deus ſimpliciter vult dare vocationem congruam antequam præſciat abſolutam futuram, nempe vocationem congruam: quid hoc ad prædefinitionem abſolutam actus liberi? quæritur an velit dare vocationem congruam, priuſquam natura præſciat, hominem actu libero obediturum tali vocationi: hoc niſi dixeris, nunquam probabis prædefinitionem abſolutam. 2. Ergo decretum de actu libero erit prædefinitio, non ſequitur, quia vel præſcit illum actum abſolute futurum priuſquam velit dare vocationem congruam, vel non præſcit: ſi prius, adhuc præfinitio erit conditionata, non abſoluta: ſi poſte-

poſterius, quo evanuit ſcientia media, imo fieri poteſt ut voluntas diſſentiat. 4. Si Deus vult antecedenter, ut voluntas conſentiat, & non vult actum ſi conſentiat, profecto efficax Dei decretum antecedet actum liberum, & ſic actus liber erit neceſſarius neceſſitate antecedente, quod non ferent aures Jeſuiticæ; vel poſito efficaci Dei decreto de actu libero, poteſt ille actus liber non fieri: ita enim Jeſuita libertatem definit, quæ poſſit, omnibus ad agendum requiſitis poſitis, agere vel non agere. Ergo poteſt reſiſti abſoluto decreto, quod eſt abſurdum. 4. Si ille actus comparatur ad voluntatem noſtram ut determinandam antecedenter & cauſaliter reſpectu decreti divini, dabitur futuritio determinationis liberæ antecedenter ad Dei decretum, & ſic tollitur decretum abſolutum: ſi conſequenter ad decretum, neceſſe eſt ponat antecedentem neceſſitatem & actus liberos; quod Jeſuitis eſt abſurdum. 5. A quo eſt determinanda voluntas antecedenter & cauſaliter, an à Deo? Hoc pernegat Jeſuita, ab ipſa voluntate, tum Deus vult antecedenter voluntatem ſe determinare, & ſic adhuc antecedens neceſſitas & liber actus componentur & ſe invicem compatientur, quæ noſtra eſt ſententia. 6. Ipſe Jeſuita nodum ſolvit, & ſuam cauſam jugulat. Ibid. ad figur. 10. *Vt providentia* (inquit) *ſit perfecta & ſufficiens ad effectum prædefinitum, neceſſe eſt ut & permiſſio ſit particularis de actu cum omnibus circumſtantiis ejus, quæ neceſſariæ ſunt ad effectum præfinitum, & ut*

ſit

ſit actus permiſſus infallibiliter futurus, ſi permittatur, quod nullo modo eſſe aut intelligi poſſet, niſi ſuppoſitâ conditionatâ ſcientia ante prædefinitionem talis effectus. Eadem ergo ſupponenda eſt, quandò liber actus, per quem fit effectus à Deo prædefinitus, eſt bonus & ſupernaturalis. Quid multis? vult ſcientiam conditionatam ſupponi abſolutæ prædefinitioni actuum ſupernaturalium; atqui futuritio actuum ſupernaturalium ſupponitur ſcientiæ conditionatæ, quia objectum ſcientiæ eſt prius ipſâ ſcientiâ. Ergo multo magis ipſi actus ſupernaturales erint priores abſolutâ prædefinitione hâc Jeſuiticâ, & eò redit, quæ habet hic Jeſuita, Deus abſolute decernit actus ſupernaturales, ex hypotheſi, quod jam ſint: quis hic non rideret acumen Jeſuiticum, aut potius caput vertiginoſum? At verbis ſaltem Jeſuita cedit veritati, *Lib.* I. de *concurſ. Dei cum volunt.* (L.1.c.16.f.) *Et ſane* (inquit) *videtur per ſe incredibile, & indignum Deo dicere, quod non poſſit abſoluto decreto ſuæ voluntatis aliquid faciendum ſtatuere, ſi per voluntatem creatam liberam faciendum ſit, niſi prius videat tales effectus abſolute futuros: Sic enim & poteſtas Dei in actum humanæ voluntatis, nimis eſſet contracta & limitata: & omnes effectus liberi, licet non eſſent præter ſcientiam Dei, neceſſariò tamen eſſent præter intentionem ejus efficacem, vel ſine illâ, quod eſt præter omnem rationem.* Hinc infero eſſe præter omnem rationem, ut actus liberi non ſint vere liberi, etiam prout ſubſunt decreto Dei abſoluto, antecedenti præſcientiam abſolutæ futurionis actuum libe-

torum

rórum. 2. Eſt præter omnem rationem, ut libertas ſit eſſentialiter talis potentia, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, vel non agere. At vero audiat quæſo lector modum, quo Jeſuita ſalvet libertatem ſub prædefinitione hâc immanente *Ibid ad f.* 8. *Quamvis* (inquit) *hoc decretum ſit in ſe efficax & abſolutum, tamen non per ſe immediate immutat voluntatem, aut ad agendum determinat, neque extrahit eam à ſuo connaturali modo agendi, ſed tantum adhibet, & applicat media conſentanea & aptiſſima, ut eo modo, quo prædefinitus eſt, infallibiliter fiat: ad infallibilitátem vero effectus,* ait, *ſufficere aliam motionem moralem cum communi concurſu, adjuuctâ conditionatâ ſcientiâ, quâ Deus prævidit fore, ut his poſitis, voluntas humana liberè conſentiat in talem actum: nam hoc eſt medium infallibile, & efficax ut illa divina voluntas impleatur.* Sed Reſp. 1. Jeſuita falſum & Dei perfectione indignum præſupponit, nempe Dei decretum abſolutum, quo voluntas Phyſicè prædeterminatur, extrahere ipſam à naturali agendi modo, hoccine nos docemus? Evince ſi potes argumento, & Deum non poſſe indeclinabiliter, & tamen modo connaturaliſſimo voluntatem flectere Deo imperfectionem aſpergit, & dominium in actus liberos non mediociter labefactat. 2 Prædeterminatio Phyſica etiam ponit medium morale aptiſſimum, quippe voluntas eſt agens vere ethicum & morale, etiam Dei determinatione, & propter moralem ſuaſionem

ſionem etiam libere ſecedit & donat determinationi phyſicæ. 3. Falſo falſius eſt ſufficere ad infallibilitatem effectus, motionem moralem cum generali concurſu, & conditionata præſcientiâ. Nam conditionata præſcientia vel præſcit Deus voluntatem aſſenſum præbituram morali motioni antecedenter ad efficax & abſolutum decretum, vel conſequenter: ſi antecedenter, ludit Ieſuita; nam tum non abſolute decernit, & prædefinit actum liberum, ſed ex hypotheſi & conſequenter: age itaque ſic arguo, Deus, ex Ieſuita, abſolute decrevit omnes actus bonos & ſupernaturales; neceſſe eſt itaque actus illos fore, hic neceſſitas antecedens ſtat cum libertatis exercitio, quod ſæpe pernegavit Ieſuita, ut ſupra vidimus, ſed adhuc urgeo: poſito illo decreto *Petrus* libere credit. Ergo poteſt nunquã credere ex doctrina Ieſuitica, ſi *Petrus* poteſt nunquam credere, etiam adhibita morali motione & concurſu generali (nam neutrum ex hiſce indeclinabiliter determinat voluntatem, ut docent Ieſuitæ) Ergo Deus non poteſt præſcire medium congruum, quo infallibiliter moveatur voluntas *Petri* ad credendum. Nam non poteſt Deus id præſcire futurum, quod nunquam eſt futurum, quid hic cogitari poteſt à Ieſuita, quo ſatisfaciat argumento? hoc unicum reſtat aſylum; nempe, Deus in infinita ſua ſapientia præſcit omnium hominum voluntates, ſi hiſce & talibus ſuaſionibus moveantur, talibus poſitis conditionibus, infallibili-

ter

ter tamen ceſſuras eſſe & perſvadendas fore. Sed age, ſic diluo facillime hoc, voluntas ſub omnibus conditionibus & ſvaſionibus libere credit, ac proinde poteſt non credere. Nam nullæ circumſtantiæ, nullæ conditiones, nulla denique ſuaſio determinat voluntatem, ex Ieſuitis: ergo non poteſt infinita Dei ſcientia præſcire *Petrum* crediturum infallibiliter, quando nunquam eſt crediturus, imo ſic Dei præſcientia non eſſet infinita, ſed fallax & conjecturalis, quod eſt blaſphemum: ſi dixerit Ieſuita, Deum non abſolute prædefinire actum credendi in *Petro*, donec præſciat prius ſcientiâ conditionatâ, voluntatem talibus congruis ſuaſionibus ceſſuram. Tum ecce adhuc Deus abſoluta prædefinitione hac immanente prædefinit actus liberos, poſtquam ſunt futuri; certe hic impoſſibile eſt Ieſuitam non capi, & hærere limo argumento hoc *Achilleo*.

23. Vide vero *ibid. f.* 10. quas differentias ponat Ieſuita inter prædefinitionem immanentem prædefinientem actus liberos ad intra, & prædeterminantem ad extra. 1. *diff.* Prior voluntas habet conjunctam voluntatem, vel potius ſimul eſt voluntas talis medii, quod non determinet liberum arbitrium, ſed contingenter illud moveat quantum in ipſo eſt; infallibiliter autem ex præſcientia. Poſterior, prædeterminans non requirit aliud medium, quam ſuam efficacitatem, qua ſecum rapit voluntatem, determinando illam. Reſp. 1. Medium infallibiliter ex præſcientia movere voluntatem

humanam, falſum eſt: omnis enim infallibilitas fundatur in neceſſitate entitativâ: atqui hic nulla eſt neceſſitas omnino inter motionem moralem medii, & actum liberum, ſed omnino tam poſſunt ſimul non eſſe, quam ſimul eſſe. 2. Decretum prædeterminans nullum medium requirere, eſt plane falſum: illo enim decreto ſtatuitur medium quod movet voluntatem modo connatnrali, neque ſua efficacitate rapit, ſed ſuaviter determinat & flectit voluntatem. 2. *Diff. Prior* (inquit) *voluntas prædefinit actum cum habitudine ad modum operandi cauſæ ſecundæ, unde in objecto ſuo includit actum ut faciendum ex determinatione ipſiuſmet liberi arbitrii, modo congruo. Poſterior habet pro objecto non ſolum actum, ſed etiam modum ſeu prædeterminationem phyſicam per efficacem Dei motionem.* Reſp. Repugnantis in adjecto eſt, abſolute prædefinire actum liberum faciendum ex determinatione ipſius liberi arbitrii, quod, poſitis omnibus motionibus congruis, poteſt agere vel non agere, ut docet Ieſuita: nam poſito decreto prædefiniente, non poteſt non agere. *Tertio, hinc fit,* (inquit Ieſuita) *ut prior prædefinitio obſtractè concepta, ut præſcindit ab effectione ſeu applicatione medii accommodati, non ſit immediate activa ad extra, nec applicativa potentiæ divinæ, donec intelligatur determinata ad tale medium; altera eſt applicativa potentiæ divinæ ad vim ſeu neceſſitatem aut prædeterminationem inferendam voluntati creatæ.* Reſp. 1. Quamvis prædefiniens illa voluntas non ſit immediate applicativa

tivâ potentiæ vel medii accommodati ad movendam voluntatem; tamen ea poſita, non poteſt non voluntas mota permoveri: hæc vero, Ieſuitico ſenſu, vis eſt evertens libertatem, alioqui poſita prædefinitione, ſi poteſt voluntas non permoveri, tum nulla eſt hic prædefinitio abſoluta. 2. Falſum eſt vim inferri voluntati per decretum tranſiens: ita enim applicat potentiam divinam ut ipſe ferat ſecum libertatem in illud objectum, in quod ipſe ſe libere inclinat. *Quarto* (ait) *ex vi prædefinitionis prioris non variatur concurſus Dei concomitans, quo Deus concurrit cum voluntate, ſed ſolum ita dirigitur & gubernatur voluntas, ut infallibiliter eo utatur, ut illi ſeſe accommodet. At vero ex vi alterius voluntatem prædeterminantis, neceſſe eſt variari concurſum Dei, talemque præſtari, ut ille potius voluntate utatur, quam voluntas illo, nec voluntas illi ſeſe accommodet, ſed potius ille voluntatem ſecum operari compellat, nec ſit indifferens talis concurſus, ſed determinatus ad unum.* Reſp. 1. Ex vi prædefinitionis abſolutæ, concurſus Dei eſt determinatus ad actum aſſentiendi prædefinitum abſolute, ita ut ſi poneretur actus diſſentiendi, & prædefinitus eſſet actus aſſentiendi, fallibilis eſſet Dei ſcientia, præfinitio non eſſet efficax, quod eſt grave abſurdum. 2. Ad laudem gloriæ divinæ toto corde nos profitemur Deum uti voluntate creata in omnibus actibus ſuis: alioqui non poſſet ad finem pervenire intentum per talia media, nec Deo conſtaret dominium in creaturas, aut providentia in omnibus, niſi hoc

dicamus, & tamen voluntatem non compellit, quia lubens ſequitur, & libere etiam Dei voluntatem, & tam libere quam ſi poneremus non eſſe in Deo decretum. 3. Si voluntas creata Dei concurſu uteretur pro libitu, tum creatura neceſſitaret Deum ad concurrendum ad actus peccaminoſos, ad actus bonos, imo ad omnes actus morales, & ſic Deo honos & gloria bonorum actuum non conſtaret, & libertate concurrendi ſpoliaretur.

24. Tandem miſerrime Ieſuita ib. ad ſig. 12. hanc prædefinitionem non-prædefinitionem abſolutam facit. *Prædefinitio* (inquit) *hæc non eſt ſimpliciter antecedens uſum libertatis, quia ſupponit præſcientiam ejus ſaltem ut futuri ſub tali conditione.* Ergo abſolute Deus prædefinit actus liberos, ex hypotheſi quod ſint actus liberi: at quis negaret omnes morales bonos actus, malos, naturales, ſupernaturales à Deo definiri, poſtquam ſint? at ſic à nobis, ab angelis definiuntur. 2. Quid non poteſt eſſe abſolutum ex hypotheſi, quod jam ſit? putat Ieſuita ſe Deo gratificari in hac prædefinitione, quam ille *ib. f.* 15. putat neceſſariam eſſe, non propter dependentiam effectuum contingentium ex cauſa prima, ſed ex parte Dei ut convenienti modo prævideat & præordinet ea, quæ ſub ejus voluntatem & actionem cadunt. Sed dic, Ieſuita, quare Deus non omnes actus hac prædefinitione immanente prædefiniat. Cauſa patet, in quibuſdam Deus præordinat ea, quæ cadunt ſub voluntatem & actionem

ctionem ipſius convenienti modo, in aliis, modo non convenienti, in quibuſdam ſapienter & ex infinita ſcientia ſua, in aliis nullâ providentiâ. Hoccine eſt Deo dignum philoſophari?

25. Pergo ad alia quæ habet Ieſuita, ſuper hac re, ait actiones neceſſarias vel de facto ordinatas ad finem aliquem particularem intentum efficaciter à Deo ac præfinitum à Deo prædefinitione abſolutâ, determinari, cujuſmodi ſunt conſenſus *Ioſephi* & *Mariæ* in matrimonium. Dic Ieſuita, rationem, quia ſpecialis eſt hic providentia circa media fini ultimo neceſſaria: at vero omnia *Iehova* fecit propter ſeipſum *Prov.* 16. & ex hypotheſi divini decreti, ſunt media gloriæ Dei illuſtrandæ neceſſaria, & ſpecialis providentia in minimis refulget. Altera pars diſtinctionis eſt hæc. *Quando actus humani* (inquit *ibid. ſig.* 12.) *etiam moraliter boni, non ſunt ordinati à Deo ex efficaci intentione alicujus finis ſpecialis, ſed ab humana voluntate cum generali concurſu ac providentia oriuntur, non oportet ut à ſpeciali Dei voluntate præfiniente procedant, nec eſt ulla ſufficiens ratio ad id credendum; & hujuſmodi ſunt majore ex parte actus morales omnes, quia ita ab hominibus fiunt, ut nihil iis ad vitam æternam conſequendam proſint, nec Deo ſpecialiter deſerviant ad aliquem finem peculiarem providentiæ ejus. Proba. quia ea proprie dicuntur eſſe à Deo præfinita, quæ vel ut fines vel ut media ſunt ab ipſo peculiariter intenta, aut electa, vel volita. Ergo, quæ hoc modo non cadunt ſub divinam voluntatem,*

Suar. lib. 2. *de concur.* c. 7. *ad ſig.* 9.

tatem, *& alioqui ſequuntur ex generali ordine cauſarum ſecundarum cum generali concurſu non oportet eſſe præfinita*. Reſp. efficax & ſpecialis Dei inintentio in omnibus quæ vult & facit (omnia autem bona vult & facit) eſt ut ipſe glorificetur, ut expreſſe ait ſcriptura *Prov.* 16.4. *Rom.* 11. 36. *Apoc.* 4. 11. Ergo omnia ſunt à Deo præfinita. 2 Quædam eſſe entia, quæ Deo non deſerviant, ad aliquem peculiarem finem providentiæ, eſt Deum multa facere ob nullum finem, & ſic non erit Deus agens intellectuale, quod eſt blaſphemum, quippe multa faciet extra ſe vel naturæ ſive impetu, uti guttulæ pluviales decidunt, ſive inſtinctu naturæ, ut aves nidos conficiunt: at vero quæ ſic agunt, ab intelligente ſuperiore ordinantur: at quis ſuperior ſpiritum *Iehovæ* dirigit? quis ei conconſilium dedit? 1. *Cor.* 2. 16. *Rom.* 11. 34. At vult Ieſuita Deum intendere illos actus bonos ob finem communem, nempe bonum in communi, vel hoc, vel illud: at vero confuſa talis in Deo intentio, alibi à Ieſuita rejicitur, utpote quæ imperfectionem ſapiat: 3. Ipſa ſcriptura diſertè ait minima quæque, ut paſſerum volatus, capillorum caſus, à Deo intendi & curari, Deumque illa ſpecialiter velle *Mat.* 10. 29. Deum reſponſa linguæ dirigere *Prov.* 16. 1. egreſſum ſortium e gremio *Prov.* 16. 33. occiſionem viri, ut videtur, caſu occiſi *Exod.* 21.13. projectum ſagittæ in *Achabum* 1. *Reg.* 22. 34. Deum facere divitem & pauperem *Prov.* 22. 2. extollere & deprimere

quem

quem vult. *Pſal.* 75. 78. Quis diceret Deum ita iſta velle, nempe ex hypotheſi quod ſint, & poſita Dei voluntate, aut actione poſſe hæc fieri vel non fieri? hoccine eſt Deum horum, facere cum ſcripturis, autorem? Aut quis diceret Deum hæc velle ob finem conditionate aut inefficaciter intentum, quia nempe Deo etiam volente, hæc poſſunt non fieri, ac proinde excidere fine ad quem hæc tendunt, ut medio, & alium tunc finem Deum aſſequi, excuſſum à fortunâ, hoc fine? At vero dici non poteſt hæc præciſe inſervire ad vitam æternam conſequendam, poteſt enim *Ionah* vel *Matthias* vitam conſequi æternam, ſive ſors ipſis obtigerit, ſive non. 4. Si non fiant hæc præfinitione illa ſaltem immanente, tum oparabitur Deus ad productionem horum effectuum, nec operatione congrua, quâ ſcit illa non fore, ac proinde, nullâ ſcientiâ ideoque nec providentiâ: nam vel intendit, ut hæc ſors obtingat alicui, vel non: ideoque ſortes exeunt præter Dei intentionem, quod Jeſuita dixit eſſe præter rationem: ſi intendit, vel abſolute intendit, vel conditionate: ſi abſolute, habemus quod volumus: ſi conditionate: tum ex præſcientia: atqui hæc præſcientia vel adhibet media congua, vel non; quicquid dixerit, ſequitur eodem modo præfiniri, quo ea, quæ prædeſtinationi inſerviant, ut media neceſſaria; ideoque vana eſt Ieſuitæ diſtinctio. *Ad hæc omnia* (ait Ieſuita) *Deum per ſe intendere, eſſentialem mundi perfectionem, & conſervationem,*

donec numerus electorum compleatur qui eſt maximè per ſe intentus. Quia verò eſt per accidens ſæpe ad hunc finem & eſſentialem mundi perfectionem, ut ſint tot vel plura, ideo oportet eſſe à Deo præfinita, neque ut finem, neque ut media, ſed tantum præcognita, ut conſequenda & futura ex inſtituto cauſarum ordine, & permiſſa vel admiſſa ac effecta per Dei voluntatem volentem ſuum iis influxum impendere. Reſp. 1. Ante *Bellarminum* idem docuit atheos *Averroes*, qui particularem Dei providentiam negavit. 2. Quicquid Deus facit, illud vult, alioqui facit multa invitus: atqui Deum actus bonos particulares facere, non negat Ieſuita. Ergo hæc vult. Sed quicquid Deus vult, vel ſunt fines, vel media, quia quicquid vult, vel vult propter aliud, ut omnia entia creata, vel propter ſe, uti vult ſuam gloriam. Omne volitum eſt vel medium, vel finis; eſt axioma, quod ad hunc uſque diem apud omnes Philoſophos, obtinuit. 3. Quis hanc theologiam ferret, egreſſus ſortium eſt à Deo, volatus paſſerum, reſponſũ linguæ, ſed hæc non ſunt volita a Deo vel ut media, vel finis, tum certe ob nullum finem fient à Deo & Deus in hiſce non erit agens intellectuale. 4. Scriptura dicit Deum decreviſſe *Achitophelis* conſilium evertere, à Deo eſſe quod decem tribus deficerent à Domo *Davidis*, & tamen iſta habuerint ſe accidentaliter ad prædeſtinationem *Davidis*, & *ſanctorum in Iſraële*. Blaſphema itaque eſt hæc diſtinctio.

26. Quoniam Deus permiſſione ſola actus

bonos

bonos facit, neque magis erint à Dei voluntate & providentia, quam actus mali. Reſp. *Suarez. ib.* Non ſequi, quia Deus actus bonos intendit, & vult, malos non vult aut intendit, excitat & moraliter inclinat ad bonos, non ſic ad malos. Reſp. At ſi Deus actus omnes bonos vult & intendit, vel vult illa ut media, vel ut fines, quod ſupra negavit. 2. Sic providentiâ Dei occaſiones & argumenta ad malum objiiciuntur, licet non ſecundum voluntatem revelatam. 3. Non video, quî Deus non intendat hoſce actus, an abſolute, & ſic revera prædefinita ſunt, an conditionate, ex hypotheſi quod ſint: at abſurda eſt intentio, illud intendere ut ſit, quod jam eſt. 4. Si loquamur de concurſu Phyſicè requiſito ad entitatem actus, non majore influentia reali fiunt actus boni quam mali, quod abſurdum rotundè concedit Jeſuita, ideoque nulla eſt phyſica gratiæ influentia in actus bonos, potius quam in malos? ſola differentia ſtat in ſuaſione pelagiana per excitationem ethicam. 6. Quo fine intendit Deus actus hoſce bonos, an propter ſuam gloriã, propter quam facit omnia, uti dicit ſcriptura, vel non? ſi prius, non poſſunt non omnia media gloriæ illuſtrandæ prædefiniri, quippe Deo inſerviunt ad peculiarem finem providentiæ, uti ſupra faſſus eſt; at dicit hos actus non ſpecialiter inſervire gloriæ Dei declarandæ, ſed per accidens ſe habere ad hunc finem, ideoque non præfiniri: at ſi hæc ratio (inquam ego) valeret, nulla à Deo prædefinirentur:

poſſet enim gloriam ſuam aliis mediis declarare, quam per hæc media prædefinita, alioqui non eſt infinite ſapiens.

27. Aliqui videntes indignum eſſe Deo adimere abſolutam prædefinitionem, ideoque dixerunt Deum finem indeclinabiliter intentum aſſequi, ſeu potius ad eum pervenire, per contingentia media, ita, ut ſi hoc deficiat, illud arrepturus ſit, ut intendit (inquit *Iackſonus*) apprehendere latronem per centum media, deficientibus mediis nonaginta, ultimum quaſi ſorte indeclinabiliter finem producet. Sed turpiter hic hallucinantur. Nam deficientibus 99. poteſt ultimum medium, quando contigenter operatur, non minus deficere, quam 99. defecerunt, imo poterat hoc ultimum fuiſſe ordine primum, & ſic defeciſſe: quod vero nugator dicit hoc ultimum, quaſi ſorte operari neceſſariò, ad finis productionem, ſi per ſortem, fortunam intelligit, plane evertetur providentia Dei: an potius velit hoc ultimum per adhibitam infinitam potentiam, aut ſapientiam Dei agere, ne forte Deus fine intento excideret, tum ex horum doctorum placitis Deus præciſe per hoc medium irreſiſtibiliter & neceſſario agens, ad finem pervenit: at cur non hoc in aliis mediis deficientibus fecit, & tum etiam hoc ultimum medium contra ipſorum hypotheſin, non erit contingens, 2. Deinde quis credat (inquit *Suarez*) *Deum dum hoc vel illo modo vocat hominem neſcire an conſenſurus ſit nec ne? ideoque quaſi tentando incedere, ut ſi nunc non*

Iackſ. de divin eſſent. ſect. 2. c. 8. p. 95.

Lib. 3. de auxil. c. 17. ſ. 14.

conſen-

conſenſerit homo, eum iterum vocet vel alio modo &c. 3. Sic providentia erit incerta & non infallibilis ex ſola mediorum multitudine: nam unum hoc deficit, deficere poſſunt duo, & omnia. 4. Confuſa & ſuſpenſa erit Dei voluntas tali prædefinitione.

Habes hic lector noſtram ſententiam de decreto diſjunctivo. 2. Conditionato. 3. De præfinitivo decreto immanente, quæ omnia nobis ſunt *Chymeræ Ieſuiticæ*.

CAP. V.

Suarezii, Fonſecæ, & Arminianorum de novâ Dei ſcientiâ, quam conditionatam, ſeu mediam vocant, rationes examini ſubjiciuntur.

AD alia feſtinanti, obviam ſe mihi dat ſcientia media, contradiſtincta à ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, & ſcientia viſionis, quæ eſt partim naturalis, ut dicunt, quia volunt talem ſcientiam non poſſe, non eſſe in Deo; partim libera, nempe ab objecto, quia liberum eſt Deo ſcibilia creare, vel non creare: eſtque hæc ſcientia quâ Deus ex altitudine ſcientiæ ſuæ, ut ait *Fonſeca*, effectus omnes contingentes antecedenter ad actum decreti ſui præſcit, ut habet *Lod. Molina*, ſi cauſæ in hiiſce, vel illis circumſtantiis collocentur. Sed contra 1. ſic arguo. vana eſt illa ſcientia, cujus objectum eſt non-ſcibile, non-verum, & non-

Molina de concord. q. 14 ar. 23. diſp. 52.

non-ens: atqui objectum hujus ſcientiæ, quum ſit ens habens eſſe & veritatem antecedenter ad ſuam cauſam nempe Dei decretum, eſt non-ſcibile, & non-verum. Erg. Prob. minor. Futuris contingentibus ex hypotheſi, non convenit aliqua veritas realis ab æterno in ſe: hoc enim eſt ſolius Dei proprium. Nec iis poteſt convenire aliqua realitas ratione efficientis, nempe Dei decretum. Reſp. *Suarez, Objectum hujus ſcientiæ non eſſe omnino independens à decreto Dei, quoniam includitur concomitanter Dei decretum in objecto ad modum poſſibilis, quamvis decretum nullum ſit antecedens, & modo cognoſcendi & loquendi noſtro prior ſit præſcientia quam decretum.*

Suar. prol. 2. par. 1. de grat. cap. 9. ſ. 10.

Reſp. 1. Si Dei decretum ſit cauſa objecti ſcientiæ mediæ, non comitatur ſed antecedit objectum. 2. *Qui docent neceſſitatem ex decreto eſſe conſequentem, non minus, quam eſt neceſſitas ex* Dei ſcientia, ne illi nimis lincei ſunt, qui velint concomitanter includi decretum in objecto. 3. Obſerva quomodo loquatur ſophiſta, quam timidè quam fraudulenter: (objectum non eſt omnino independens à decreto) at ſi eſt aliquo modo dependens, an ſit cauſativa dependentia, exprimere debebat, ſed in dumetis & vepribus anguis latitare cupit. 4. Includitur decretum in objecto ad modum poſſibilis: at ſi objectum ſit determinate futurum, uti fatetur, an decretum tantum eſt poſſibile? Ergo decretum poteſt non eſſe; atqui futurum contingens determinare eſt futurum: vin' igitur ſophiſta nobis demonſtrare quomodo ob-

do objectum hujus ſcientiæ non ſit omninò independens à decreto, quando ſit abſque omni decreto. 5. Si nullum decretum ſit antecedens, num prius dependet à poſteriore? & id quod habet eſſe antecedenter ad decretum, ullo modo eſt dependens à decreto in eſſe, ac proinde in veritate eſſendi? Dic libere, nec frontem perfrices, oro. 6. Modo loquendi & cognoſcendi noſtro (ais) prior eſt præſcientia quam decretum, ſed dic ex tuis ſomniis, an tantum modo cognoſcendi noſtro, an non eſt etiam prior natura? Et prior modo cognoſcendi in Deo? Imo eſt, ſi vobis credimus. 7. Ut objectum hujus ſcientiæ ſit ens & ſcibile, neceſſe eſt habeat cauſam: at ſi decretum eſt poſterius eo, non poteſt eſſe ipſius cauſa. Da cauſam igitur. En quo evanuit jam decretum concomitans?

2. *Rat.*2. Illa ſcientia explodenda eſt, cujus objectum eſt tale, ut eo poſito effectus reducatur in arbitrium creatum, ut in primum determinans: nam ſolus Deus eſt primum determinans: atque ſi decretum ſit poſterius objecto ſcientiæ mediæ, objectum hoc ultimatè reſolvetur in arbitrium creatum: non enim poteſt reſolvi in Dei decretum ut in primum determinans, quia decretum eſt eo poſterius. Reſpondet *Suarez. ib. ſ. 7. Non eſſe hoc contra Dei omnipotentiam, vel abſolutum dominium, quia talis effectus non eſt futurus ſine influxu omnipotentiæ Dei, qua vult & voluntatem creatam ſinere liberè operari, & cum illa concurrere, poſſetque, ſi vellet*

vellet, illum actum impedire aliter ſe habendo cum voluntate, ſi autem vult illam indifferentem ſinere, neceſſe eſt quod voluerit, ipſa operetur. Reſp. ſi non ſit contra Dei dominium, ſed penes arbitrium creatum ut primum determinans in cujus poteſtate eſt ut ſint vel non ſint effectus
Iac. c. 4. v. 13. 14. 15. contingentes, male *Iacobus* arguit, ſi dominus voluerit, & ſi permiſerit hoc, vel illud; faciemus: ſi enim voluntas humana ſit primum determinans, eſt ab homine non à Deo, quod ex multis itineribus poſſibilibus, hoc potius quam illud iter faciamus. 2. Quod dicit Deum poſſe impedire actus liberos, dilute nimis & ἀλόγως dictum eſt. Nam ſi ego hoc non illud velim antecedenter ad Dei decretum, & etiam ad ſcientiam mediam, uti fatetur Jeſuita; non poteſt Deus liberos actus impedire: nam quod jam eſt, & quod Deus infallibiliter præſcit futurum eſſe, infallibiliter futurum eſt; ſed dicat Jeſuita, an omnipotentiæ divinæ locus ſit ut impediat, quo minus, propoſitio identica ſit vera. 3. Non eſt effectus contingens (inquit) futurus ſine voluntate Dei; ſed qualem vis ſophiſta voluntatem? conſequentem & non antecedentem neque potentiam actu applicantem, niſi humanum arbitrium coagere vult? & ſic eripitur Deo dominium, & transfertur in voluntatem creatam. 4. Voluntatem vult Jeſuita concurrendi Phyſice generalem, qualiter cum porcis manducantibus & paſſeribus volitantibus concurrit. Digna certe hoſtibus gratiæ dominatio & gratia præ-

præpotens. 5. Tandem Jeſuita victus dat manus: ſi vult ſinere voluntatem indifferentem, neceſſe eſt operetur, quod voluerit. Ergo neceſſe eſt Deus ſuam valuntatem & concurſum contemperet nutui libertatis creatæ; & Deus fato victus non poteſt reconcurrere, & velle quod voluntas creata primum determinans voluerit. quale jam eſt objectum hujus ſcientiæ? 6, Poteſt Deus voluntatem (inquit) impedire, at quomodo? vel nòn creando voluntatem, vel annihilando, vel neceſſitando. At ſic receditur à quæſtione, quæ non eſt de Dei dominio in voluntatem, ſed de Dei dominio in voluntatem quatenus eſt agens liberum: dicimus enim per hanc ſcientiam poni actus contingentes præter & contra dominium creatoris qui nodus ut à Jeſuitis diſtringatur, vereor.

3. *Rat.* 3. Objectum omnis ſcientiæ infallibilis eſt neceſſarium: atqui contingentia futura antecedenter ad Dei decretum, non ſunt neceſſaria. Ergo non datur objectum hujus ſcientiæ. Major eſt certa, quia omnis infallibilitas ſcientiæ fundatur in neceſſitate objectiva. Neque dari poſſe certitudinem mentis ſeu ſubjectivam citra omnem certitudinem entis, ſeu objectivam, omnes uno ore clamitant metaphyſici. Proba. minor. Antecedenter ad Dei decretum & ex ſe, *Tyrij* viſis ſignis, tam poſſunt non credere & reſipiſcere, quam credere & reſipiſcere, ex ſe *Keilitæ* tam Davidem permanentem poterant non tradere in manus

manus *Sauli* quam tradere. Nam hæc eſt illis libertatis natura, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poſſint agere vel non agere.

Suar. tom. 11. de grat. divin. prol. 2. c. 9. ſ. 6. 4. Adverſarii nullum non ſaxum volvunt, ut hoc argumentum amoliantur, ſed fruſtra. Nam 1. *Suarez.* ait duplicem eſſe in futuris contingentibus determinationem, aliam in ſua cauſa, ſeu in actu primo, aliam in ſe ſeu in actu ſecundo: hanc poſteriorem vult Deum videre, ita ac ſi jam exiſteret, & objici divinæ ſcientiæ, ex cujus efficacia intuetur non ſolum quid voluntas humana operari poſſit, ſed etiam quid operetur. Reſp. Petit principium: nam determinationem cauſæ contingentis objici infinitæ Dei ſcientiæ, nos credimus: at vero quæſtio remanet in qua ratione objectiva Deus videat hanc determinationem. Nam vel videt ipſam in ſe præſentem: at vero objectiva non realis eſt hæc præſentia (res enim ab æterno non realiter coexiſtebant cum Deo) at non eſt præſentia hæc realis in ſe, neque eſt realis in ſua cauſa nempe in Dei decreto: nam volunt illi objectum hoc antecedenter decretum, & tamen aliam cauſam quam decretum Dei dare non poſſunt, 2. Reſp. *Leſſius*, Deum

Leſſ. de grat. eff. c. 4. iſta præſcire in determinatâ ipſorum exiſtentiâ quam habitura ſunt, ſi hoc vel illud ponatur: ſed adhuc quæſtio eſt, quî Deus talem exiſtentiam cognoſcat: non in inclinatione cauſæ contingentis Nam *Aquinas*, *Valentia*, *Suarez*, *Durandus*, *Vaſquez* dicunt hanc cognitionem eſſe conjecturalem, nec poſſe

poſſe Deo attribui. 3. Reſpond. *Valentia* Deum iſta videre non in ſeſe, ſed in cauſa contingente qua contingens eſt determinata à ſeſe ad agendum. Reſp. Infinities redibit argumentum quæ ſit ratio objectiva in qua Deus præſciat iſtam liberam determinationem, vel in aliâ cauſâ liberâ, & ſic reviviſcit argumentum, vel in aliâ cauſâ neceſſariâ, & hæc non eſt alia quam Dei decretum. 4. *Iackſonus* ait Deum iſta omnia videre in eſſentia ſua, alii in ideis, alii in altitudine infinitæ ſcientiæ. Sed Reſp. 1. Res in Dei eſſentia ſunt poſſibiles, non vero futuræ, niſi per liberum Dei decretum: ſi ſunt neceſſariæ in Dei eſſentia, tum antecedens neceſſitas & contingentia optime conſociantur. At vero, ut recte annotavit *Scotus*, tum Dei eſſentia, tum ideæ præcedunt omnem actum voluntatis divinæ, & naturaliter res repræſentant ſub eſſe poſſibili. Ergò non repræſentant eas in eſſentia, ut futuras determinate, imo nos poſſibilia contingentia ſub eſſe poſſibili cognoſcimus. 2. Infinitas eſſentiæ Dei & ſcientiæ eſt ei ratio ex parte cognoſcentis, quare omnia cognoſcat; non vero eſt ratio objectiva ex parte objecti cogniti: ideoque hic recedunt à ſtatu quæſtionis, quæ eſt an ulla ſit ratio objectiva infallibilis futuritionis contingentium antecedenter ad Dei decretum. Id nos pernegamus.

De divin. eſſen. c. 8. ſ. 2. f. 11.

Scot. lib. 1 q. 39. q. 1.

5. *Argum.* 4. Deus invicta ratiocinatur 1. *Sam.* 23. Si *David* permanſerit, tum *Keilitæ*

ipſum tradent *Saulo*, & ſi *Tyrij* vidiſſent ſigna, tum reſipuiſſent; hæ conditiones ſunt ſyllogiſticæ, & Deo notæ; conſequentia autem bona, ſemper eſt bona, & ſemper neceſſaria erit hæc. *Tyrii* vident ſigna: Ergo reſipiſcunt. At ſi ſit veritas in hiſce antecedenter ad Dei decretum, illo decreto nondum poſito, ut docent adverſarii, mala & impoſſibilis, & falſa eſt hæc conſequentia, *Tyrij* vident ſigna, ergo reſipiſcunt. Imo æque firma eſt hæc conſequentia, *Tyrij* vident ſigna, ergo non reſipiſcunt: nulla enim neceſſaria, ſed plane contingens & indifferens connexio inter viſionem ſignorum & *Tyriorum* reſipiſcentiam. Reſp. *Fonſeca*, *Suarez*. & declamator *Grevinchovius*, qui Jeſuitis nihil non debet, *Deum non cognoſcere conſequens ex illo antecedente, ſed Deum iſta ſcire per modum ſimplicis coexiſtentiæ atque affirmationis unius de alio, ſub tali conditione, hoc eſt, non in connexione illativâ ſed objectivâ ex concurſu objectorum utriuſque partis enunciationis, vel in idem tempus, vel in promiſſionis divinæ aut prædictionis certitudinem.* Reſp. 1. Miſera eſt hæc logica. Nam argumentatio hæc eſt Dei, qui logicam excogitavit. *Keylitæ*, te tradent in manus *Sauli*: Ergo fuge: imò (inquiunt) falſa, bone Deus, conſequentia: ergo non eſt quod fugias. Nam eſto quod permaneat *David*, *Keilitæ* hic ſunt agentes liberi, ac proinde tam poſſunt non tradere, quam tradere. 2. Obtrudunt nobis propoſitiones connexas, quæ in argumentativas reſolvi nequeunt, quod eſt conce-

Fonſec metaph. l 6. c. 2. q. 4 ſ. 10. Suar. in opuſc. l. 2. de ſcientia conditi c. 5 ſ. 10. Grevinch. p. 401.

concedere totum & negare partes, & negare totum partibus ſuis conſtare, in quo nullos non logicæ peritos, *Ariſtotelem*, *Ramum*, & quos non? Judices appellamus; aut dies eſt, aut nox. Semper ante hoc tempus continebat connexionem ſyllogiſticam, Non eſt dies: Ergo eſt nox. Sic hic dant novas propoſitiones connexas, cum nova ſcientia. 3. Conficta plane & falſa eſt hæc ſimplex coexiſtentia: nam viſio ſignorum & reſipiſcentia *Tyriorum* tam contingenter inter ſe cohærent, quam *Socratis* ambulatio hora decima & ſolis reſplendentia & fulguratio: imo antecedenter ad decretum Dei, uel neceſſario vel contingenter cohærent. Nam neceſſarium & contingens dividunt totam entis amplitudinem, & contradictorie opponuntur, ait *Arminius*: at novi hi logici negant omne ens eſſe neceſſarium vel contingens, dant medium inter contradictorie oppoſita, quæ principia, omnibus vel metaphyſicæ candidatis fatentibus, inconcuſſa ſteterunt. Si cohærent contingenter, non ſunt ſcibilia: ſi neceſſario, flagitamus cauſam neceſſitatis aliam præterquam decretum Dei. 4. Deus iſta videt in ſimplici coexiſtentia: at hoc eſt petere principium: coexiſtentia illa eſt contingens, ergo ne quidem infinitæ ſcientiæ viſibilis, niſi aliquo modo neceſſitetur. 5. Omnes Dei promiſſiones ſunt nobis in ſcriptura argumentativæ: alioqui Deus ſophiſticaretur in ſcripturali hac conſequentia Ego promiſi, Ergo hic contingens effectus indeclina-

biliter fiet. *Ier.* 32. 40. *Ezech.* 36. 27, *Deut.* 30. 6. *Geneſ.* 17. 8. *Zach.* 12. 10. *Ioel.* 2. 28. *Mal.* 1. 11. 5. Si reſolvitur coexiſtentia horum in Dei voluntatem promittentem, vel hæc voluntas promittens eſt conſequens vel antecedens rem promiſſam. Si conſequens, Deus promittit *Ezech.* 36. 27. ſe effecturum, ut in viis ipſius ambulemus, poſterius natura quam efficit ut in viis ipſius ambulemus. En ridiculæ propoſitiones promiſſoriæ. Si antecedens ſit voluntas reſpectu rei promiſſæ & Dei promiſſio det eſſe rebus promiſſis uti revera cauſa dat eſſe effecto, tum antecedens voluntas efficax & effectus contingens (ſæpe enim Deus effectus contingentes promittit) optime conſociantur. 6. Coexiſtentia hæc pēdet illis à certitudine prædictionis divinæ: age itaque: unde quæſo pendet coexiſtentia abnegationis *Petri* & tentationis qua impetebatur in aula prætoris? nempe ex prædictione Salvatoris. Itane? at vero *Chriſtus Petrum* ſe abnegaturum ſi tentaretur, prædixit, & certa fuit prædictio, quia res prius in ſe certa erat, non contra. Ideo *Petrus* abnegavit ſalvatorem quia ſalvator eum abnegaturum prædixit, ut omnes norunt: an non hi davi in eccleſia omnia turbent, theologiam, logicam commuues etiam naturæ ἐφνοίας? 6. Dicunt Deum hanc coexiſtentiam præſcire ex hypotheſi: hypotheſin ſcire diſcupio; videt *Tyrios* pœnitentiam acturos, ſi ſigna vidiſſenr: at mera cyphra eſt hæc hypotheſis: nam viſis ſignis poſſunt non reſipiſcere. Quid hic *Gre-*

vincho-

vinchovius? Deus (inquit) hic videt veritatem, non neceſſitatem. At an homini ſatis ſana mens eſt? Videt Deus veritatem infallibiliter, Ergo neceſſitas eſt in ea veritate: alioqui idem eſt, ac ſi diceret, Deum infallibiliter ſcire id quod eſt fallibile, ac ſi diceret hominem videre non viſibile, audire non audibile, Deum ſcire non ſcibile.

6. *Arg.* 5. Si objectum hujuſce ſcientiæ præcedit liberum Dei decretum, tum omnia contingentia antevertunt Dei libertatem, nec poterit miſereri quorum vult, Chriſtum revelare, quibus vult, neque aliter diſponere contingentia, quam ſeſe diſpoſuerunt antecedenter ad Dei decretum, & Deus fatali neceſſitate omnia velle cogetur. Nam ſi contingentia præcedunt ſcientiam mediam, & præſcientia præcedit decretum, multo magis contingentia omnia, quoad realem ipſorum futuritionem, antecedunt Dei decretum. Hoc autem eſt abſurdum. Ergo abſurdum eſt objectum hujus ſcientiæ. Reſp. *Suarez. Licet illa ſcientia non ſupponit aliquod decretum liberum quaſi præëxiſtens in Deo, includit in ipſa hypotheſi decretum ponendum in re, ut ab illo eſſe poſſit effectus.* Suarez de divin. grat. prol 2. c. 9. p. 68 f 6. Reſp. 1. Si non ſupponit hæc ſcientia decretum, quaſi præexiſtens in Deo, cognoſcit effectum priuſquam eſt ens & verum & ſcibile: nam nihil habet eſſe aut eſſendi veritatem, niſi præſuppoſitâ cauſâ ſuâ. 2. Includit in ipſa hypotheſi (inquit) decretum ponendum, at cur non poſitum? an poſito effectu cauſa eſt

tantum ponenda non poſita? Qualis eſt hæc logica? 3. Si ponendum eſt decretum poſitâ ſcientiâ mediâ, adeoque poſita futuritione contingentis, vel eſt hoc decretum ponendum libere, vel non: ſi libere, poteſt non poni decretum, & ſic dari poſſunt omnia futura contingentia, adeoque ipſo actu, per eandem rationem exiſtere poſſunt, citra omne Dei decretum: ſed ſi decretum Dei eſt ponendum non liberè, Deus non eſt liber in decretis ſuis ponendis, quod eſt prorſus ἀθεόλογον. Ideoque fato & neceſſitate Deus non poteſt decernere, quod jam eſt. 4. Hoc decretum eſt tantum approbatio rei jam futuræ antecedenter ad Dei volitionem, non decretum: quicquid enim aliquis decernit, id habet eſſe per decretum. decretum enim facit & dat eſſe rei decretæ, ſicut ſcientia ſupponit ſuū objectum: at vero approbatio eſt rei jam præexiſtentis, ideoque non eſt cauſa rei, ſed rem in ſuo eſſe jam exiſtentem ſupponit. 5. Includitur decretū in hypotheſi quaſi ponendum: ut ab illo eſſe poſſit effectus, abſurdè, inconcinnè, & ineptè omnia. Si præſcientia media jam eſt, jam objectum ejus eſt, imo objectum prius natura eſt quam ſcientia. At ſi quando objectum eſt, ponendum eſt decretum ut ab illo objectum poſſet eſſe, tum quod jam eſt, poteſt eſſe, & ſic nondum eſt, quod eſt: quaſi vero homo qui eſt actu homo, ſit in potentia ut poſſit eſſe homo, & futuritio quæ jam eſt actu, ſit in potentia ut poſſit eſſe actu, quis magnum & clarum Jeſuitam, qui ſacræ theologiæ volumina

ſedecim

ſedecim typis mandavit, ita differentem ſuſtineret? 6. Objectum ſcientiæ mediæ eſt prius ipſa ſcientia, ac proinde cum hæc ſcientia ſit prior decreto Dei libero, ſequitur futura contingentia eſſe vere futura antecedenter ad actus omnipotentiæ: nam omnipotentia nihil agit in Deo niſi qua determinata per actus liberæ voluntatis, & ſic omnia futura contingentia ſunt futura ante omnes actus divinæ omnipotentiæ, intellectus, vel voluntatis, ideoque ante omnem actum providentiæ. O providentiam Jeſuitico-Arminianam! Anima mea in horum ſecreta ne ingrediaris.

7. Huic argumento aliter occurrit *Petr. Fonſeca: Non inde* (inquit) *ſequitur hujuſmodi ſcientiam Deo quicquam libertatis ademiſſe ad volendum aut permittendum oppoſitum ejus quod voluntas creata facit.* Id doce Jeſuita. *Scivit enim etiam certo illam, ſi in quibuſdam aliis occaſionibus poneretur, oppoſitum eſſe facturam: ut poſtquam per ſcientiam conditionatam intellexit, quid illa in his vel illis circumſtantiis collocata, factura eſſet, idque abſolutâ voluntate fieri aut permittere voluit, jam repugnaret hypotheſi oppoſitum, fieri velle aut permittere, alioqui in Dei voluntate mutatio admitteretur.* Reſ. 1. Ratio quam adfert Jeſuita, non eſt hili: nam ſi antecedenter & ad Dei ſcientiam & decretum ſcivit, voluntatem in hiſce non in aliis circumſtantiis collocandam & hoc volituram: non potuit vel ſcire, vel velle, vel per omnipotentiam efficere, ut ullo modo aliud vellet, quam voluit. Non diffiteor, vo-

Fonſec meta. l. 6 c. 8 q. 4. ſ. 10. reſp. ad 3. argum.

luntatem aliud potuiſſe velle, ſed argumento non hoc contendo: ſed ſi Deus videt antecedenter ad ipſius ſcientiam & voluntatem, voluntatem creatam hoc non illud velle, non potuit efficere, ut aliud non vellet. At inquit Jeſuita, potuit in aliis circumſtantiis voluntatem collocaſſe, in quibus contrarium voluiſſet creata voluntas: at dico, in hiſce circumſtantiis voluntatem fuiſſe libere à Deo collocatam, & ex Jeſuitæ doctrina ib. reſpo. ad argum. 4. Deus præſcit ſcientia media ſuos liberos actus, & ideo antecedenter ad ipſius voluntatem, fuit illa libera collocatio voluntatis creatæ in hiſce, non in aliis circumſtantiis, ideoque non potuit aliter collocare voluntatem quam ſe collocaturum præſcivit ſcientiâ mediâ. 2. Poſtulo, ut probet Ieſuita, voluntatem creatam in aliis circumſtantiis quam in hiſce ſub quibus hoc vult, quod vult, acturam fuiſſe oppoſitum ejus quod jam facit; imo poterat ſub omnibus poſſibilibus circumſtantiis illud idem agere quod jam agit. Nam indifferens eſt ad agendum vel non agendum, ſub omnibus circumſtantiis: neque enim illæ circumſtantiæ determinaſſent voluntatem ad oppoſitum agendum: ideoque hoc pro ſuo more dictitat, non probat, ejuſque probatio non parvi eſt, ad argumentum hoc corroborandum. 3. Præſcientiâ mediâ Deus præſcivit, voluntatem creatam hoc volituram, non & hoc, & oppoſitum de facto: atqui futuritio volitionis hujus non oppoſiti, ex Jeſuita

præ-

præceſſit omnes actus tum ſcientiæ tum voluntatis liberæ Dei, ac proinde non potuit non abſolutè velle hos actus liberos, qui fiunt, non alios; ideoque hujuſmodi ſcientia omnem Deo libertatem adimit: an non longe tutius *Hilarius*? *Quæ Deus facere decrevit, ea in ſua voluntate cognoſcit.* *Hilar. de Trinit. l. 9.*

8. Nullius ſunt momenti quæ pro hac ſcientia adferunt adverſarii. Nam 1. Deus *Keylitas Davidem* in manus *Sauli* tradituros, ſiquidem permanſerit, & *Tyrios* acturos pœnitentiam, ſi ſigna vidiſſent, & ejuſmodi cognovit ſcientiâ liberâ in decreto prædeterminante, quo concatenationem entium omnium poſſibilium abſolutè prædefinivit: quod certe ſpectat ad admirandam Dei providentiam, cujus voluntas ad nulla entia vel quæ actu, vel quæ poſſibilia ſunt, eſt indeterminata & ſuſpenſa: & ſic exponenda ſunt dicta Patrum & Scholaſticorum, quæ prolixe nimis accumulat *Franc. Suarez* pro hac ſcientia: poterat gratis Jeſuita ſe hoc onere ſcribendi facile levaſſe.

9. 2. Objiciunt: datur medium inter abſolute futurum & poſſibiliter futurum, nempe conditionaliter futurum. Ergo inter ſcientiam naturalem, qua Deus poſſibilia cognoſcit, & liberam, qua quæ abſolute futura ſunt & exiſtunt, datur media ſcientia. Reſp. Sentiâ liberâ Deus cognoſcit futura conditionata, ideoque media hæc eſt vana, quia ex ſola Dei voluntate neceſſario connectuntur interſe *Tyriorum* reſipiſcentia & viſio ſignorum.

At quando antecedens & conſequens eſſentialiter connectuntur, ut ſi *Petrus* eſt homo: Ergo eſt animal; citra omne decretum naturaliter Deus cognoſcit ejusmodi: habent enim eſſe antecedenter ad Dei decretum.

10. *Ob.* 3. Ante omne decretum hæ duæ ſunt contradictoriæ: ſi *Petrus* in tali ordine collocetur, peccabit; ſi in tali ordine, non peccabit. Contradicentium altera eſt vera, altera falſa. Ergo veritas alterius determinatè cognoſcitur à Deo, ſed non ſcientiâ liberâ, quæ decretum ſupponit: hæc enim eſt ſcientia de rebus antecedentibus decretum, neque naturaliter, ut mere poſſibilia hæc cognoſcit: nam hic aliquid eſt futurum conditionate. Reſp. 1. Contradicentium in materia contingenti, ſi una eſt vera, altera neceſſario erit falſa. At vero hæc, *Petrus* ſi in tali rerum ordine collocetur, peccabit, ante Dei decretum; non eſt vera: at non eſt neceſſe ut una ſit determinate vera antecedenter ad cauſam connectentem inter ſe extrema: hoc eſt, ante Dei voluntatem permittentem, fieri non poteſt ut *Petrus* peccet, etiam ſi ita conſtitueretur, 2. De ente vere futuro, neutra pars ante Dei decretum, eſt vel vera, vel falſa proprie, quia extrema propoſitionis nempe (*Petrus*) (conſtitutio in tali ordine) & (peccatum) ſunt non entia, ideoque non vera, non ſcibilia, ac proinde eorum connexio eſt non ens & non verum, ſed indifferens ad veritatem & falſitatem. Nec enim neceſſe eſt ut quavis

poſita

poſita hypotheſi contradicentium altera ſit vera, altera falſa, nam poni poteſt conditio, qua deſinant eſſe contradicentes: neque enim hypotheſes quælibet ſunt nobis liberæ, nec eſt neceſſe ut in quolibet rationis ſigno, contradicentium altera ſit vera, uti poſt Didacum *Alvarez*. obſervavit doctiſſimus vir, & de eccleſia Dei, ſi quis alius, præclare meritus, *Guliel. Ameſius* in reſcript. ad *Grevinch*. 3. Ipſe *Suarez*. agnoſcit nulla entia eſſe, niſi decretum, ſaltem ad modum poſſibilis, ſupponatur, ideoque illos adverſarios tanget hoc argumentum. Nam veritas & falſitas ſunt affectiones entis veri & realis: at nullum eſt ens vere & reale antecedenter ad ſuam cauſam.

11. *Ob*. 4. Nullus ſapiens aliquid abſolute decernit niſi præſciat deliberatè quid ſit ex hoc vel illo ſequuturum. Ergo alienum eſt à ſapientia Dei, ut decernat futura contingentia priuſſiuam præſciat illa: alioqui temerè decernit. Ita *Fonſeca*, *Suarez*, *Iackſonus*, ne jejunæ & macilentæ forent ipſius meditationes, ex hiſce talia hauſit. Reſp. Argumentum præſumit in hoc eminere Dei ſapientiam, quod facienda & decernenda præſciat. At hoc in omnes moriones & idiotas cadit, ut ipſorum facta & decreta præcedat aliqualis factorum & determinandorum cognitio. 2. Scientiam ſimplicis intelligentiæ qua Deus novit quid ſit poſſibile, quid factu expediens, quidnon, præcedere dicimus omnia Dei decreta, & ſcientiam viſionis ſeu libera decreta ſubſequi: & ſic

Fonſec. lib. 6 meth. c. 2. q. 5. ſ. 9.
Suar. de ſcien. condit. l. 1. c. 4. ſ. 2.
Iackſ. de divin eſſen. c. 8. ſ. 2.

& ſic Deus ex infinita ſua ſapientia & ſcientia & nullo modo temerè decernit, quaſi vero temeritas decernendi in Deum caderet, niſi videret ante decretum ſuum omnia poſſibilia ut futura neceſſariò, id quod implicat contradictionem. 3. Detur ergo ſcientia media antecedens omnia Dei decreta, & videbimus qualem Deo ſapientiam tribuant. Ego (inquit Deus) præſcio ſcientiâ mediâ, priuſquam decernam, ut *Petrus* crederet, *Petrum* certiſſime crediturum: ideo decerno ut credat. Ego præſcio antecedenter ad decretum permittens *Iudam* proditurum Salvatorem, *Pilatum* condemnaturum, & milites crucifixuros ipſum: ideo ego permittere hæc decerno. Hæccine eſt ſapientia Jeſuitica quam Deo affingunt? Decernit liberè hoc fore, poſtquam eſt: quæ providentia eſſet hæc? *Nauclerus* certiſſime præſcit navem naufragium ſubituram, & tum naufragium decernit: *Petrus* ſuam Domini abnegationem prævidit & præſcivit in Chriſti prædictione, & voluit. Ergo *Petrus* decrevit ſuam Domini abnegationem. 4. Sapientes viri ex ſcientia media vellent decernere ne forte errent, decernendo media fini non idonea: at non eſt quod Jeſuitæ vereantur ne media à Deo volita ſint inepta fini, quem intendit: quia enim Deus voluit talia media, ideo ſunt idonea: at non ſic inter homines ſe res habet: dabimus ergò fortè hominibus ſcientiam quandam mediam, ne forte errent, an Deo etiā dabimus ex periculo errandi? Apage nugas.

12. *Ob.*

12. *Ob.* 5. *Sicut in abſolutis* (inquit Suarez) *de cauſa exiſtente vel præſente in intuitu Dei, ut exiſtens verè affirmatur in eadem mente Dei tale effectum eſſe libere dimanaturum ab illa, non quia in virtute cauſæ hoc videat Deus, ſed quia intuitu ſuo videt cauſam illam, tametſi liberam, tanquam influentem in illum effectum, ita in his conditionatis de cauſa ex hypotheſi concepta, ut præſenti ſub tali exiſtentia poſſibili poteſt vere affirmari & cognoſci in mente Dei, hunc determinatum effectum eſſe dimanaturum ab illâ cauſâ liberâ ex eadem hypotheſi, non quia in virtute cauſæ talis effectus determinate cognoſcitur, ſed quia vere in ſe & actu ſecundo eſſet ad actum illum determinanda.* R. Audis, lector, regia dictata, ſic volo, ſic jubeo, ſed nihil probat. Hoc onere ſe levat. 1. Nam fabula eſt, effectum ſecundum in ſe determinandum: & à nullo cauſa determinandum: quid? an erit Deus habens eſſe à nulla cauſa? ſi indifferens cauſa ſe determinat, ſibi dat eſſe determinatum. 2. Si effectus contingens habet eſſe determinatum à Dei voluntate, quod negari non poteſt; an Deus videt hoc eſſe determinatum, priuſquam ipſius voluntas dederit eſſe determinatum? tum videt non ens, quod eſt non viſibile: nihil enim eſt habens eſſe & ſcibile priuſquam eſſe accepit, & eſt ſcibile: eſſe autem eſt ſcibilitatis fundamentum. 3. Libera determinatio prout in ſe futura (inquit) eſt præſẽs ex hypotheſi, æterno Dei intuitui, ſed an eſt præſens antecedenter ad Dei decretũ divino intuitui, hoc tu proba, imo nullis ingeniorũ machinis hoc effectũ dabis. 4. Deus (inquit) videt effectum

Suarez de divin. grat. prol. 2. c. 7. ſ. 2.

effectum determinandum, non in virtute cauſæ, nempe contingentis, ſed in ſe & in actu ſecundo. Sed tum dico Deum non videre effectum contingentem qua contingentem, ſed qua neceſſarium, quod nobis vitio dant adverſarii: & ſic Deus non cognoſcit contingentia qua contingentia. 5. Quæro an effectus contingens ſit cognoſcibilis in ſuâ cauſâ, an non. Dicent non, quia propenſio cauſæ contingentis eſt ad utramque partem indifferens: at quid tum? eſt (inquam ego) indifferens diſjunctive non copulative: ſed hi malunt ipſam Dei ſcientiam in jus vocari, quam vel contingentiæ ſuæ tantillum detrahi patiantur. Sed adhuc audite Jeſuitam fortunæ cauſam agentem. Negat enim rationem futuritionis contingentis effectus ſumendam eſſe à cauſa.

Suar. ib. ſ. 25. Forma (inquit) *illa à quâ eſſe poſſibile in cauſa denominatur futurum, non eſt cauſa ipſa, vel determinatio ejus, ut* (inquit) *à nobis Calvini ſectatoribus* (ut vocat) *contenditur. Nam hoc eſt tollere* (inquit ille) *contingentiam effectuum & libertatem cauſarum ſecundarum: eſt ergo habitudo quædam quam res prout eſt in cauſa habet ad ſeipſam, ut erit præſens in ſuo tempore, qui ordo in mente Dei eſt objectiva præſentia, quam illud eſſe habet in æternitate, ratione cujus veritas illa per modum præſentis cognoſcitur, quamvis in ordine ad nos denominetur futura.* Reſp. Subtilius *Paulo* iſta dici fateor, ſed nihil veri continent. Nam 1. poſſibile denominari futurum à cauſa eſt ambiguum: nam à cauſa ſecundâ non denominatur

futurum

ſuturum ſimpliciter, ſed à cauſa prima: nam futuritio eſt tendentia entis è ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum actuationis per cauſam primam: nulla enim fuit cauſa ab æterno præter unicam Dei voluntatem, quæ hanc tendentiam cauſaretur. 2. Si tollitur libertas, quoniam effectus contingens habet futuririonem à cauſa ſua, an habet futuritionem, antecedenter ad ſuam cauſam? & ſic nulla cauſa opus erit, quæ det futuritionem, ſi ipſam, antequam accedat cauſatio actualis, habent. 3. Si forma à quâ poſſibile denominatur futurum, ſit habitudo ſive ordo, quam res prout eſt in cauſa habet ad ſeipſam prout in tempore exiſtit, ille ordo vel terminatur neceſſariò ad rem in tempore exiſtentem, vel contingenter: ſi neceſſario; tùm res eſt neceſſario futura, & etiam contingens, quod Jeſuita putat eſſe grave abſurdum; ſi terminatur contingenter ad rem prout in tempore exiſtit, tum contingens futurum non eſt futurum, quod abſurdū. Nam omne futurum ſive contingens, ſive neceſſarium, imò etiam poſſibile futurum eſt neceſſario, & non poteſt non eſſe futurum: nam futurum non eſt terminus diminuens. 4. Quæro quam cauſam intelligit quando dicit futurum eſſe habitudinem rei in ſua cauſa ad rem actu exiſtentem. Nam vel intelligit Dei voluntatem, primam cauſam, vel intelligit cauſam contingentem: ſi ſic, tum vel intellit cauſam contingentem, qua talem, vel qua determinatam: ſi primum, futuritio non eſt habitudo rei in cauſa contin-

contingente qua eſt contingens. Nam cauſa contingens qua talis, eſt cauſa rei tantum poſſibilis, non futuræ. Si vero intelligit cauſam contingentem qua determinatam, vel intelligit determinatam à Dei voluntate, & ſic habemus inſtitutum, vel ab ipſa cauſa ſecunda contingente, quatenus eſt determinata à ſeipſa. At vero non poteſt ratio futuritionis æternæ ſumi à temporali determinatione facta à cauſa contingente. Si vero velit futuritionem eſſe habitudinem rei prout eſt in prima cauſa, hoc doceat. Nam prima hæc cauſa eſt Deus qua libere agit, & ſic adhuc habeo inſtitutum. 5. Si futuritio eſt habitudo rei prout eſt in cauſa ad ſeipſam, ille ordo eſt quid determinatum: nam futurum ſuperaddit aliquid determinatum tum poſſibili, tum contingenti. At ſi ſit determinatum, manet quæſtio unde eſt illa determinatio? non aliunde quam vel à fortuna, vel à conſtellatione, quod non eſt dicendum, vel à Dei voluntate; quod neceſſario eſt admittendum. 6. Semper Ieſuita petit principium: nam unde eſt quod talis habitudo ſit objectiva præſentia intuitui divino & ſcientiæ ſubjecta. Hæc enim præſentia vel eſt ab ipſo effectu contingente, quod eſt abſurdum, vel à Dei voluntate in qua Deus habitudinem hanc præſentem videt; vel in alia aliqua cauſa, quam dare non poſſunt.

13. *Object.* 6. Si Deus non niſi in decreto prædeterminante cognoſcit futura contingentia, tum non cognoſcit futura contingentia

ut con-

ut contingentia: in eo enim decreto ſunt neceſſaria, non contingentia. Ita *Suarez. ib. ſ. 5.* *Nec aliter cognoſcere poteſt hæc, quam cognoſcit poſſibilia* (inquiunt *Remonſtrantes*) *vid. ſcientia indeterminata ſeu ſimplicis intelligentiæ, ſub ratione poſſibilis exiſtentiæ.* Reſp. ſcilicet grave incommodum; quod nos haud gravate concedimus. Vide quid hic princeps Scholaſticorum *Thomas Aquinas* pro nobis loquatur: *Contingens ut nondum determinatum ad unum non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni.* Vult contingens qua contingens non poſſe determinatè cognoſci ut futurum, imo contingens, uti antecedit decretum, vel ut mente conſideratur contradiſtinctum à decreto tantum eſt poſſibile, & Deus cognoſcit exactiſſimè contingentia, & eorum naturam hanc eſſe, quod poſſunt eſſe vel non eſſe nempe ſcientia naturali, & ſub eſſe poſſibili: at vero futurum aliquid ſuperaddit contingenti. Nam contingens aliud eſt poſſibile, aliud futurum; & Deum cognoſcere contingentia futura qua futura, niſi in decreto ſuo putamus eſſe impoſſibile, neque deſinunt eſſe contingentia, quando per decretum incipiunt eſſe futura, non magis quã neceſſaria deſinunt eſſe neceſſaria, quia libre à Deo ſunt volita, & in relatione ad Dei voluntatem neceſſaria ſunt contingentia, quia poſſunt non eſſe, ſiquidẽ Deo ita viſum; ita contingentia in relatione ad Dei decretũ determinans ſunt neceſſaria ſecundum quid, nec deſinunt eſſe contingentia. 2. Nihil prius eſt nobis in votis, quam ut hi doctores

Remonſtr. in Apol. c. 2. ſ. 43.

Aquin. 1. q. 14. art. 13.

nobis oſtendant contingentia, qua contingentia & nullam omnino neceſſitatem habentia, ſint fundamentù ſcientiæ infallibilis: clamant nobis hic Deum videre veritatem non neceſſitatem, ſed, Deus bone, quam exoptamus ut id omni quo poſſunt apparatu Rhetorico, nobis demonſtrent; Sed audimus meras affirmationes.

12. Quamvis autem *Petrus Fonſeca*, Jeſuita accuratioris philoſophiæ nomine cum primis nobilis, hanc ſcientiam mediam pro aris tanquam & focis propugnet, & ſe parentem ipſius glorietur, qui hoc viva voce docuit an. 1569. (licet *Lod. Molina* ſcriptis illud miſerrimum mandarit anno 1588.) tamen argumentis non contemnendis contendit contingentia, quæ re vera aliquando futura ſunt, ſi in ſtatu quidem abſoluto ſumantur, non cognoſci niſi in actu approbativo, aut permiſſio divinæ voluntatis; quod myſterium Jeſuiticum mihi admiratione omni majus apparet. Nam vult enunciationes de futuris contingentibus ante omnem divinæ voluntatis actum eſſe determinatè veras aut falſas: attamen quia libera Dei voluntas eſt prima radix & cauſa omnis contingentiæ & libertatis, vult contingentia abſolutè futura non cognoſci, niſi in Dei voluntatte approbante vel promittente: quare hoc Jeſuita? *Quia enim* (inquis) *res eſt, aut non eſt, oratio eſt vera vel falſa. Vt igitur Deus certo ſciat, quid ſit eventurum contingenter, neceſſe eſt ut intelligat actum voluntatis ſuæ, ex cujus concurſu illud pendebit.* Reſp. Tum dico vanam eſſe tuam ſcientiam

tiam mediam, qua cognoſcit Deus antecedenter ad ſuam voluntatem futura contingentia, quia ad certitudinem ſcientiæ neceſſe eſt prius intelligat actum voluntatis ſuæ: hæc Jeſuita ſic emollire vult. *Quapropter* (inquit) *diligenter notandum eſt, non eſſe negandum futura contingentia certo præſciri à Deo in priori ſigno rationis, quam ſit illud, in quo voluntas divina ſe determinet ad hæc vel illa efficienda. Hoc enim non dicimus; ſed hoc aſſerimus, non prius Deum conſiderari, ut ſcientem futura contingentia, quatenus futura ſunt, quam conſideretur ſcire ſuam voluntatem de iis approbandis, libere ſe determinaturam ad alteram oppoſitionis partem: quæ voluntas, ſi in poſteriore conſiderationis ſigno in quo ſe determinat, non eſſet libere determinanda, neque in priore illo, talia contingentia à divino intellectu certo ſcirentur futura.* Hinc certum eſt Jeſuitam concedere nobis quod poſtulamus, ac proinde ſcientia media cognoſcere Deum futura contingentia tantum ut poſſibilia antecedenter ad ſuam determinationem liberam, non vero ut futura: atqui hæc ſcientia eſt ſimplicis intelligentiæ, quam nos non gravatè concedimus, non vero ſcientia media. 2.Quoniam Ieſuita expreſſe ait ibid. *ab actibus liberis divinæ voluntatis pendere futura contingentia & eorum certam cognitionem*: patet funditus ſic everti ſcientiam mediam quam ille vult infallibilem eſſe antecedenter ad actus divinæ voluntatis, à quibus pendet futuritio actuum liberorum, quod & ipſe *Vaſquez*. concedit: *Creatura* (inquit) *nondum futura eſt,* donec

1. *Diſt.* 63. *ad ſig.* 22. *c.* 4.

Durand. lib. 1. d. 39. q. 1. . 10. p. 241. *donec decretum voluntatis* (*Dei*) *eſſe intelligatur, ex quo ut ex cauſa futura eſt.* Idem ait *Durand.* 3. Mihi videtur omnino ἀκατάληπτον quomodo res non eſt futura niſi per divinam voluntatem, tanquam cauſã futuritionis, & tamen libere fiat ex principiis Jeſuitæ, item quomodo res eſt futura prius liberè, quam à Deo prædefiniatur, quando prædefinitio ſit cauſa rei liberè futuræ. 4. Admirabile eſt myſteriũ ejuſdem Jeſuitæ negantis futura contingentia certo cognoſci à Deo, niſi in actu approbativo ſuæ voluntatis, non quidem elicito in illo rationis ſigno, quo contingẽtia ſunt futura, ſed eliciendo in alio ſigno rationis ſubſequuturo futuritionem ipſorum. Nam in illo ſigno, in quo contingentia ſunt futura, actus liber Dei de eorum futuritione eſt nondum elicitus, ſed eliciendus; ſed vel eſt eliciendus à Deo neceſſariò, & ſic non eſt actus liber, vel libere: ſi libere, poteſt non elici talis actus, ex ipſorum principiis, & ſic datur futuritio rei contingentis ſine omni actu divinæ voluntatis, quod eſt impoſſibile. Item fatetur *Fonſeca ibid. arg.* 2. Liberam Dei voluntatem eſſe primam radicem & cauſam omnis contingentiæ, & effectus contingentes pendere ab actu libero Dei. Atqui ſi futuritio contingentium eſt antequam eliciatur actus liber Dei, actus liber non eſt cauſa illius futuritionis, & contingentia aliqua particularis eſt prior ſua radice & cauſa. 3. Ait etiam *ibid.* Ieſuita: *Si omnis certitudo actuum futurorum contingentium pendeat ex ſolis decretis divinis, quî fieri poteſt, ut ea decreta non neceſſitent*

volun-

voluntates ad omnes actus ſuos? Sed quæro, an ſit certitudo actuum liberorum futurorum antecedenter ad decreta Dei? ſi ſit, tum etiam eſt neceſſitas fundamentalis & entitativa in iis antecedenter ad Dei decreta: Erg. Deus non habet in ſua poteſtate aliter decernere actus liberos, quam ſunt antecedenter ad Dei decreta. Eligat jam Ieſuita utrum Deum, an homines, velit neceſſitari ad actus liberos. 2. Videtur ſequi hinc duas eſſe neceſſitates actuum liberorum, unam antecedenter, aliam conſequenter ad Dei decreta: at quid opus eſt Deus præſciat in actu approbativo & permiſſivo futuros actus liberos, ſi jam ſunt illi actus Deo certiſſimi ante omnes Dei voluntatis approbativos & permiſſivos actus? Sed nos *Arrianis* primis hujus ſcientiæ authoribus, ut obſervat Did. *Alvarez*, & novatoribus hiſce relinquamus hoc myſterium pudendum.

EXERCITATIO II.

De notionibus divinæ voluntatis.

CAP. I.

De voluntate ſigni & beneplaciti.

AGnoſcunt unanimiter Scholaſtici hanc diſtinctionem: circa objectum ipſius non nihil diſcrepant. *D. Bannes* ait, probabile eſſe quod ſit in Deo formaliter actus volendi bonum, qui non compleatur. *Alexander Halenſ.* *Cajetanus*, *Driedo*, & alii agnoſcunt non eſſe Dei

Bannes tom. 1. q. 19. art. 6.
Alexan. 1. p. q. 36. m2.
Cajet. in. 1. Tim. 2.
Dried de conc. rd 1. q. p. 4.

Dei beneplacitum ut omnes obediant & ſalventur. Ita *Gul. Eſtius*, *Alvarez* & Dominicanæ familiæ ſcholaſtici cum primis nobiles. At vero *Vaſquez*, *Suarez*, *Arminius* ejuſque aſſeclæ, *Corvinus*, *Schaafman*, volunt Deum decernere voluntate beneplaciti ut omnes vocati obediant & ſalventur.

Armin. diſp. 4. theſ. 56. Corvin. contra Molin. c. 4. ſ. 10. Schaafman de prædeſt. l. 1. c. 5.

2. Voluntas ſigni, ſeu illa, quæ alio nomine eſt revelata & approbans ſeu præcipiens, conſideratur bifariam. 1. Ut objectum ipſius eſt à Deo decretum ab æterno ut actu exiſteret: nam uti Deus voluntate ſigni imperat electis ut ſibi faciant cor novum, ita hoc in iis operari ab æterno decrevit, & in tempore promittit *Ezechiel.* 36. verſ. 26, 27. ſic voluntas revelata quoad objectum cum voluntate occulta ſeu decernente, ſeu efficiente coincidit, neque de eo hic proprie diſputatio admodum eſt intricata. 2. Contradiſtinguitur hæc voluntas ſigni à voluntate beneplaciti, hoc modo: Deus revelat creaturæ rem bonam & ſanctam, quæ ipſam ad obedientiam obliget, ſive obedientia illa actu exiſtat, ſive non. Nam hoc diligenter notandum, actualem obedientiam vel non obedientiam, ut à Deo volitam vel nolitam, eſſe accidentale plane quid voluntati ſigni: ſive enim actu fiat, ſive non, quod Deus in verbo revelat, ſalvatur eſſentia voluntatis ſigni, ideoque res revelata qua volita, hoc eſt, approbata eſt objectum voluntatis ſigni; & eadem res quatenus exiſtit actu vel non exiſtit

ſtit in natura, eſt objectum voluntatis beneplaciti. 3. Hinc eſt quod *Aquinas*, *Valentia*, *Durandus* & *Suarez* velint voluntatem Dei hic diviſam, improprie eſſe voluntatem, & diviſionem eſſe homonymi in homonymata, eo quod voluntas ſigni ſit improprie voluntas. Ita *Durand.* ad *ſ.* 13. *Præceptum enim* (inquit) *non eſt directe & ſemper ſignum quod præcipiens velit rem præceptam fieri, ſed ſolum quod velit ſubditum obligare.* Et *Aquinas* vult eſſe voluntatis ſignum improprie, ſicut punitio eſt iræ ſignum; quando ira formaliter in Deo nulla eſt: ſed quia nos iraſcimur quando punimus, ideo punitio eſt ſignum iræ, ideoque Deus (dicerent illi) in voluntate ſua revelata potius habeat ſe ad modum volentis, quam velit: & ingeniorum flos ille illibatus *Gul. Twiſſius* vult Dei voluntatem non tranſire in rem præceptam, ſed potius in ſuam præceptionem, quod certe eſt veriſſimum hoc ſenſu, reſpectu boni voliti ad extra. Nam ex voluntate ſigni, non eſt proprie, quod res volita exiſtat vel non exiſtat, Deus enim multa ſic vult, ut obedientiam reproborum, quæ actu exiſtere non vult; hoc tamen non eſt præterendum, quod voluntas ſigni reſpectu ſui objecti eſt propriiſſime voluntas. Nam quod Deus præcipit, vult & approbat ut rem bonam & ſanctam; quod vetat, improbat ut malum: & ab æterno decrevit ut illa res ſit bona etiam voluntate beneplaciti & decernente, ideoque objectum omne voluntatis ſigni, eſt volitum voluntate bene-

Aquin. in 1. 1. q. 9. a. 1. 11. Valent tom 1. diſp. 1. q 19. punc. 2. Duran. l. 1. diſt. 48. q 3. Suar, tom. 1. de Dei attribut l. 3, c, 8.

placiti, at non continuò objectum omnis voluntatis beneplaciti eſt à Deo decretum & volitum voluntate ſigni, ſed id tantum quod verbo revelatur, ut juſtum aut injuſtum; & hoc ſenſu voluntas ſigni & in præceptionem & prohibitionem, & in rem præceptam & prohibibitam terminatur & tranſit.

4. Quæres igitur, quid voluntas ſigni nobis exprimat? Reſp. exprimere. 1. Hanc eſſe verbi naturam, ut fidem & bona opera inſtanter urgeat & perſuadeat. 2. Revelare legem & euangelium, nempe ſapiens & ſanctiſſimum Dei decretum & beneplacitum de præmiandis obedientibus, & plectendis immorigeris, *Micha.* 6. 8. *Indicavit tibi o homo quid ſit bonum.* *Rom.* 12. 2, 3. Revelat nobis omnium officium eſſe & obligationem ut obediant. *Obad.* 13. *Non debebas aſpexiſſe in diem fratris tui.* 4. Exprimat denique nobis, Deum ſimpliciter approbare actuque complacentiæ velle obedientiam hominum, ſive actu obediunt, ſive non. 1. *Sam.* 15. 20, 21, 22. At vero quod ad actualem obedientiam, voluntas ſigni formaliter ipſam non vult, hoc eſt, non hac voluntate intenditur, & ſic hæc Deum virtualiter & eminenter velle, quæ jubet, obſervavit gravis & eruditus Vir *Doct. Gulielmus Ameſius.*

Reſp. ad artic. 1. Bnod. ſcript. Remonſtran.

5. Hinc multis nominibus differunt voluntas ſigni & beneplaciti. 1. Differunt ipſis actibus. Nam voluntas beneplaciti eſt Dei decretum & æterna determinatio de re fienda vel

non

non: voluntas ſigni eſt actus divinæ complacentiæ de re non facienda, ſed ſimplex amatio rei, ſive fiat ſive non. 2. Differunt objectis. Objectum voluntatis approbantis eſt bonum qua bonum: quatenus vetat, eſt malum morale, hoc eſt, bonum aut malum, quatenus legi vel euangelio convenit, vel non, ſed tale bonum morale, quod de ſe abſtrahit ab actuali exiſtentia rei mandatæ vel vetitæ. At objectum decreti eſt non bonum morale qua tale, ſed bonum, vel id quod habet rationem expedientiæ & conducibilitatis in relatione ad ſapientiſſimam Dei libertatem, & quidem non abſtrahens ab exiſtentia, ſed quatenus indeclinabiliter eſt actu extiturum per decretum Dei vel non. Hinc Deus quædam approbat, ut obedientiam *Iudæ* & *Pharaonis*, quæ tamen quoad realem exiſtentiam, nunquam fieri decrevit, & quædam ſub ratione conducibilis boni, licet non ſub ratione honeſti, decrevit, ut venditionem *Ioſephi*, occiſionem Salvatoris à truculentis & feris ſicariis, quæ nullo modo approbat ullo complacentiæ actu. Hinc 3. objectum voluntatis approbantis eſt multo arctius & anguſtius objecto decreti. Nam objectum voluntatis approbantis eſt bonum & malum morale, quatenus præceptione & inhibitione legali nos obliget: at objectum decreti eſt hoc, & inſuper id quod Deus non ex officio aut debito, ſed ex ſapientiſſima libertate tanquam univerſalis & ſupremus omnium Domi-

nus & rerum moderator fieri ſtatuit & decernit, & non tantum quæ decernit tanquam legiſlator. Hoc itaque obſervandum eſt, Dei decreta non coarctari aut limitari quoad æquitatem ipſorum à voluntate approbante: ſed contra, voluntas approbans limitatur & determinatur à libero Dei decreto: ideoque non ex officio tenetur Deus, aut ulla lege aſtringitur aut regulatur aliunde quam à ſolo ſuo beneplacito in decretis ſuis liberis faciendis: neque hæc res eſt Deo bona, & objectum congruum decreti, quia eſt approbanti voluntati conſentanea & juſta, quaſi Deus injuſta faceret, ſi contrarium decerneret. Sic enim non poſſet decernere jure, niſi quæ lege aut euangelio jubentur, & ex neceſſitate juſtitiæ terneretur, lege aut euangelio prohibita non decernere: id quod eſt aperte falſum. Dicant enim mihi adverſarii, num lege aut euangelio ſcriptum ſit, ut Deus vel permitteret peccatum, vel non permitteret ullo debito aut ex æquo? ubi ſcripturarum jubetur Deus uni facere gratiæ efficacis copiam, alteri denegare eandem, hunc eligere, illum reprobare, huic genti euangelii lucem indulgere, & etiam genti meliori eandem negare, etiam ex confeſſione *Arminianorum*? Ita docent poſt ipſum *Arminium*, Remonſtr. in ſcriptis ſynodi Dordrac. ita *Corvinus*. Ac proinde Deus quamvis contrarium voluntati nequeat decernere (ſic enim ſibi ipſi contradiceret) attamen non ab ea regulatur in decretis: at vero voluntas approbans

Remonſtr. in ſcript. ſynod. art. 3. &. 4, p. 9. Corvin cont. Bogerm. par. 2. c. 7. p. 157.

probans

probans regulatur à decreto libero: ideo enim hoc lege & euangelio approbat, illud improbat, quia ita ſapienti ſua libertate voluit. Et quis ignorat Deum poſſe vetare multa, quæ imperat, & imperare quæ vetuit? Næ illi itaque ſomniant qui decretū prædeſtinationis proprie juſtum appellent: eſt proprie liberum. At juſtitia illa Dei, ſcripturis nobis revelata, eſt poſterior naturâ decreto prædeſtinationis in ſigno rationis: ideo enim eligit aut reprobat, non proprie quia eſt æquum & juſtum, quaſi ex juſtitia ut à principio formali hi actus fluerent. Sic e. injuſtum eſſet, ſi alii vel plures, vel pauciores electi aut reprobati forent, quam qui electi aut reprobati jam ſunt, ſed quia ita ſapienti ſua libertate & dominio decrevit. 4. Hinc ex voluntate approbante, ſequitur hanc rem eſſe juſtam aut injuſtam, ſed non hoc actu exiturum vel non, qua tali: ex decreto vero non ſequitur legalitas aut æquitas aut iniquitas rei, ſed tantū exiſtentia ipſius neceſſaria tandē aliquando præſcripto à Deo tempore. Nam voluntas ſigni reſpicit ποῖον τι nempe qualitatem & naturam facti, quod reprobi ex officio præſtare tenentur, ſicut & electi, præciſa conſideratione efficientiæ aut actualis exiſtentiæ rei mandatæ aut prohibitæ: at vero decretum reſpicit, non ποῖον ſed τὸ ὅτι nempe quod res ſit tandem indeclinabiliter futura & extitura actu, ſive ſit æqua aut iniqua. 5. Voluntas approbans non revelat nobis intentionem aut decretum Dei: hæc enim & ſimilia, (*Cain*, *Saule*, *Pharaoh*, *Iuda*, obedite, & cre-

& credite,) non habent hoc pro re ſignificatâ aut volitâ à Deo, mea hæc eſt intentio, & decretum eſt apud me ab æterno, ut vos obediretis. Si enim hoc Deus verbis exprimeret, procul dubio qui ponunt in Deo voluntatem ſigni & beneplaciti hoc ſenſu faterentur neceſſe eſſet, eſſe in Deo contradictorias voluntates circa unum & idem objectum uniforme. Id nobis *Arminiani* vel ex ignorantiâ vel ſolâ libidine calumniandi falſiſſime imputant: ſed tantum dicit Deus hoc præcepto *Cajino*, *Saulo* & *Pharaoni* propoſito; ego indico, & præcepto vobis revelo, mihi gratam & acceptam eſſe obedientiam, ad quam præſtandam vos ex lege & debito obligati eſtis creatori veſtro, ſiquidem ei accepti eſſe velitis, ſive actu obediatis, ſive non: jam illi non obediunt: nulla hic vel umbra contradictionis. Non enim dicit Deus, volo ut obediatis, & interim apud me decerno & volo ut non obediatis, ſed tantum voluntas mea veſtram obedientiam approbat, & amat actu ſimplicis complacentiæ, quo bonum amo, malum averſor, & volo etiam & decerno, ut nunquam actu obediatis. Quid enim impedit, quo minus Deus multa approbet, ut entia juxta omnipotentiam poſſibilia, ut plures mundos, & plures angelos bonos, & obedientiam angelorum bonorum, qui nunquam ſunt creandi, etſi illa non fore decernat aut intendat? Dicet aliquis, euangelium ſæpe, ut & legem revelare ipſam Dei intentionem & decretum, quod ipſe exequitur, ut quando promit-

promittit ſe effecturum cor novum in electis, ſe reprobos induraturum, & immorigeros æterno exitio devoturum. Reſp. Neque hoc poteſt negari, voluntatem ſigni interdum revelare Dei decretum: tum enim ipſum decretum tranſit per illam revelationem in voluntatem ſigni, ut patet in allatis exemplis, ſed inſtituta eſt præſens hæc διατριβὴ præcipue de voluntate ſigni, qua Deus revelat creaturis, quid ipſæ teneantur facere, ſive faciant ſive non, & prout contradiſtinguitur à voluntate beneplaciti, qua Deus quod ipſe facturus eſt, vel per ſeipſum immediate, vel interventu creaturarum, libere decernit: & dico voluntatem ſigni in hac reſtrictione nullo modo revelare Dei intentionem, quod nimirum ipſe intendit efficere, quod præcepto revelat, vel avertere aut impedire, quod prohibet. 6. Quod Deus decernit illud libere decernit & vult, & poteſt non velle: at vero voluntas approbans neceſſariò bonum amat, nempe neceſſitate hypotheticâ, quoniam hæc voluntas præſupponit liberum & ſapiens Dei decretum, quo ſtatuit hoc eſſe bonum; & tum Deus id non poteſt non velle, hoc eſt, amare & approbare actu ſimplicis complacentiæ, quamvis forte decreverit ut nunquam fieret. Inde eſt quod Deus approbet bonum ſecundum eſſentiam, etiam ut non exiſtit, uti aprobat obedientiam omnium, tum electorum tum reproborum. At quæri poteſt cauſa, quare Deus poſſit approbare bonum, quod nunquam actu exiſtit: at vero

vero non poteſt decernere illud. Reſp. Poteſt decernere quicquid approbat, ſed non vult, quia libere decernit, quicquid decernit: at vero non approbare non poteſt bonum ex hypotheſi. quod jam boni eſſentiam habeat per liberum decretum. Et ratio eſt duplex. 1. Quia bonum eſt affectio entis quod comitatur ens non tantum prout actu exiſtit, ſed etiam ſecundum eſſentiam ei convenit. Hinc eſt quod bonum quoad eſſentiam poteſt movere appetitum creaturarum, & terminare appetitum Dei, etſi actu nunquam exiſtat. 2. Quod Deus decreto libero bonum eſſe voluit, nempe ut homines colant Deum, ſeniores revereantur, Deus non poteſt non amare & approbare in omnibus, etſi omnes hoc actu non faciant, quia quod Deus voluit in decreto, non poſt non velle, Hiſce adde, quod approbatio eſt ſimplex complacentia voluntatis, quo conſentit bonò quod ſit bonum, ideoque non approbari non poteſt à Deo bonum ſecundum eſſentiam: at vero decretio rei eſt Dei libera volitio, ut actu ſit, in aliqua differentia temporis. Hinc patet Deum poſſe voluntate conſentire rei ut bonæ, & tamen velle poteſt ut nunquam actu exiſtat, alioqui neceſſe foret ut ut Deus decerneret, adeoque ut efficeret ut omnia bona poſſibilia actu exiſterent, nempe millies milleni mundi, angeli, homines, actus obedientiæ creaturarum intelligenrium quæ Deo ſunt poſſibilia, quod abſurdum eſt. 7. Voluntas ſigni verbo revelatur, & eam fide appre-

apprehendere tenemur: Deus enim legi & teſtimonio nos aſtringit *Eſai.* 8. At decreta Dei, prout ab hac voluntate contradiſtinguuntur, eventu patefiunt, non propriè verbo, niſi quatenus decretum tranſit in voluntatem ſigni, ideoque quando Deus juſſit *Abrahamum* immolare filium, non tenebatur *Abrahamus* credere immolationem *Iſaaci*, eſſe decretam & intentam à Deo, ſed ſui eſſe officii ut immolaret *Iſaacum*. Si Deus expreſſe dicit ſe hoc facturum, tum quidem credendum eſt ipſum decretum, ſed eventu decreta proprie revelantur, ſi ego credo, tum conſtat Deum fidem meam decreviſſe: ſi nunquam credat aliquis, conſtat Deum nunquam decreviſſe, ut iſte crederet. Hinc patet, *Arminianos* arenoſas nobis nectere conſequentias, nempe Deus jubet omnes in viſibili eccleſia credere: Ergo decrevit conditionate, vel voluntate antecedenter ut omnes crederent. Negamus ſequelam, nam quod Deus vult fieri, id non poteſt non fieri, neque eſt ſcripta talis intentio de me aut te nominatim, ſed eventu patefit decretum. Iubent itaque hi boni viri homines credere falſum, quod nobis invidioſe aſcribunt: hæc noſtra eſt ſuper hac diſtinctione ſententia.

6. Hinc hanc theſin probo.

Deus multa verbo præcipit, quæ fieri non voluit, hoc eſt, nunquam decrevit aut intendit, ut actu exiſterent.

Adverſariorum cauſâ liceat mihi incipere, ab ipſo-

Vorſt. collat. cum Piſcat. p. 36.

ipſorum confeſſione. *Ita Vorſtius: Etſi igitur Deus non tam ſubito populum ſuum* (*à Pharaone*) *dimitti fortaſſe voluit, poſtquam ipſius malitiam omnino punire ac traducere decreviſſet, vere tamen præſtari ab eo tandem voluit quod ſæpius illi præceperat.* *Ita Corvinus: Voluit Deus inobedientiam (Pharaonis) extare continuam ac diuturnam, ut tanto juſtior eſſet punitio.* Hinc ſequitur Deum præcepiſſe *Pharaoni*, quæ fieri noluit: *Corvinus* mollire ſatagens *Vorſtij* verba, ait *Vorſtij* velle idem hic eſſe ac permittere, itane vero? Reclamant ipſius verba. 1. Utitur voce dubitativâ (*fortaſſe*) ut ipſe *Corvinus* notat: creditne quæſo *Vorſtius* Deum fortaſſe permittere, *Pharaonem* non dimittere populum? Atqui non fortaſſe, ſed procul dubio permiſit, ex *Vorſtio*: corrumpit ergo mentem & verba *Vorſtij*. 2. Ait *Vorſtius* (vere tamen præſtari ab eo tandem voluit, quod ſæpius illi præceperat) quæro ex *Vorſtio*, an non ſecundum ipſius doctrinam, non tantum tandem, ſed ſemper etiam quando Deus præcepit *Pharaoni* dimiſſionem, voluit vere dimiſſionem, an tantum vere voluit tandem, hoc eſt poſt inflictam decimam plagam: quicquid dixerit, capietur: ſi non vere voluit poſt primam, poſt ſecundam, poſt tertiam plagam, ergo præcepit aliquid quod non verè voluit: at hoc eſt ponere in Deo, ipſis fatentibus, voluntates contradictorias & hypocriſin, & certè illud (vere voluit) idem eſt ac ſi dixiſſet, antea non verè voluit ſed ſimulate. Si vero vere voluit ab initio & ſemper dimiſſionem,

Corvin. cont. Molina. c. 4. ſ. 4. p. 51.

ſionem, quorſum ſunt illa verba (*vere voluit tandem*:) & falſo (fortaſſe non tam ſubitò dimitti voluit) dixit? Deinde *Corvinus* concedit & certe conſentanee admodum & convenienter *Arminij Palato*: *Poſtquam Pharaoh inobediens eſſe cæpit, Deum voluiſſe inobedientiam ejus extare diuturnam ac continuam.* Aſſumo ego, atqui poſtquam *Pharaoh* cæpit eſſe inobediens, Deus dixit *Pharaoni* multoties, *dimitte populum meum*, uti teſtatur ſacra hiſtoria: ergo Deus *Pharaonem* ſaltem inobedientem hypocriticè & malo dolo allocutus eſt. Major eſt *Corvini* & *Vorſtij* & *Arminij*. Aſſumtio eſt ſacræ ſcripturæ: concluſio igitur ſua vi valebit. Hæc eſt hypocriſis (ait *Corvinus*) *ſi Deus* præcepto *ſignificet, velle ſe ut homo aliquid agat* (*ut* Pharaoh jam inobediens & contumax dimitteret populum, ut ait *Corvinus*) *intus vero, & apud ſe, nollet, ut id ipſum agat.* Addo ego, ut Deus intus & apud ſe *velit inobedientis Pharaonis inobedientiam extare continuam, ut tantò juſtior eſſet punitio.* Jam arrigite aures veſtras *Arminani*, ita *Iehova Pharaonem* affatur: quamvis intus & apud me voluerim & decreverim, ut poſt ſecundam, & tertiam plagam populum meum dimitteres, idque præcepto (dimitte, inobediens Pharaoh, populum meum) ſignificaverim, tamen revera apud me volo & decerno ut diuturna & continua extet tua inobedientia, ut tantò juſtius puniaris. Et hoc eſt revera Deum habere erga præfractos & propter malitiam voluntariam incorrigibiles, ut citato loco

Armin. Antiperk. p. 66.

Corv. ibid. p. 52.

habet *Arminius*, contradictorias & contrarias circa unum & idem objectum voluntates. Quid hic *Corvinus*? poſtquã *Pharaoh* eſt (inquit) inobediens poteſt urgere præceptum in finem contrarium priori fini primitus intento, nempe ut juſtius puniatur tyrannus, at valebit hoc per nos. Huc ergo tendunt: poteſt Deus aliud loqui, aliud velle & hypocritice & malo dolo agere cum *Pharone* jam inobediente; non poteſt ſic agere cum obediente: quid? quia homo peccat, Deus jure poteſt veteratorem agere & peccare, eo fine ut juſtius puniantur præfracti? Itane? an peccatum hominis laxat habenas *Iehovæ*, ut poſſit peccare? ô theologiam prodigioſam! neque finis bonus malum factum, cujuſmodi eſt hypocriſis, excuſare poteſt, ut vult *Iacob. Arminius*. Hic neceſſe eſt ad nos accedant, vel in æternum hærebunt, vel hæ erunt theſes Arminianæ.

1. *Duæ contrariæ voluntates ſint in Deo.*
2. *Deus hypocriticè & malo dolo agit cum præfractis.*
3. *Præfracti tenentur credere falſa & contradicentia Deum loqui.*

7. Sed ago ſcripturis Exod. 7. v. 2. Deus *alloquitur Pharaonem ut dimittat filios Iſraelis è terra ſua.* 3. *Ego vero obdurabo cor Pharaonis, ut multiplicem ſigna mea & prodigia in terra Ægyptica.* 10. 1, 2. *ad Pharaonem. Nam ego aggravavi cor ejus &c. ut enarres filio tuo, quæ præclare geſſero in Ægyptios.* Hinc arguo: ſi Deus dicit *Pharaoni* (*dimitte populum meum*) ut patefiat gloria ju-

ria juſtitiæ, & longanimitatis, & potentiæ, & eo fine aggravet cor *Pharaonis*, ut poſteris innoteſcat talis gloria, tum non ea intentione aut voluntate præcipit ut *Pharaoh* obediat & ſalvetur, neque revera vult, ut obediat & ſalvetur; ſed prius expreſſe habetur in textu *Exod.* 9. 13, 14, 15. *Rom.* 9. 17. vide etiam *Ezech.* 28. 22. & c. 27. 17. Ergo verum conſequens. Prob. major. Quoniam de fine *Arminiano* nempe ut *Pharaoh* obediat & ſalvetur nuſquam ſcriptura vel ſyllabam vel jota unum habet: at vero finis hic aſſignatus, nempe ut Deus edat ſigna, ut declaretur nomen & potentia Dei, ut patefiat ira, expreſſè habetur; at vero non non poteſt Deus & intendere ut obediat, & non patefiat gloria juſtitiæ, & ut non obediat & patefiat gloria miſericordiæ. Nam ſic eſſent in Deo contrariæ volitiones, neque dici poteſt Deum vel intendere gloriam miſericordiæ, vel ſin minus, gloriam juſtitiæ, quia ſic Deus non aliter quam terrenus judex penderet intentione ancipite & pendulâ inter contrarios fines, & id intenderet, quod præſcit nunquam futurum fore, quod eſt abſurdum. Item Deus alloquens *Pharaonem* vel conſiderat eum ut obedientem, vel non obedientem: non ut obedientem, quia ſic ex placitis *Arminianis* non poteſt aggravare cor *Pharaonis* morigeri, neque eam aggravationem intendere. Id enim volunt illi alienum eſſe à Dei juſtitia: at vero poſt quintam aut ſextam plagam inflictam, non poteſt *Pharaoh* conſiderari ut obe-

 diens,

diens ſed ut jam meritus aggravationem, in quo ſtatu Deus ei præcipiens, ut dimitteret populum, revera nec voluit nec intendit populi dimiſſionem, ſed additionem plurium ſignorum, ut patefieret Dei nomen poſteris, id quod *Arminiani* non diffitentur. Quid ad hæc *Iackſonus*; videat quæſo *Lector*? Ait ille exemplum *Pharaonis* eſſe extraordinarium, & proponi eo fine ut caveamus à deſperatis cum Deo colluctandi principiis. Et *ibid.* ait, *poſt ſeptimam plagam inflictam, non fuiſſe Dei voluntatem, ut populum dimitteret, & tamen* (inquit) *poſtquam ipſius cor ita obduratum eſſet, ut reſipiſcere non poſſet, Deus ita punivit illum, ac ſi liberum & poſſibile ei foret reſipiſcere, & amicum populo ſuo egreſſum indulgere.* Sed huc redit rudis ille novator: nempe Deus non ordinariè, bene tamen caſu quodam extraordinario poteſt malo dolo & æqui vocatione Jeſuitica cum hominibus uti. Nam Deus poſt 7. plagam *Exod.* 9. 13. juſſit *Pharaonem* dimittere populum ſuum, & recuſanti plagam octavam inflixit. Ita ergo Deus *Pharaonem* alloquitur poſt ſeptimam plagam: jubeo dimittas populum meum; id enim ego volo & decerno, ſed quando jam rebellis evaſeris, jubeo dimittas; volo tamen & decerno ut non dimittas. Eſtne hoc contradicentia Deum loqui? Bene eſt, extraordinariè tantum hoc facit. 2. Sæpius *Arminiani* nos incuſant, quod faciamus Deum ultorem peccatorum neceſſitate commiſſorum: habemus hic reum confitentem, Deum punire Pharaonem poſt ſepti-

Iackſon. de divin. eſſent, c. 15 ſ. 2. p. 179.

ſeptimam plagam, quando jam non poſſet reſipiſcere, & hic etiam Deus erit injuſtus, ſuccenſet rei quam eſſe vult & decernit, id quod hic bonus vir p. 170. ait non cadere in habitatores gehennæ: ſed ſalva res eſt per diſtinctiunculam, Deus ordinariè eſt juſtus: extraordinariè tamen injuſtus, & facit *Pharaoni*, quod nemo ex habitatoribus gehēnæ jure facere poſſet. 3. Neque ita extraordinarium eſt Pharaonis exemplum, quia *Rom.* 9. 17. eſt exemplar omnium qui ſeſe indurant, & à Deo indurantur.

8. *Deut.* 2. 27. Loquitur Deus *Sihoni* per populum ſuum, & orat populo ſuo amicum tranſitum. Quæro, an Deus intendat, ut *Sihon* obediat, & terram ſuam ſibi ipſi ſervet? Nihil minus. v. 30. Noluit tranſitum permittere. Quare? Quia obduravit *Iehova* ſpiritum ejus, nempe ut traderet terram populo, quam *Abrahamo ejuſque ſemini juramento ſe daturum* aſtrinxerat. Non dicent in Deo hic contrarios fines fuiſſe, nempe Deum alloquentem *Sihonem* perblandis verbis intendiſſe & ut *Sihon* obediret, & terram promiſſionis ſibi ſervaret, & ut non obediret, & terram illam daret *Abrahami* poſteris. Sic *Ioh.* 11. 19. nulla civitas pacem fecit cum *Iſraelitis* præter *Chivæos*. At quare hoc? Deus enim pacem ipſis obtulit, ſed an eo animo & voluntate ut oblatā amplecterentur, ut ſomniant *Arminiani*? Nihil minus. A Jehova enim fuit quod obfirmarent cor ſuum, ut populo reſiſterent, ut Deus internecioni devoveret illas propter abo-

minationes, quibus terram polluiſſent. 2. *Samuel.* 12. 11. Comminatur Deus pollutionem tori Davidici, per inceſtum *Abſolomi*, idque coram ſole, an non eam pollutionem ut pœnam Davidis intendat? Si non intendit *Davidi* in illa comminatione, aliud loquitur, aliud intendit, quod eſt hypocritam agere. Et interim conſcientiæ Abſolomi dicit in lege, *non pollues torum patris tui*: ſi hoc loquitur *Abſolomo* eâ voluntate & intentione, ut *Abſolomus* obediat, & nòn polluat torum patris ſui, tum Davidi dixerat in comminatione, id quod non intendebat, quod adhuc eſt abſurdum. Ac proinde illâ interdictione (*Non pollues torum patris tui,*) propoſitâ conſcientiæ Abſolomi: non voluit neque intendit, ut *Abſolomus* obediret. Hic itaque *Arminiani* hæreant, neceſſe eſt.

9. Deus juſſit *Abrahamum* immolare filium, ſed nec voluit nec intendit *Iſaaci* immolationem, ſed decrevit ut viveret & filius promiſſionis foret. Ergo Deus non ſemper vult, quod præcipit. *Arminiani* dicunt fuiſſe tentationem, ſeu mandatum exploratorium, non officii præceptionem. Reſp. 1. Exploratio eſt mandati finis Deo propoſitus, at vero quocunque fine Deus non poteſt aliud loqui, aliud velle, aut bono fine malo dolo agere cum creatura: fine enim bono non poteſt Deus peccare, quoniam finis extrinſece ſe habet ad actum. 2. Mandatum hoc non fuiſſe officii eſt falſum: tum enim juſſiſſet Deus aliquid legi contrarium: atqui hoc ipſo quod Deus juberet

beret aliquid, eſt æquum & ſanctum, quin imo, ſi *Abrahamus* recuſaſſet immolationem, in ſummam totius decalogi graviter deliquiſſet, quippe filium ſuum Deo impenſius dilexiſſet: neque fieri poteſt, ut Deus tentando id jubeat, quod creaturæ ex officio non incumbat faciendum: & hoc dato quod *Abrahamus* detrectaſſet obedientiam (quod *Arminianis* eſt poſſibile) quæro an *Abrahamus* peccaſſet in Dei decretum & æternam intentionem de immolando *Iſaaco*: crede hic mihi obmuteſcent: nihil enim tale unquam Deo vel decretum vel intentum fuit: at vero negari non poteſt, quin *Abrahamus* hic graviter peccaſſet in voluntatem ſigni. Ergo poteſt quis peccare in voluntatem ſigni, qui illud idem faciat, quod apprime conſonum eſt decreto & voluntati beneplaciti. Ergo Deus aliquid mandat, quod fieri non vult.

10. Deus etiam per *Paulum Theſſalonicenſes*, 1. *Theſſ.* 5. 4, 5, 6. & per *Petrum* ſanctos, 2. *Pet.* 13. 12. hortatur, ut exſpectent diem ſecundi adventus Chriſti, & tamen non decrevit ut ipſis ſuperſtibus dies ille adveniret: quin imo *Paulus* contrarium docet, 2. *Theſ.* 2. 2,3. Ergo Deus ſæpe præcepto proponit, quod fieri non decrevit, & id tantum vult, quod ſibi approbatum eſt & acceptum, & noſtri eſt officii, & debitæ obligationis.

11. Hinc liquet, eos qui voluntatem ſigni per Dei intentionem, propoſitum, decretum, aut prædefinitionem de hoc vel illo faciendo,

exponant, quod facit *Thomas Iackſonus* cum *Arminianis*, nunquam hanc diſtinctionem intellexiſſe, vel ſaltem mentem theologorum noſtrorum vaferrime diſſimulaſſe. Nam voluntas approbationis qua talis, non ponit ullam in Deo efficientiam, ne quidem executivè: ſive effectivè at vero decretum & voluntas beneplaciti, quamvis ſit actus in Deo immanẽs, non minus quam voluntas approbationis, attamen in executione ponit Deum actu effecturum, quod efficere decrevit, quod voluntas approbans nullo modo ponit, qua talis. Hinc aſſata iſta ponimus.

1. Deus ſeriò vult, hoc eſt, amat, approbat, actuque complacentiæ fertur in obedientiam reproborum, quatenus eſt res bona & ſancta, ſive actu exiſtat illa obedientia, ſive non.

2. Nulla eſt in Deo voluntas huic contraria, & poſtquam decrevit ut hæc res, non illa ſit moralis obedientia, non poteſt Deus non ſerio velle & approbare talem rem.

3. Deum decreviſſe aut hortationibus & minis intendiſſe ab æterno, ut reprobi obedirent & crederent, & interim ipſos reprobaſſe, & gratiam efficacem, quâ crederent ipſis negaſſe tali decreto, eſſet ponere in Deo contradictorias voluntates.

4. Deum velle voluntate ſigni homines obedire euangelio, & interim iiſdem nolle euangelium revelare, eſt contradictorium.

4. Deum intendere & decernere mortem pecca-

peccatoris, & Deum non delectari morte peccatoris, ut jurat *Ezech.* 33. 11. nullo modo ſunt contradicentia: quippe terrenus judex ſine contradictione (modo voluntates ſubditorum juſtiſſimè determinare poſſit) ſtatuit juſtitiam ſuam patefacere, & tamen non lætatur morte bonorum. Nam Deum decernere interitum reproborum certiſſimum eſt, idque voluntate abſolutâ. *Rom*, 9. 11, 12, 13. Et tamen *Ezech*. 33. non delectatur morte peccatoris eo ſenſu, quo Deo objiciebant blaſphemi *Iudæi*, qui v. 10 arripiebant anſam ex ca. 24. v. 23. Prophetas fruſtra ipſis vitam promittere, quoniam Deus ipſos in ſuis peccatis conſumendos fore dixerat, adeo ut hanc Dei complacentiæ voluntatem dicerent; fieri non poſſe ut viverent, etiam hoc dato quod à viis ſuis reſipuiſſent. Imo (inquit Deus) hæc mea eſt voluntas complacentiæ, ut homines non morerentur, ſed reſipiſcentes viverent, non reſipiſcentes morerentur, adeo ut eo loco contra multorum opinionem, non juret Deus ſe non ſimpliciter delectari morte peccatoris, ſed tantum ſecundum quid, & ſenſu blaſphemo *Iudæorum* iniquitatem viarum *Iehovæ* protervè exprobrantium. Eſt itaque ſophiſma tranſparens à κατὰ τὶ ad ἁπλῶς. Ex textu enim nemini non patere poteſt, Deum non verba facere de decreto ſuo, ſed de voluntate approbante & revelatâ. Nam ait illic, ſe delectari, eo quod improbus à via ſua reſipiſcat, & hæc ipſiſſima eſt voluntas revelata, & ex hac repre-

henſione (ſiquidem Deus non reprehendit niſi delinquentes) patet *Iudæos* credidiſſe Deum, ne quidem reſipiſcentium vita & ſalute delectari, ſed tam legaliter & duriter cum ipſis agere, ut vellet ipſos in peccatis tabeſcere, non obſtante eo, quod per prophetas vitam ipſis promittere conſtituerat, & præfecerat hoc nomine tanquam vigiles: & Deus aſſeverat, interpoſito ſancti juramenti ſolenni ſacramento, ſe non hoc modo velle aut delectari interitu peccatorum. Si vero Deus vult omnium ſalutem & nullius interitum, donec flagitioſiſſimus evaſerit, ſequitur amorem & voluntatem ſalvandi tum demum deſinere, quando incipiunt actus flagitioſi, & mutari voluntatem Dei. Quid hic *Iackſonus*? Non (inquit) mutatur voluntas aut decretum, ſed objectum decreti: ſed quæro an Deus decernat vitam *Pharaoni*, *Saulo*, *Iudæ*, donec incidant in graviſſima peccata, & tum incipiat decernere ipſorum interitum? ſed quæro rationem juſtitiæ decreti illius, quo decernit nunquam credentium vitam: *Pharaoh* enim nunquam credidit. At decretum electionis *Arminiani* non volunt vacare juſtitia. At amat (inquiunt illi) naturali & antecedente amore ſalutem omnium quatenus ſunt homines. Itane? at vero amor quoad effectum, non quoad affectum eſt in Deo: quoad vero affectum non eſt ſaltem niſi actus divinæ voluntatis, quo vult bonum creaturæ: at an velit Deus homini, quatenus eſt creatura, vitam æternam? An juſtus

eſt

eſt amor, velle coronam ei qui nondum certamen eſt ingreſſus? homo enim qua homo aut quâ creatura, non credit: hic amor, ex Arminianis, juſtitiæ Dei adverſatur.

12. Fateor durum admodum humanæ rationi videri, Deum approbare, & verbo mandare id quoad eſſentiam, quod quoad exiſtentiam neque vult neque unquam fore decernit. At dices, ideo plectuntur *Hieroſolymitani*, quoniam ipſorum actualis aggregatio ad Chriſtum actu non exiſtit. Nam illi voluntate approbante voluerunt ſuam ad filium Dei aggregationem quoad eſſentiam, & Deo ſe debere obedientiam ex officio & obligatione non diffitebantur, & ſic eorum voluntas approbanti Dei voluntati conformis erat: at vero nolebant ſuam ipſorum aggregationem quoad exiſtentiam, & ſic Deus, quoad exiſtentiam, illam congregationem noluit, ac proinde etiam decreto Dei ipſorum voluntas erat conformis. Quorſum ergo puniti ſunt, qui volebant omni modo, id quod Deus volebat? Reſp. 1. Voluntas Dei approbans approbat etiam obedientiam exiſtentem, quamvis ſalvetur eſſentia ipſius in ſimplici amatione obedientiæ, ſive exiſtentis ſive non exiſtentis. 2. Officium eſt reproborum & velle & actu præſtare, ut actu exiſtat ipſorum obedientia, & Deus vult hoc eſſe officii reproborum, ut actu & velint & præſtent obedientiam, quamvis ipſe exiſtentiam obedientiæ non ab æterno decreverit, quod quoniam liberrime reprobi non præſtant, jure

jure plectuntur. Dices ergo: non adhuc impletur voluntas Dei approbans, quoniam reprobi id officii non actu præſtant, quod Deus approbat quoad exiſtentiam: at abſurdum eſt Dei voluntatem non impleri. R. Approbatio Dei ut ſic & formaliter non terminatur in exiſtentiam obedientiæ, quatenus Deus illam exiſtentiam actu cauſare decreverit, ſed tantũ applaudit voluntas approbans obedientiæ vel exiſtenti, vel nòn exiſtenti, tanquam rei bonæ & juſtæ: & quoniam reprobi non poſſunt efficere, ut hæc res Deo approbanti grata, non ſit grata & accepta, ideo non contraveniunt, neque contravenire poſſunt voluntati Dei approbanti. Neque ſatis eſt quod reprobi approbent bonum, quod Deus approbat: nam Deo licet approbare rem quam efficere non tenetur, abſque officii ſui violatione, quoniam Deus legi non ſubeſt: neque lex flagitat à Deo efficientiam boni, quod approbat: at flagitat lex ab homine, ut & approbet, & actu efficiat bonum.

Schaaf de prædeſt. p. 1, li. 1. c. 5.

13. Quamvis homo ſervo ſuo imperaret, quæ fieri non decreverat, ſi id inſidias ſtruendi animo haud faceret, non dicendus eſſet malò dolo agere. Non ergo jure *Schaafmannes* dixit, Deum hic malo dolo agere. At quare? quoniam (inquit ille) verbis perblandis præ ſe fert, ſe bene velle iis, quibus occultè, & inevitabili decreto æternum male cupit; At nihil dicit. Nam Deus reprobis nullam aliam exprimit benevolentiam, quam illam ipſam quam

habuit

habuit intus apud ſe erga electos, nempe approbationem obedientiæ.

14. Deinde quamvis homines legi ſubſint, in conceptibus ſuis enarrandis, ita ut aliter loqui non poſſint, quam verba quatenus ſunt mentis ſymbola ordinaria, ferant ſine nota mali doli, tamen quæ audacia eſt, *Iehovam* talibus legibus aſtringere? Ideoque cauſam ipſorum non juvat, quod citant ex Pſal. 81. *Vtinam populus meus obediiſſet*. Reſp. Senſus eſt, verbis revelo tam impenſe charam eſſe voluntari meæ approbanti obedientiam populi mei, quam homines ea volunt, quæ totis deſideriis optant. 2. Si optationes proprie ſunt in Deo, cur non etiam agitatio viſcerum, *Ier.* 31. 30. defatigatio, *Eſai.* 1. 24. animæ depreſſio, *Iud.* 10. 16? ſed eo tendunt Arminiana dogmata, ut Deum cum Anthropomorphitis humanum, Epicureum, mutabilem, paſſionibus obnoxium nobis fingant. 3. Quæro an ſit aliquid involuntarium in illis optationibus fruſtraneis, quas Deo affingunt? ſi ſit, certè Deo non mediocrem imperfectionem aſcribant, neceſſe eſt, nempe id fieri, cujus contrarium Deus fieri vult, id quod *Suarez* evitare, ſed fruſtrà, obnixè contendit: ſi vero non ſit aliquid involuntarium in Deo, optationes illæ non ponunt Deum velle & optare quod non ſit. At vero *Matth.* 23. *Quoties voluit congregare &c.* Eſt quoties approbavi, amavi, & teſtimonio meo & Prophetarum mihi complacere teſtatiſſimũ feci, veſtri eſſe officii ut congregemini

Suar. inſ. puſc. diſp. 1. relect. de liber. Dei ſec. 2. p. 266.

mini

mini ad me. Nam ſi quis Chriſtum aſſimilet gallinæ & *Hieroſolymitanos* pullis inſcienter ſe vulturibus exponentibus, & nolentibus contra matris ſuæ tenellum deſiderium alis circumvolvi & protegi, is Chriſtum Deum faciat non Deum. 2. Sit (quoties volui,) idem quod, (quoties decrevi,) tum decreta Dei cæteroquin æterna indies iterari & reiterari, quoties prophetæ prædicabant, neceſſe foret, quod eſt abſurdum. *Prov.* 1. Vocavi & renuiſtis, non decrevi ut veniretis: nam illa vocatio reiteratur per multos annos in competis, in foris, at decretum Dei unicum & æternum eſt, ideoque vocavi idem eſt, quod verbo invitavi & teſtatum feci, mihi complacere veſtram obedientiam, ne iota habet de Dei decreto.

Cap. II.

Solvitur illud, quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum &c. 2. Quomodo Deus fidem exigat à reprobis. 3. De promiſſis Euangelij.

Antiperk. p. 735.

NOn parum lucis huic diſputationi fæneratur ſolutio illius objectionis, quam ſolam potentem eſſe noſtram ſententiam convellere dixit *Arminius* ſatis pro ſuo more *Thraſonicè*. Ea hæc eſt.

Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum.

Atqui

Atqui unuſquiſque tenetur credere Chriſtum pro ſe mortuum eſſe.

Ergo Chriſtum pro unoquoque mortuum eſſe, eſt verum.

Reſpondet *Ioannes Camero.* Diſtinguendo majorem. Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum, vel quomodo vera ſunt, quæ narrantur, vel quomodo vera ſunt quæ prædicantur, vel ut promittuntur: primo & ſecundo modo verum non eſt, narrata & prædicta ſunt vera ſive credideris, ſive non. At quæ vera ſunt ut promiſſa ea nihil neceſſe eſt eſſe, niſi credideris, imo neceſſe eſt ea non eſſe, ſi non credideris. Hoc ideo docet quia falſiſſimè, & nullo fundamento vult Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus conditionatè, ſive electi, ſive reprobi fuerint; pro electis vero abſolute, quæ ſententia hæreſi affinis mihi videtur. Nam fides non facit objectum, neque dat veritatem promiſſis divinis noſtra obedientia, imo hominum infidelitas Dei fidem ſic abrogaret. 2. Poteſt *Camero* citra omnem diſtinctionem totum argumentum concedere, ut pote ipſius errori unice ſubridens. Ergo omnes mortales tenentur credere Chriſtum pro ſe, conditionate, mortuum eſſe, & ſtat inconcuſſum id *Arminianorum*, gratiam redemptionis univerſalem & communem eſſe & electis & reprobis. Ergo pœnas reprobis debitas Chriſtus luebat. Ordine itaque juſtitiæ omnes reprobi immunes ſunt à pœnâ æternâ. *O Carneadeam* ſubtilitatem, ſed de hiſce alibi.

Ioan. Camer. tom. 2. prælect. in Matth. cap. 16. v. 27. p. 204.

9. Re-

Piſcat. collat. cum Vorſtio. p. 31.

Tuiſſ in vindic. grat. contr. Arm. ibi. 2. crim. 4. ſect. 18.

2. Reſpondet graviſſimus & clariſſimus vir *Ioannes Piſcator*, & alius quidam non mediocris theologus, quem honoris cauſa tacebo, majorem ſimpliciter eſſe falſam. Imo (inquiunt) homines obligari, ad credendum Deum intendere ſeu velle fieri, id quod nobis præcipit: quamvis forſitan quoad eventum verum, non fuerit, Deum illud intendere, quippe nunquam forſitan eventurum, imo aſſerunt objectum fidei eſſe interdum falſum id quod nec theologia noſtra, nec veritas patitur. Nam 1. Fides nititur veritati divinæ, cui nihil falſi ſubeſſe poteſt. Ergo ejus objectum nullo modo eſt falſum. Antedens eſt *Heb.* 11. 11. *Tit.* 1. 2. Imo ut recte obſervavit *Gul. Tuiſſius* flos ille illibatus ingeniorum ſcholaſticorum, intentio Dei non proprie revelatur & infallibiliter, ſed colligitur ex mandato, quæ fuerit intentio Dei. 2. Credendum foret Deum loqui id quod falſum eſſe poteſt, & Deum nos velle credere falſa, quod eſt abſurdum. Tenemur enim credere rem ita ſe habere prout Deus loquitur: atqui Deum intendere ut *Iudas* crederet, non eſt tale in rerum natura. 3. Fides ultimate reſolvitur in hoc (ſic ait *Iehova*) atque quod Deus intendat obedientiam omnium vocatorum, non eſt *Iehovæ* dictum, neque poteſt in falſum reſolvi verum. 4. Si ex hortationibus euangelicis teneantur omnes in viſibili eccleſia Deum ipſorum obedientiam intendere, tum tenerentur etiam credere ipſos ad æternam gloriam à Deo deſtinatos, & Chri-

ſtum

ſtum ex ſuo & æterno Patris conſilio ipſorum in cruce peccata expiaſſe, at poſterius eſt abſurdum: Ergo etiam prius, Prob. major. Si tenerentur credere Deum in præceptis ſuis ipſorum fidem intendere, quod eſt medium, tenerentur credere Deum etiam finem intendiſſe: vel credere tenerentur Deum intendere medium, & non finem, quod contradicit ſcripturæ. Nam quos vocavit, glorificavit, *Rom.* 8. Ergo quos intendit vocare, eoſdem intendit glorificare: ſed quod omnes in viſibili eccleſia non teneantur credere, Deum ipſos ad gloriam deſtinaſſe, patet, quia ſi omnes hoc tenerentur credere, tenerentur omnes credere ſe electos eſſe, & ſic non eſſe in eccleſia viſibili reprobos & electos, oves & hædos, paleam & frumentum, zizania & bonas fruges contra ſcripturas, *Matth.* 22. 14. *Matth.* 3. 12. & 13.27. & Deum omnes vocatos externâ vocatione, gratiâ univerſali complecti, & Deum falſa in ſcripturis dictitare & contradictoria, quo nihil abſurdius. Neque fieri poteſt ut hic & ille teneatur credere, Deum intendere ſuam ipſius ſalutem, & etiam credere teneretur Deum multorum obedientiam & ſalutem non intendere. 5. Tenerentur omnes indurati credere Deum ipſorum indurationem in hortationibus euangelicis non intendere, ſed obedientiam: & ſcripturas haſce & ſimiles *Eſai.* 6. 9, 10. *Matth.* 13. 14, 15. *Actor.* 28. *Ioh.* 12. falſa dicere. 6. Tenebatur *Petrus* in Prætorio credere, Chriſtum intendiſſe illo dicto (*qui*

ćto (*qui me confitebitur coram hominibus, hunc etiam confitebor coram patre meo & angelis &c.*) ut *Petrus* obediret & confiteretur ſe coram hoſtibus Chriſti. Ergo quo animo dixerat Chriſtus ipſum abnegaturum ſe ter? tenebatur *Petrus* credere Chriſtum falſum prædixiſſe, vel non intendiſſe Chriſtum illo dićto (*qui me confitebitur &c.*) ut *Petrus* obediret. Atqui Chriſtum falſa dicere *Petrus* non tenebatur credere. 7. Lex dicit omnibus etiam poſt lapſum, *hoc fac & vives.* An igitur tenebimur credere, Deum illo mandato legali intendere, ut nos legem & fœdus operum præſtemus? Hoc aperte etiam ſcripturis contradicit, 8. Quoniam tenentur omnes credere Deum omnipotentem ſua intentione excidere non poſſe, utpote, qui ipſam vi irreſiſtibili impleat, tenerentur omnes credere Deum externæ vocationi ſemper additurum internam gratiam elećtorum, atque ita regenerationis gratiam fore omnium communem: at hoc ſcripturis adverſatur. 9. Si tenerentur omnes poſteri *Adami* lege cordi inſculpta & verbo euangelico revelato Deum velle & intendere omnium obedientiam, tum non tenerentur Deum intendere, aut velle peccati permiſſionem: ſic enim credere tenerentur Deum intendere peccati permiſſionem, & ipſam non intendere, ſed intendere obedientiam, & ſic fides fidei contradiceret, quod abſurdum. Atque ex ſcripturis & experientiâ pluſquam quotidianâ ſcimus Deum velle & intendere peccati permiſſionem: hæc autem volitio

litio illius permiſſionis non poteſt ſtare cum intentione obedientiæ: Ergo neq; fides hujus cum fide illius conſiſtet. 10. Ille actus credendi Deū intendere noſtram obedientiam, ſi ſit fidei actus, ut vult *Piſcator*, erit ſupernaturalis: Ergo proveniet à gratia ſpiritus ſancti, ut à principio quo: at gratiam eſſe principium quo & immediatum credendi falſum, quis crederet?

3. Audiamus argumenta *Piſcatoris* & aliorum. 1. *Arg.* Deus juſſit *Abrahamum* immolare filium. Ergo *Abrahamus* tenebatur credere Deum intendiſſe immolationem ipſius, ac proinde falſum credere tenebatur: nam nihil tale intendebat Deus. Reſp. *Abrahamus* tenebatur ad immolationem ſe accingere, & tenebatur credere ſe obligari ad filium mactandum, & eſſe rem Deo gratam & acceptam, quod vero ad intentionem Dei vel non intentionem de actuali immolatione *Abrahami* fides neutram contradictionis partem attingere tenebatur: nam nec Dei intentio, nec non intentio eo caſu revelabatur. At inſtat *Paul. Baines* theologus inſignis eruditionis, *Abrahami* fidem innixam fuiſſe huic, quod Deus *Iſaacum* è mortuis reſuſcitare potuerit, ut eſt *Heb.* 11. Ergo vere credidit Deum intendiſſe *Iſaaci* immolationem. Reſp. 1. ſalvo tanti viri honore, liceat mihi negare conſequentiam. Nam *Heb.* 11 v. 19. dicitur *Abrahamum* credidiſſe Deo fuiſſe facultatem reſuſcitandi *Iſaacum* mortuum, ex hypotheſi quod immolatus fuiſſet: at vero in textu non dicitur *Abrahamum* credidiſſe

Baynes in c. 1. epiſt. ad Eph.

Deum intendiſſe immolationem ipſius: hæc enim toto cœlo diſtant. At quatenus fides Patriarchæ innixa eſt omnipotentiæ divinæ, non gravate concedo veram fuiſſe fidem; at quatenus attingebat intentionem Dei de immolatione *Iſaaci*, eatenus conjectura, non fides eſt, exemplum eſto *Maria Magdalena* incidit in hortulanum, opinatur (uti ſuppono) eſſe ſalvatorem, ipſum devoluta in genua ſupplex adorat. Adoratio quatenus terminatur in objectum materiale, nempe in creaturam idololatria eſt, non adoratio: quatenus vero in illud idem, non ſub ratione creaturæ, ſed quatenus eſt ſalvator, adoratio dici poteſt. 2. *Arg.* Unuſquiſque obligatur illud credere, quod dictante conſcientiâ judicaverit eſſe ſenſum cujuſlibet loci ſacrarum literarum, cùm tamen interim fieri poteſt, ut à verâ loci ſententiâ non nihil aberret: hoc ſuppoſito illud credere tenebitur tanquam verum, quod revera eſt falſum. Reſp. Docent recte theologi conſcientiam erroneam ligare, non vero obligare: ligat quatenus non poteſt quis ſine peccato credere, contra id quod conſcientia erronea dictitat: peccat enim tum contra conſcientiam: ſed nemo obligatur ſequi ductum erroneæ conſcientiæ, ſed aſſenſum ſupendere & erroneam conſcientiam deponere, & veritatem humillime indagare: alioqui qui ex defectu ſani judicii credit hæreſin eſſe fidei articulum, teneretur errarè. At ad peccatum non eſt obligatio. 4. Dicet

cet quiſpiam, quando quidem Deus gratuitâ electione paucos tantum complexus ſit, qvomodo fiat, ut in hortationibus & promiſſis evangelicis indefinite propoſitis mea vacillans conſcientia conſolationes inde hauriat, niſi ex Dei intentione & decreto teneat credere promiſſa mihi eſſe facta nominatim? Reſp. Conſolatio vana erit, ſi credideris falſa: Longe tutius eſt, ut unuſquiſque ſe & ſuam conſcientiam ſcrutetur, quam arcanam Dei intentationem nondum revelatam, ſed eventu, & ſignis revelandam. Sic illuſtro: Rex in turbam egenorum auri copiam ſpargit eo animo, ut ditentur quidam quos præ aliis diligit, non omnium gratiâ indiſcriminatim: ſi quis ſic argutaretur; nolo ego ſparſum aurum colligere, donec mihi conſtet de propenſo & benevolo regis erga me amore, an non indignus eſſet argutator tali munificentiâ regiâ? Porrigit nauclerus etiam viginti hominibus in profundum ſubmerſis, funem, apprehendere jubet omnes, an non male ſana & importuna eſſet illius dialectica, qui in undis volutabundus, & tantum non ſpiritum reddens, ſic apud ſe ſtatueret? nolo ego demiſſam funem apprehendere, donec me nominatim compellat nauclerus, ipſiuſque intentionem mihi aperiat. Quid an non tutius eſt nobis mendicis regis noſtri aurum colligere, & funem demiſſam præcipitatis cum diabolis in condemnationem ſuppliciter apprehendere & conſciis

miſeriæ oblatum Chriſtum nobis attrahere? quod ſi fecerimus, tum licebit colligere, gratioſam fuiſſe erga nos, & erga me nominatim Dei intentionem & æternum decretum.

Reſp. 1. Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum, eſſe captionem ab homonymia vocis, *Credere*, quod aliter in propoſitione, aliter in aſſumptione ſumitur. Nam τὸ *Credere* tribus modis ſumitur. 1. pro τῷ aſſentiri omni Dei verbo, & ſic verbum Dei revelatum eſt fidei objectum: hinc ſic formo. Illud eſt verum cui unuſquiſque tenetur aſſentiri, tanquam Dei verbo revelato, *Erg.* Major eſt vera, & minor falſa. Nam non eſt Dei verbum Chriſtum pro me nominatim mortuum eſſe, ea intentione & decreto ut me ſalvet: verbum enim Dei revelat Dei complacentiam & approbationem, non vero propriè intentionem & decretum Dei de hoc vel illo homine ſalvando, niſi excipiemus quoſdam Patriarchas, Apoſtolos, qui nominantur in ſcripturis, & electos qui non per nomina, ſed per alias conditiones communiores deſignantur, & ſic voluntas ſigni aperit decretum, ſed non qua voluntas ſigni contradiſtincta à voluntate beneplaciti. At vero quæ fuerit intentio Dei de unoquoque nominatim, colligitur ex applicatione cujuslibet hominis conſcientiæ, ex certis ſignis accommodatis generalibus verbi promiſſionibus. *Arminiani* vero inclinant in univerſalem & conditionalem omnium electi-

onem & reprobationem, ſicut promiſſiones & comminationes euangelicæ ſunt univerſales. Imo (inquit *Corvinus*) *promiſſiones & minæ ſunt ipſum Dei decretum quà verbo patefactum.* At vero decretum eſſe, quis negat, ſed quale? Prædeſtinationiſne? Nihil minus. Prædeſtinatio enim eſt pars & articuſus Euangelii non totum Euangelium, ſic enim Euangelium eſſet arcanus ille vitæ liber, cui electorum nomina ſunt inſcripta. At vero iſte liber eſt ſcriptus in cœlis, ſi ſcripturis credimus, nec extant nomina electorum in euangelio: dic ubi legeris? *Corv. cont. Molin. c. 4. ſ. 7, 8.*

2. Tò *Credere* eſt actu fiduciali cordis in Chriſtum ut ſufficientem ſalvatorem recumbere, & ſic major,

Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum, eſt falſa. Nam nec eſt verum nec falſum, ſed bonum & ſalutare Dei donum, quod cor & affectus apprehendunt, & nullo modo mentis objectum; & ſic adhuc non ſequitur concluſio.

3. Tò *Credere* eſt ſenſu & ex conſequente apprehendere, & ſic quod unuſquiſque tenetur credere, hoc eſt, fidei ſenſu, & ex fidei actu fiduciali, tanquam ex cauſa colligere id eſt verum: valeat jam major. Aſſumo: atqui unuſquiſque tenetur credere, nempe non formali fidei actu fiduciali, aut mentis aſſenſu, ſed fidei ſenſu, & collectione evidenti ex cauſa concludere Chriſtum ex ſua & Dei Patris intentione & conſilio pro ſe mortuum eſſe: Minor jam eſt aperte falſa.

Soli enim credentes tenentur tali ſenſu Dei intentionem & æternum decretum circa ſe nominatim colligere: reliqui enim non tenentur id credere, hoc eſt colligere, imo ſic obligarentur alere inanem & evanidam præſumptionem & conjecturam umbratilem & *Chymericam.* Itaque major procedit de fidei actu, tum mentis in aſſentiendo, tum fiduciali cordis amplexu, quæ proprie eſt fides: minor vero de ſenſu fidei, & collectione quâdam practicâ, quæ eſt improprie fides. Sunt itaque quatuor termini in ſyllogiſmo: ſi enim verbum omnibus revelaret Dei eſſe intentionem & decretum, ut unuſquiſque crederet ſe id intendere & decernere quod mandat, revelaret apertè falſa & contradictoria.

4. 2. Reſp. Diſtinguo vocem (*verum*) quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum, metaphyſice & fundamentaliter in ſe & quoad eventum, concedo majorem, & tum minorem pernego. Chriſtum enim pro unoquoque mortuum eſſe in ſe fundamentaliter & metaphyſicè, non eſt verum, ſed falſum. 2. Quod unuſquiſque tenetur credere id eſt verũ, non tantum metaphyſice, ſed etiam moraliter & theologicè, utpote credenti revelatum per Dei verbum, vel per evidens aliquod in conſcientia τεκμήριον, & ſic vera major, & adhuc falſa minor. Nam Chriſtum pro unoquoque eſſe mortuum, non eſt verum theologicè, nec unicuique revelatum, ſed tantum electio & quidem credenti, hoc eſt,

actu

actu fiduciali recumbenti in Chriſtum ſalvatorem. Iam ſic ſyllogiſmus ſtruatur, & vanitas *Arminiana* apparebit ſtatim.

Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum, nempè metaphyſicè & etiam theologicè revelatum, nimirum, cuique recumbenti toto corde in Chriſtum.

Atqui Chriſtum pro unoquoque eſſe mortuum eſt verum Metaphyſicè & etiam Theologicè revelatum; nempe unicuique credenti & recumbenti toto corde in Chriſtum.

Ergo.

Concluſio conceditur à nobis, nempè, Ergo Chriſtus pro unoquoque credente eſt mortuus.

§. 3. Sic etiam reſpondeo, diſtinguendo & limitando vocem (unuſquiſque) quod unuſquiſque nempe oneratus & pondere peccatorum gravatus tenetur credere, id eſt verum, quod unuſquiſq; ſe & ſuam juſtitiã deſerens & auxilium omne creatum ex humili deſiderio ſalutis id eſt verum. Jam nemo non videt, non omnes ſed onuſtos pondere peccatorum tantum teneri credere Chriſtum pro ſe mortuum, & hoc ſcripturis conſentaneum eſt. Venire ad Chriſtum eſt credere: atqui tantum onerati & fatigati jubentur venire ad Chriſtum. *Matth.* 11. 28, 29. Ad quas invitantur tantum ſitientes & ſuæ ariditatis conſcii *Eſai.* 55. 1. *Ioh.* 7. 37. *Apocal.* 21 6 7. tantum onuſti peccatis immediate invitantur ad Chriſtum. Object. Ergone in mandatis euangelicis reliqui manden-

tur præſumere, non credere: omnes enim jubentur credere. Reſp. Omnes jubentur credere, ſed tamen certo ordine. Dici forte poteſt, me applicationem fidei eſſentiâ non includere, contra theologorum orthodoxorum ſententias. Reſp. me opinari eſſe effectum inſeparabiliter fidem comitantem, non actum formalem, neque puto me habere profundiores theologos reluctantes. Neque aſſenſus generalis erit fides juſtificans, nec ut vult *Doumamus*, aſſenſus liber, vivus, verus, efficax, ſed *Paulus* 1. *Tim.* 1. 15. mihi videtur tria hæc diſtinguere. 1. Aſſenſum, ratione cujus euangelium dicitur fidus ſermo. 2. Fiduciam, cordis acquieſcentiam & innixum in Chriſtum, ut in fiduciæ objectum, quod & in promiſſiones ut objectum quo, ratione cujus, dicit eſſe λόγον ἄξιον πάσης ἀποδοχῆς dignum ſermonem qui toto cordis amplexu recipiatur, eſt que hæc formalis fidei ratio. Hinc *Hæbræis* exprimitur נשען על & אל *Prov.* 3. 5. *Eſai.* 50. 10. *Pſal.* 71. 6. Hinc πιστεύειν ἐπὶ vel εἰς τὸν Θεὸν, & expreſſius *Hebræi* per verbum גלל devolvere *Pſal.* 22. 8. גל על יהוה *Pſal.* 37. v. 5. 3. *Paulus* addit applicationem, qua credit Chriſtum veniſſe ad ſalvandum ſe præcipuum ex peccatoribus.

6. At dici poteſt, non poſſe me fiduciâ recumbere in Chriſtum ſalvatorem in genere, niſi perſvaſum ſit mihi, eum meum eſſe ſalvatorem. Vel enim innitor Chriſto ſalvatori indefinite, ſine reſpectu ad ſalvatos, quod abſurdum;

dum : ita relatum à correlato ſuo ſepararet; vel ſalvatori aliorum credentium, & ſic applico eum aliis, non mihi, quod eſt abſurdum, vel 3. tanquam meo ſalvatori, & ſic particularis applicatio clauditur in conceptu quidditativo fidei. Reſpondeo, me actu formali fidei fiducialiter recumbere in Chriſtum, ut ſufficientem ſalvatorem omnium credentium, neque eſt abſurdum applicare Chriſtum iis quibus Deus ipſum in verbo applicat: deinde fidei ſenſu credo eum eſſe meum ſalvatorem. *Paulus* n. iſta diſtinguit. 1.*Tim.* 1.15. 2. Neceſſe eſt prius recumbam in Chriſtum tanquàm ſufficientem authorem ſalutis, qualis in verbo deſcribitur potens ſalvare ad ſe venientes, clemens, miſericors & gratioſus in omnes ad ſe confugientes, priuſquam in eum recumbam ut in meum ſalvatorem, alioqui fides mea plane ènthuſiaſtica erit; nempe reclinans in eum erga me, de cujus gratioſa naturâ erga genus humanum mihi nondum in verbo conſtat, & in hoc actu fiduciali eſſe applicationem illam à theologis noſtris toties inculcatam, utpote, quæ opponatur generali aſſenſui adhibito Dei verbo à reprobis & diabolis, dici poteſt. 3. Quod ſit mortuus ex intentione & æterno decreto, ut me ſalvet, non eſt fidei objectum; neque ſcriptum neque ſecundum conſequentiam eſt in verbo, niſi accedat aliquod internum in conſcientia mea τεκμήριον, ex quo præeunte, actu fiduciali fidei in verbum promiſſionis & Chriſtum pro-

miſſum

miſſum & exhibitum, illud colligam. 4. Reus læſæ majeſtatis prius principem clementem eſſe in omnes, iram ipſius ſuppliciter deprecantes credit, quam erga ſe clementem eſſe confidit. Mendicus aſpiciens auri ſummam prius affectu in id inclinat, tanquam in egeſtatis remedium, quam ad ſe cordis affectu id attrahat. 5. Prius naturâ Chriſtus innotuit mihi ſalvator meus eſſe jure promiſſionis, eo quod in ipſum credam, quam ſalvatorem meum eſſe, perſuaſum habeam. Fides enim declarat mihi eſſe jus in Dei filium: at prius eſt me habere jus in rem, quam confidam illam ad me pertinere: fides enim qua ſciam, nititur jure quo poſſideam, imo quia credo Chriſtum pro me mortuum, ideo prius eſt verum eum fuiſſe pro me mortuum: atqui non conſtat pro me mortuum eſſe, niſi credidero in illum prius fiduciali cordis amplexu, ut in ſalvatorem ſufficientem, & hic eſt fidei actus ſpecificus.

7. Quærunt *Arminiani* cujuſmodi fidem ex noſtra ſententia Deus exigat à reprobis, propter carentiam cujus, qui ſunt in viſibili eccleſia, rei ſunt æternæ condemnationis. Reſp. Exigere ab iis ut aſſentiantur omni Dei verbo & promiſſionibus, & ut recumbant actu fiduciali in Chriſtum ſufficientem ſalutis authorem, nullo vero modo tenentur credere Chriſtum pro ſe mortuum eſſe. Quid hic *Arminius*? Ita inſurgit: *nemo poteſt ſe fateri affinem culpæ, ob repudiatam promiſſionem verbo factam, ſi mens*

Antiperk. p. 746, ed. Ber.

licentis ſtatuit illi promiſſionem non præſtare, vel potius, ſi certo decreto ſtatuerit, qui verbo promittit, ne promiſſio ad illum pertineat, aut pertinere poſſit. Reſp. 1. ex *Arminij* itaque placitis, nemo poteſt ſe fateri affinem culpæ ob repudiatam promiſſionem: ſtatuit enim ille. Deum vocare reprobos gratia inefficaci, quam effectum non ſortituram præſcit: ita ergo ipſos reprobos alloquitur. Volo, & decerno, & ab æterno intendo, ut promiſſis euangelicis crederetis, & obediretis, & ſalvaremini, & tamen ab æterno decrevi ex multis poſſibilibus vocationibus libertatem veſtram minime læſuris, eam ſolam adhibere, quam adhibitam ab æterno præſcivi inutilem fore, & nunquam obedituros vos, ſed graviores longe cruciatus nunquam finiendos vos incurſuros, & eam ſolam vocationem negare, quâ adhibitâ fieret, ut obediretis & ſalvaremini. An hic non Deo blaſphemè veram hypocriſin, & contrarias voluntates affingant, æquos lectores judices & ipſorum conſcientiam per Deum obteſtamur: effari libere velint. 2. Ut conſtet, qui promiſſiones univerſales ſint: notari velim promiſſiones has bifariã conſiderari 1 Formaliter, ut ſint ſignificativæ divinæ voluntatis remunerantis vita æterterna credentes, & ſic nihil aliud ſunt, quam Dei voluntas ſápiens, quà liberrimè ſtatuit ita concatenare fidem & vitam æternam, ut tam impenſe charam habeat fidem & obedientiam, ut eam vitâ æternâ remunerari velit: hanc

hanc concatenationem electis pariter & reprobis promiſſiones promulgatæ revelant, & omnes in eccleſia viſibili obligant ad aſſenſum, actum fiducialem in Chriſtum, & ſedulam obedientiam, ſive Deus ſtatuit decreto ſuo æterno bona promiſſa ad ipſos pertinere, ſive non. Nihil itaque hoc falſius (neminem eſſe affinem culpæ ob repudiatam promiſſionem, ſi promittens ſtatuit certo decreto, ne promiſſio ad illum pertineat,) hoc dictitat *Arminius*, utinam probaſſet, ſed regia eſt ipſius theologia & dictatoria. Quid? Quod Deus omnibus jam peccandi neceſſitate conſtrictis dicit (*hoc fac & vives*) & ſtatuit certo decreto, ne vita æterna reddita legali obedientiæ ad nos mortales (ſi Salvatorem excipiemus) pertinet, nemo igitur reus erit ob violationem legis Dei: Deinde certum eſt Deum nunquam intendiſſe præmiare actualem *Iſaaci* immolationem, ſed nemo ſanus diceret *Abrahamum* culpæ affinem non fuiſſe, ſi immolare filium, Deo ita jubente detractaſſet. 3. Statuit hoc argumentum rationem formalem reatus conſiſtere in hoc quod voluntas noſtra non ſit conformis intentioni Dei & decreto æterno; nempe vult hominem non eſſe affinem culpæ ob repudiatam promiſſionem, quæ ad ipſum ex Dei intentione non ſpectat. Si ergo ex Dei intentione ad eum non ſpectat promiſſio repudiata, repudiantem nec ſcelere nec reatu obſtringit. Excipe igitur, *Iacobe*, egregiam theologi-

am

am, voluntas *Abrahami* intendebat immolationem *Iſaaci*: nihil enim certius, nihil firmius decretum erat *Abrahamo*: at Deus nunquam vel intendit vel decrevit immolationem *Iſaaci*, eſt hic oppoſitio inter *Abrahami* & Dei intentionem. Ergo (inquam ego) *Abrahamus* intendendo filii mactationem reatui ſuberat & ſcelere ſe obſtrinxit. Itane? Atqui in hoc Deus *Abrahami* obedientiam eximiam collocavit, quod decreverit pro creatore ſuo unigenitum filium immolare. 2. Promiſſiones ſumuntur in concreto, ut ſunt media prædeſtinationis, & divinam intentionem de promiſſis beneficiis gratificandis connotant, & ſic non ſunt nudæ voluntatis approbantis ſigna, ſed & connotant Dei decretum. Priore ſenſu aſſero, promiſſiones euangelicas non minus ſpectare ad reprobos, quam ad electos, poſteriore ſenſu ad ſolos electos pertinent: ſoli enim electi dicuntur in ſcripturis fœderati, filii, & hæredes promiſſionis, *Rom.* 9. 8. Et ſoli Chriſto principi & Anteſignano hæredi fiunt promiſſiones. *Gal.* 3. 16. *Pſal.* 89. 26, 27. in eo, ſemini ipſius & liberis ei à patre datis, *Heb.* 2. 13.

8. Imo ex intentione Dei ne quidem ſub conditione offertur vita æterna reprobis, nihilque falſius novâ illâ *Ioannis Cameronis* opinione, ſtatuentis Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus pariter reprobis & electis ex conditione fidei, pro fidelibus vero ſolis abſolute. *Chriſtus enim* (inquit) *pro te ſatisfecit*, *ſed ea lege*, *ſi tu*

Camero. tom. 3. in miſce. p. 574. epiſt. an. 1611.

ſit tu id factum credas, ut ſi captivum redimerem, pretio numerato, ita tamen ut niſi ille ſe redemtum agnoſcat meo beneficio, habeatur pro non redemto. Contr. ſic arguo. 1. Si Chriſtus mortuus eſt pro reprobis conditionatè, pro ipſorum peccatis attritus fuit, & mortem æternam illis debitam in corpore & anima luiſſet, neceſſe eſt, at hoc poſterius eſt abſurdum. Ergo etiam prius. Major eſt manifeſta: quid enim eſt Chriſtum pro aliquo mori, niſi iram Dei ei debitam, pro quo moritur, ſuſtinere. Prob. minor. Si Chriſtus vel conditionate mortem reprobis debitam ſuſtinuit, reprobi etiam nunquam credentes non poſſunt ex ordine juſtitiæ divinæ mortem æternam in ſe ſuſtinere, quod poſterius palpabilis falſitatis damnant in nullâ fere non paginâ ſacra oracula. Dicet *Camero* Chriſtum conditionate ſatisfeciſſe pro reprobis, nempe ſi crediderint: at vero an non conditionate ſatisfecit pro omnium reproborum peccatis? Credo neminem hoc negaturum, niſi quis, Chriſtum pro ſolo peccato originali ſatisfeciſſe aſſereret, quod eſt contra ſcripturas, quæ nos ſanguine Chriſti ab omnibus peccatis purgari volunt, 1. *Ioh.* 1. 8. 1. *Pet.* 1. 18. 19. *Eſai.* 53. 6. Si pro omnibus peccatis reproborum pænam ſuſtinuit, tum etiam pro finali infidelitate & impœnitentia reproborum, & ſic ex ordine juſtitiæ non debent reprobi pœnas finalis infidelitatis in gehenna æternum lueri: juſtitia enim Dei pro eodem peccato

cato non poſtulat ſatisfactiones binas. 2. Pro quibus Chriſtus ſatisfecit, Deus ipſis peccata non imputat, 2. *Cor.* 5. 19. Atqui reprobis peccata imputat. Ergo &c. Non imputat (inquit *Camero*) Deus reprobis peccata, ex hypotheſi quod credant: nugæ: imputatio eſt actus divinæ voluntatis immanens, atqui nulla in Deo volitio eſt conditionata aut pendet indeterminata à voluntate creata. 3. Si Chriſtus intendit & ſuo & *Patris* conſilio, ſatisfactionis pretium numerare conditionatè pro reprobis, tum ipſos etiam ad æternam gloriam deſtinat conditionatè: at vero quid hoc aliud eſt, quam univerſalis omnium, citra exceptionem, electio ex hypotheſi fidei, à quo verbis ſaltem ipſi *Arminiani* ſe abhorrere profitentur. 3. Si Chriſtus mortuus eſt pro reprobis, eos amore, quo major dari non poteſt, *Ioh.* 15. v. 13. complexus eſt: atqui hoc dici non poteſt, niſi etiam fidei & regenerationis gratiam ipſis meritus eſſet, & pro iiſdem Patrem precibus interpellet, quod ipſe ſalvator negat, *Ioh.* 17. *Non rogo pro mundo.* Si enim Deus Filium pro ipſis in mortem tradidit, quomodo non cum eo omnia daret? *Rom.* 8. Atqui non dat ipſis fidem; nec eam ipſis meritus eſt. 4. Hæc eſt *Pauli* conſequentia, *Rom.* 8. Chriſtus eſt mortuus, ergo quis condemnet? quo innuit propoſitionem hanc connexam eſſe veram, non condemnantur ulli pro quibus Chriſtus eſt mortuus, nempe pro quibus abſolute mortuus

tuus eſt, ii non condemnantur: ſi verò non crediderint, condemnabuntur: at vero fides non-condemnationis non eſt cauſa meritoria, ſola Chriſti ſatisfactio eſt non-condemnationis cauſa meritoria: fides vero nec ſcripturis, nec rationi convenienter eſt cauſa organica mortis Chriſti: quaſi vero nos credendo efficeremus, ut Chriſtus mortuus eſſet, aut quaſi nos credendo efficeremus, ut Chriſtus nos pro non peccatoribus æſtimet. 5. Numeratio pretii & mors Chriſti eſt abſoluta: mortuus eſt enim pro multis nondum natis, nedum non credentibus: at vero numerari pretium & non redimi captivum, adverſatur juſtitiæ: dices non adverſari juſtitiæ, ubi ad actualem acceptationem numerati pretii requiritur fides noſtra, ex ſpeciali Dei mandato: ſed ſic diluo: Dei εὐδοκία & complacentia & acceptatio peccatorum ubique Chriſti ſatisfactionis nomine Deo in ſcripturis tribuitur *Mat.* 3. 17. *Epheſ.* 1 6. *Col.* 1. 21. 22. *Rom.* 5. 10. Neque dicitur Deo complacitum ſatisfactoriè eſſe, in fide noſtra. 6. Chriſtus moriens præſcivit reprobos, nunquam credituros, imo ne quidem credere poſſe, utpote qui abſolute fidei gratiam ipſis non eſt commeritus, idem etiam Deus Pater ab æterno præſcivit: at abſurdum eſt Chriſtum mori, & Deum ipſius mortem acceptare, ex hypotheſi conditionis, quam nunquam futuram fore præſcit, neque fore poſſe: quaſi vero Chriſtus ita in evangelio reprobos alloqueretur: Ego pro vobis animam meam depono

pono, quod amoris eſt intentiſſimi mei erga vos, eo animo ut ſi credere velitis, ſalvaremini: certo tamen ſcio, vos nunquam credituros, imo abſoluta mea voluntate decrevi gratiam credendi nec vobis dare, nec promereri: atqui vir prudens ne quidem conditionatè intendit, quod præſcit nunquam futurum eſſe. 7. Qui intendit finem, intendit etiam media ad finem: atqui Deus reprobis fidem, ſalutis medium non intendit. Ergo nec ſalutem morte Chriſti ipſis intendit. 8. Dici non poteſt Chriſtum mortuum eſſe pro iis, qui ex abſoluta Dei voluntate, ne fando, vel tenuiſſima rumoris aurâ, quicquam de morte ipſius audierunt. Quomodo enim tale beneficium mortalibus pareret, qui ipſos de beneficentia certiores abſolute noluit facere? 9. Nullibi dicitur crede, & Chriſtus pro te mortuus erit. Quid abſurdius? Prius mortuus eſt pro nobis, quam credimus. Nec argumenta Cameronis ſunt *hili*: ea enim prolixius, favente Numine, refutabimus alibi.

9. Dicunt alii Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum, hoc ſenſu, ut poſſit Deus omnium peccata remittere, ſub qua ſcilicet conditione ſibi viſum fuerit, & fruſtra poſtulari fidem ab omnibus, niſi peccata omnium remittere potuiſſet Deus Pater, & ad hoc ſufficiens fuerit mors Chriſti, ideoque mortuum eſſe pro omnibus & ſingulis, ita ut omnes & ſinguli ſalvarentur, modo in Chriſtum crederent: atqui ego hæc etiam falſa eſſe credo. Longe enim

differunt iſta (vitam æternam omnibus offerri & ſingulis ſub conditione fidei) (& omnibu & ſingulis offerri vitam ex Dei intentione dandi illis vitam ſi crediderint.) Nam prius eſt verum, ſed tum oblatio vitæ, nihil eſt aliud quam revelatio divinæ voluntatis, qua fidei & vitæ æternæ concatenatio proponitur. Poſterius eſt falſum. 1. Deus vel offert vitam reprobis impetratam morte Chriſti ſub illa conditione, vel non impetratam, ſed ex abſoluta Dei libertate, citra Chriſti ſatisfactionem communicandam, ſiquidem crediderint: non priori modo fit oblatio vitæ. Diceret enim euangeliu, ſic reprobis afferri vitam impetratam morte Chriſti ſi crediderint, quæ non eſt morte Chriſti impetrata, & quî vita aut remiſſio impetrata offeranturiis, ſub conditione fidei in Chriſtum impetrantē hæc, qui hæc nonimpetraverit, mihi videretur ἀκατάληπτον: nec poſterius dici poteſt. Nam ſi remiſſio & vita non impetrata per Chriſti mortem reprobis offerrentur, daretur aliud ſub cœlo nomen, per quod oporteat homines ſalvari præter nomen Chriſti, quod abſurdum eſt. 2. *Pater* dedit Filio poteſtatem dandi vitam datis ſibi à Patre tantum, *Ioh.* 17. Atqui reprobi non ſunt dati Filio à Patre. Pater ergo non dedit Filio poteſtatem dandi vitam æternam reprobis. Ergo neque poteſt Filius ex ſua & Patris intentione vitam & remiſſionem iis offerre. Dici enim non poteſt à Patre acquiſiviſſe poteſtatem abſolutam remittendi peccata reproborum; eam enim habuit communem

cum

cum Patre ab æterno. Poteſt enim Deus abſolutâ potentiâ omnium condonare peccata, citra Chriſti ſatisfactionem, id quod ſolide, ut & omnia probat *Gul. Tuiſſus*. Si vero Chriſtus poteſtatem ordinariam & judiciariam remittendi peccata reproborum morte ſua acquiſivit, ita ut non obſtante juſtitia Dei potuiſſet iis omnia delicta condonare, tum Chriſtum reproborum peccatis non poſſe non ſatisfeciſſe credo: atqui hoc eſt falſum: nec enim Chriſtus reproborum perſonam in ara crucis geſtavit, nec pro peccatis ipſorum ſatisfecit? tum enim ex ordine juſtitiæ non poſſunt ipſi ſuorum peccatorum pœnas luere. 3. Chriſtus ſolis electis impetravit & potentiam remittendi & actualem remiſſionem, quia & potentia remittendi & actualis remiſſio oriuntur ex ſatisfactione præſtita: ſed forte qui contra ſentiunt, intelligunt potentiam remotam, quæ fundatur in ſola infinita ſufficientiâ mortis meriti Chriſti: at neque dici poteſt in tali potentia fundari voluntatem Dei conditionatam conferendi reprobis ſalutem, quoniam ſalus conditionata euangelio promiſſa eſt à λύτρῳ formali & actuali pro peccatis ſatisfactione, ut effectus ex cauſa meritoria: Et ſic dicendum, Chriſtum morte ſua vitam reprobis meritum eſſe. Dicent ex hoc quod Chriſtus λύτρον infiniti valoris Deo obtulit, eum poſſe remittere reproborum peccata, ſi crediderint. Audio comentum inauditum: quorum nomine Chriſtus λύτρον obtulit? Reproborum ne? Ergo abſolute ipſos

redemit: nam pro ipſis pretium numeravit. Electorumne? At fare quæſo? an quia Deus pretiū numeravit ſolorum electorum nomine juſtitiæ divinæ, dici poſſet eum poſſe, non obſtante juſtitia, reproborum peccata, pro quibus non ſatisfecit, condonare? Ego vero, quæ mea eſt infantia, non video quî Chriſtus poſſet eorum peccata condonare, pro quibus non ſatisfecit juſtitiæ Dei. 4. Chriſtum pro omnibus & ſingulis ſufficienter mortuum eſſe, nuſquam ſcriptura innuit. Nam (*pro*) notat intentionem morientis, nulla vero fuit in Chriſto intentio moriendi pro reprobis, neque ullo ſenſu dici poteſt Deum decreviſſe, ut mors Chriſti eſſet ſufficiens omnibus redimendis: ea enim ſufficientia & materialis cauſalitas ineſt morti Chriſti antecedenter ad Dei decretum, & ex intrinſeca virtute citra omne decretum eſt infiniti valoris, ideoque non nego λύτρον materialiter ſumptum eſſe omnibus & ſingulis ſufficiens: at non eſt formaliter λύτρον, niſi quatenus perſolvitur nomine eorum, pro quorum peccatis Chriſtus ſatisfecit, quibus nullo modo accenſendi ſunt reprobi. Hic obiter notari velim vanitatem ratiocinationum Remonſtrantium, qui dicunt nos enervare omnem vim meriti Chriſti, erga reprobos. *Voluntas itaque* (inquiunt) *divina ſola cauſa eſt, quâ fit, ut vis meriti Chriſti, per ſe & in ſe alioquin ſufficiens, non pertingat ad eos nullâ propriâ aut vincibili eorum culpâ.* Sed Reſp. 1. Statuimus & palam profitemur ſolam Dei voluntatem acceptantem ſatisfactionem

Remonſtr. in Apol. c. 8. fo. 98.

ctionem Chriſti facere mortem Chriſti formaliter λύτρον: Pretium enim captivi redimendi eſt formaliter pretium, quatenus numeratur à perſolvente, & acceptatur ab eo, cui perſolvitur. Sit pretium ſufficientiſſimum, ſi non & perſolvatur nomine captivi, & acceptetur ab eo qui captivum detineat, non eſt formaliter λύτρον. 2. Falſum eſt ſolam Dei voluntatem eſſe cauſam, cur vis meriti non pertingat ad reprobos: eſt enim ſola cauſa prima & remota: at reproborum malitioſa rejectio Chriſti eſt cauſa proxima, quâ admirandâ conſociatione ipſorum obſtinatus animus liberrime id reſpuat & amplecti nolit, quod abſoluta Dei voluntas ad ipſos pertinere nollet, & quoniam libere indulgent infidelitati ſuæ, jure meritiſſimo plectuntur. 3. Cupimus, ut nos doceant, quid commeritus ſit Chriſtus reprobis? Non fidem, non regenerationem: id enim ipſi reſpuunt p. 95. c. 8. nimirum commeritus eſt iis ut poſſint credere vel non credere, id quod ab inſtinctu humani arbitrii eſſe credunt, ſiquidem ſincerè agere didiciſſent. 5. Proponatur à Deo, *Iudæ, Simoni Mago*, aliiſque reprobis univerſal. promiſſio: Intendo & decerno vobis ſalutem, ſi credideritis in filiũ meum. Illud (*Si*) vel referatur ad Dei intellectũ, vel ad Dei voluntatem decernentem. Si ad intellectum: dubia erit Dei ſcientia, quod abſurdum. Si ad voluntatem, pendebit Dei voluntas in bivio à conditione præſtandâ, vel non præſtandâ: atqui voluntas Dei utpote infinita à nullo agen-

te externo dependet, nec aliunde, quam à ſe determinatur, id quod non diffitentur Remonſtrantes. 6. Si ſtrictè & propriè loquendum, ne quidem Dei voluntas conferendi electis ſalutem eſt conditionata. Ergo multo minus eam reprobis conditionatè vult. Prob. anteced. Quia conditio fidei non proprie pendet ab electorum arbitrio, ut ſit, vel non ſit ſed ab abſoluta Dei gratioſâ voluntate *Epheſ.* 2. 1. *Phil.* 1. 23. Ideoque hoc (volo dare vitam æternam electis, ſiquidem crediderint) æquipollet huic (volo ex abſoluta libertatè dare electis vitam, ſiquidem voluero ex eadem meâ abſolutâ libertate dare fidem) at quid hoc aliud eſt, quam ſi Deus diceret: (volo electis dare vitam, ſiquidem voluero dare vitam) non eſt hæc voluntas conditionata, quando & conditionatum & conditio pendent abſolutè ab unâ & eâdem Dei abſolutâ voluntate; pari enim ratione mundi creatio eſt conditionata: nempe ex hypotheſi quod creare decreviſſet. Sic ſi pater filio cupienti hæreditatem, eam dare velit, ea conditione, ut centum talenta, quibus ipſam redimit, dare velit, quid hoc aliud eſſet quam patrem dare filio hæreditatem, ex hypotheſi, quod eam dare velit, quam voluntatem conditionatam in rigore nemo appellaret. Conditio vero poteſtativa ad eſſe & non eſſe (ut loquuntur juriſconſulti) Deo nullo modo competit: promiſſiones in verbo vero proponuntur conditio-

Remonſt. in confeſſ. c. 2. ſb. 7.

ditionate, ad ingenerandam in nobis piam ſollicitudinem ea præſtandi officia, quæ Deus adipiſcendæ ſalutis antecedanea eſſe voluit. Non igitur dicimus Deum velle dare vitam reprobis, ex hypotheſi, quod fidem dare velit: *Arminiani* vero accerrime digladiantur & concertant nobiſcum pro conditionibus, quæ Dei voluntatem determinant: eas enim conditiones volunt, quas ex humano arbitrio ſuſpendunt. Ideoque clamitant promiſſiones æternæ vitæ conditionatas non poſſe ſubordinari decreto abſoluto, quod antea illud bonum erat abſolute deſtinatum: quod eſſet verum, ſi tales eſſent in ſcriptuis conditiones Dei voluntatis determinativæ, quales illi ſomniant. Dicunt noſtri, fidem non eſſe conditionem moventem Dei voluntatem, & tamen ſalutem noſtram eſſe conditionatam, quod eſt veriſſimum. Nam Deus non vult nobis aliam vitam, quam quæ antecedaneam habet fidem, & tamen nullo modo movetur Dei voluntas à fide noſtra. Hoc itaque ſacræ theologiæ myſterium eſt, Deum offerre reprobis vitam æternam ſub conditione fidei, & tamen eam vitam nec eſſe partam Chriſti meritis, nec Deum decreviſſe ipſis fidem dare: neque dicendum Chriſtum indefinite præſtitiſſe infinitam ſatisfactionem pro omnibus & ſingulis hactenus, quatenus juſtitiæ pro omnibus ſatisfactum, ita ut liberum ſit Deo omnium & ſingulorum peccata remittere, vel non remittere,

Remonſt. in ſcript. ſynod. ar. 1 p 222. 223.

Cujuſmodi fides ſit quam Deus in euangelio à reprobis flagitat.

quia Chriſtus pro quibuſdam nominatim ſatisfecit juſtitiæ Dei, & pro nullis aliis. At dicunt, fruſtra poſtulari fidem à reprobis, niſi ita pro illis mortuus eſt Chriſtus, ut poſſit Deus, non obſtante juſtitiâ, ipſorum peccata remittere. Sed nego conſequentiam. Nam ex ipſorum doctrinâ, qui ita opinantur, pari ratione dici poſſet, fruſtra poſtulari fidem ex viribus gratiæ mediatoris ſanguine commeritæ ab iis, quibus mediator nullam talem gratiam commeritus eſt. At ipſi docent, gratiam credendi meritis Chriſti, reprobis haudquaquam eſſe partam, & tamen ab iis fidem poſtulari jure merito. At vero ſi Deus poſtulando à reprobis fidem, mandato euangelico ipſius intentionem dandi fidem revelaret, conſequentia majorem veritatis ſpeciem haberet. At vero mandata & promiſſiones euangelicæ Dei intentionem, ut reprobi obedirent, reprobis non exprimunt, ſed tantum iis revelant ſanctam illam concatenationem, tum inter fidem & ipſorum credendi obligationem, tum inter fidem & vitam æternam: quæ quidem concatenatio abſtrahit à Dei decreto & intentione de actuali efficientia obedientię mandatę, & ab omni Dei intentione terminata in actualem obedientiam reproborum, tantum revelat reprobis ſanctam & æquam Dei complacentiam in fide reproborum, quam complacentiam Deo viſum eſt revelare iis, partim mandatis, partim promiſſis, partim euangelicis minis. Non vero revelat reprobis intentio-

tionem ipſius eſſe, ut obediant: nihil enim tale intendit aut vult, ut ſic admirando modo ita rei ſint reprobi, ut Deus intentione excidere non dici queat.

10. At dicit *Arminius*, Deum poſtulando fidem à reprobis, præ ſe ferre, ſe poſuiſſe ipſis Chriſtum ipſorum ſalvatorem eſſe, quod eſt falſum: Ergo præ ſe fert, quod non vult. Reſp. 1. Hoc (reprobi credite, & ſalvi eritis) præ ſe fert (reprobi, ſancta mea voluntas fidem & ſalutem concatenavit, vos autem credere obligamini) at Deum hic præ ſe ferre, ipſius eſſe intentionem & decretum, ut reprobi credant & ſalventur, præ ſe fert inſigne mendacium. 2. Quamvis Deus non poſuerit Chriſtum ſalvatorem omnium, etiam reproborum, tamen jure exigit, ut totâ fiduciâ recumbant in ſalvatorem ſufficientiſſimum omnibus credentibus; & jure rei ſunt, quia nolunt ſe dedere Chriſto, qvamvis Chriſtus ipſos amplecti ab æterno nunquam decreverit. Quid etiam abſurdi rationi humanæ, invitare ad convivium Deum quam plurimos, quos venire non decrevit, & jubere amplecti Chriſtum ſalvatorem ipſis æterno Dei conſilio nunquam deſtinatum? *Abrahamo* præcipit verbo immolationem *Iſaaci* nunquam Dei decreto deſtinatam & volitam: dices eum verbo ſuo diſſimulatorem agere, aliud loqui, aliud velle. Reſp. Non ſequitur. Nam vult obedientiam omnium externe vocatorum ſibi complacere, etſi plerique non obe-

obediant: hoc eloquitur & nihil aliud, neque intentionem ſuam & decretum Deus ſermone ſuo exprimere tenetur. Quiſquam mortalium *Iehovam* loqui docuit? licetne ei, ſenſa mentis, pro ut vult, exprimere?

11. At obloquitur infœlix ingenium *Vorſtij*, ſi crederent reprobi, fruſtra eſſe: nam Chriſtus prò ipſis nòn eſt mortuus, ideoque poſita fide reproborum, ipſorum ſalus eſt impoſſibilis, quoniam iis nec vitam nec remiſſionem meritus eſt Chriſtus. Reſp. 1. Nec *Arminiani* audent dicere reprobis partam eſſe remiſſionem actualem, ſed neſcio quam potentialem, quæ per actum fidei compleatur, quaſi vero fides noſtra eſſet pars collateralis ſatisfactionis. 2. Deinde qualem remiſſionem Chriſtus impetravit, talem communicat: at perfectam & actualem impetravit, non potentialem. (Siquidem remiſſio in pòtentiâ, non eſt remiſſio) *Col.* 2. 14. 15. 3. Reprobum eſſe, & credere, ſunt ἀσύςατα, ſi crederent, decreta fuiſſet eòrum fides, & ſi decreta fides, etiam decreta & ſalus, ideoque ex impoſſibili ſuppoſitione nihil ſequitur. Nam in Dei decreto, hæc reciprocantur) Chriſtus mortuus eſt pro credentibus) & (ſoli ſunt credentes, pro quibus Chriſtus eſt mortuus,) & tandem aliquando, re ipſa hæc reciprocantur etiam & in idem coincidunt ſuo tempore.

12. Quomodo electi ignari non minus intentionis divinæ, quam reprobi, quando primo

mo audiunt promiſſiones, ſciant ſe debere credere? Reſp. Recumbendum eſt illis in Chriſtum omnium credentium ſalvatorem, & tum conſtabit iis de intentione Dei. 2. Sicut agnus ſolo inſtinctu matrem internoſcit ab aliis ovibus, ita nati à Deo inſtinctu ſupernaturali in Chriſtum innituntur, quod reprobi tali inſtinctu deſtituti, non poſſunt facere. At dicunt non poſſe non ſolutum eſſe redemtionis pretium pro omnibus, quibus offertur. Reſp. Si ſermo ſit de oblatione ex divina intentione, negatur talem reprobis fieri oblationem; ſi ſermo ſit de oblatione euangelica, negatur connexio: nam non magis abſurdum eſt verbo offerri Chriſtum iis, pro quibus tale pretium non numeravit, quam Pharaoni præcipi, & *Abrahamo*, quæ Deus fieri non decrevit.

13. Deum vero obedientiam reproborum intendere, & intento fine excidere, abſque inſigni, in Dei majeſtatem, contumelia, dici non poteſt. Sed quo fine (inquies) hortatur Deus in euangelio, quos nunquam obedituros præſcit? *Gul. Pembe Oxonienſis*, Deum eo fine hortari, ut reprobis declaretur ipſorum officium, & quæ ſit grata & accepta Deo obedientia. Sed videtur vir eruditus finem non aſſequi: nam hortari eſt officium declarare. Ergo declarat reprobis officium, eo fine ut declaretur officium, atqui idem non eſt ſui ipſius finis. Dicunt alii, reprobos non propriè, & per ſe hortari, ſed per concomitantiam, *Vindic grat.*

quatenus electis externa ſocietate permiſcentur, ideoque ſicut natura pluviarum demiſſione ſatorum, non rupium intendit irrigationem, ita Deum, ut electi præcipuè obediant & ſalventur; hortari omnes in eccleſia, non reproborum cauſâ: ſed hi aliquid dicunt: verbum enim præcipuè mittitur ad electos. Hinc epiſtolæ *Paulinæ* inſcribuntur, ſanctis, dilectis, vocatis, ſanctificatis, fidelibus fratribus: Et ſi quis eſt cœtus, in quo nemo eſt electus, videtur quod Chriſtus candelam ſuam, quâ æs amiſſum quæreret, non eſſet ibi accenſurus. Sed hi omnem veritatem non aſſequuntur: non enim caſu, ſed certo fine, Deus ſemen curat ſpargendum in corda ſaxea: quæſtio enim manet, quo fine Deus hortetur reprobos electis commixtos, nec enim caſu hoc eſt factum, ſed Dei conſilio. Quid ſi hic pia ignorantia exclamaremus cum *Paulo*? *O altitudo &c. Rom.* 11. Ille enim illic diſputat de externa Judæorum vocatione, inter quos ſoli electi aſſequuti ſunt promiſſiones, reliqui occalluerunt.

14. Satis nobis eſt, poſthabito fine *Arminiano*, quod nempe Deus reproborum obedientiam intendat, cum ſcripturis dicere, Deum ipſos hortari, ut inexcuſabiles ſint, *Act.* 13. 46. Poni Chriſtum ut ſit ſignum contradictionis, *Luc.* 2. 34. Lapis & Petra offenſionis 1. *Pet.* 2. 7, 8. ut ſciant inter ipſos fuiſſe Prophetam, *Ezech.* 2. 5. ut ſit iis in teſtimonium, *Matt.* 24. 14. ut judicentur ſecundum

audi-

auditum euangelium *Matt.*14. 15. ut induren-
tur *Eſai* 6. 9,10 *Mat.*13.14,15,16. ut declare-
tur gloria potentiæ in vaſis iræ *Rom.*9. 23. At
de fine *Arminiano* ne ſyllabam vel jota habet
ſcriptura. Deū excidere fine intento non poſſe
probatur. 1. Deus noſter eſt in cœlis, & fa-
cit quodcunq; vult. Ergo non excedit in-
tento volito. Reſp. *Schaaſmannus*, Deum vo- *Schaaf. de præd.* 1 *p. l.* 1. *cap.* 9.
luntate abſolutâ, quâ mundum creavit, fa-
cere quodcunque vult, non vero conditionata:
hæc enim non armatur omnipotentia. Reſp. 1.
Deus voluntate, qua eccleſiam libere bellan-
tem & hoſtes profligantem actu libero fa-
cit, quod vult. Nam *Pſal.* 115. eſt ora-
tio eccleſiæ triumphantis in Deo, de idolis
gentium: atqui talis voluntas *Schaaſmanno* eſt
conditionata. Ergo nulla eſt ipſius diſtin-
ctio. Quis enim ignorat eccleſiam gratias
agere Deo eo pſalmo de victoriis, quibus
potiti ſunt miniſterio cauſarum contingentes
operantium, ut patet ex v. 2. 2. Hoc re-
ſponſo non ſeparatur Deus ab idolis gentium,
quæ illi credebant agere, quodcunque vo-
lunt, conditionatè, ſi fortè Deus non ob-
ſtitiſſet. 3. *Pſ.* 135. Nota eſt hæc divinitatis
ratione cujus laudibus efferendus eſt, &
Deus, quod nempe, quodcunque voluit
in cœlo, mari & terra faciat: at quatenus non
faciat, quod vult in terris, eatenus non eſt
omnipotens, non Deus, non laudibus effe-
rendus: quid abſurdius? *Daniel.* 4. 35. *Quod-
cunque vult facit in exercitu cæleſti, & habitatori-
bus*

bus terræ, neque manui ejus reſiſti poteſt. Arminiani libera agentia, quæ terram incolunt reſiſtere voluntati Dei clamitant: At abſolutâ voluntate nihil agere per agentia libera. At contrarium clamat textus ille. Nam 1. *verſ.* 23. Dat Deus regna hominum, quibus vult. *at ibid.* Dat per milites, duces, principes, qui liberrime pugnant, & eripiunt regna, & in hoc elucet Dei invictum in homines dominium, quod tyrannus ille *Babylonicus* agnoſcere noluit, 2. *v.* 34. & 36. Acceptum fert abſolutæ Dei voluntati (non conditionatæ, cui reſiſti poteſt) quod proceres ipſum requiſierint, & ſolitis honoribus affecerint: at vero non neceſſario, ſed liberrime proceres Tyrannnum denuo honoribus affecerunt. 3. Ad thronum denu oevectus erat per bella liberrime pugnata, ut ex hiſtoriis conſtat. At v. 37. hoc nomine Deum cœli laudibus effert invictæ omnipotentiæ, quâ faſtuoſos dejicit. Ergo Deus per agentia libera quodcunque voluit, fecit, nec eſt agens liberum, quod ipſius potentiæ poteſt contraniti. Idem probatut luculentiſſimè *Eſai.* 14.24. *Prout ego decrevi, ita fiet.* Ibi probat *Medos Chaldæos* deleturos, ratione à decreto invincibili, ubi diſtinctio de voluntate abſolutâ & conditionatâ ex textu diſſipatur. *Medi* enim liberrimè *Chaldæos* vaſtârunt, & tamen voluntate Dei, cui reſiſti non poteſt, id factum eſt, alioqui Deus falſum eo loci juraret, quod eſt blaſphemum.

2. Cui-

15. 2. Cuicunque prædicatur verbum, id aſſequitur, quod Deus intendit: nam non poteſt vacuum ad Deum reverti *Eſai.* 55. 11. Ergo ſi Deus per verbum reproborum obedientiam intenderet, procul dubio obedirent. Non ergo Deus fine per verbum intento, excidere poteſt. Et Deus *Ezech.* 2. *v.* 7. aperte dicit *Iſraëlitas* non obedituros, vult tamen Prophetam loqui; quaſi vero Deus diceret eo loci, ſcio eos non obedituros, volo tamen & intendo ut obediant. Sed audiat lector mirum commentum Remonſtrantium, qui volunt, poſtquam Deus fine excidit, manere hypotheticam intentionem in Deo. O prodigium! Deus etiam hodie habet intentionem conditionalem ſalvandi *Iudam*: & *Pharaonis* obedientiam vult, intentione ſcilicet optativâ, etiam poſtquam æternis pænis eſt adjudicatus. *Apolog. c.* 17. *fol.* 161.

16. 3. Id Deo non competit, quod in ſcripturis habetur, pro gravi judicio & maledictione: at conſilio & intento fine excidere eſt reproborum maledictio *Pſ.* 2. 4. *Pſal.* 33. *v.* 10. *Eſai.* 8. *v.* 9. *Eſai.* 29. *v.* 7. *Ier.* 19. *v.* 7. *Iob.* 15. *v.* 12. 13. Sic vero Deo in cœlis ridenti irrita & vana hominum conſilia, ii in terris ſcommatum talionem referre poſſent.

4. Quod eſt divinæ perfectionis nota, ejus contrarium Deo affingi non poteſt. At ad finem intentum pervenire, eſt tale: Ergo

&c. Minor eſt, *Iob.* 23. 13. *Deus unum agit: quis revocet eum? quod animus ejus cupit, id efficit.* An ergo animus Dei obnixè cupiet obedientiam reproborum, & id non efficiet? Sic enim perit id diſcriminis à ſcripturis aſſignatum *Pſal.* 33. *v.* 11. inter hominis conſilia, quæ infringi poſſunt, & Dei conſilia, quæ in omnes ætates conſiſtunt. 5. Quod hominibus ut pars beatitudinis tribuitur, & nullam includit imperfectionem, id Deo detrahi non poteſt: at tale eſt ad finem intentum pervenire. Ergo. Minor eſt *Iob.* 22. 28 *Quum primum decernes ſermonem, præſtabitur tibi. At non eſt* (inquit *Corvinus*) *ex defectu potentiæ quod Deus deſideriis fruſtretur, ſed ex modo & termino, quem iſtius potentiæ exercitio poſuit ſapientia, quia non tanquam alicujus rei indigus deſiderat; ideoque ſi impleretur deſiderium, nihil ad beatitudinem Dei conferret. Ibid. poſſetque, ſi vellet, iis deſideriis impleri.* Reſp. 1. Non eſt ex Dei ſapientia, quod Deus fine excidat. Nam non intendit finem ex ſcientia, Ergo nec ex ſapientia: at vero ſapientiam abſque ſcientia fingere vanum eſt. 2. Quæro ex *Arminianis*, an aliquid divinæ beatitudini decederet, ſi fine abſolute intento excideret? Credo non, & quando mundi creationem intendit, non id facit tanquam alicujus rei indigus, & tamen ſi Deus abſoluta intentione excideret, non eſſet Deus. 3. Infinitæ Dei perfectionis eſt, quod voluntas non poſſit magis ferri in volitum,

Corvin. contr. Molinæ cap 5. ſ 8.

Vide Vaſquez. tom 1. diſ. 87, c 4.

ſitum, quod facere non poſſet, quam quod intellectus poſſet ferri in falſum. 4. Creaturæ ſæpe ex finibus aſſecutis non ſemper ſunt feliciores; quin improbi hoc ſunt miſeriores, quod conſilia prava executioni mandent, & tamen, quia fine excidunt, produnt ſe non eſſe αὐτάρκεις, quod de Deo dici non poteſt. Cujus volitiones ſunt licitæ. 4. Si Deus poſſet deſideria ſua implere, cur non implet? Nempe reclamat & obſtat ſapientia & juſtitia; apage potentiam in Deo aliquid faciendi contra ſapientiam & juſtiſtitiam, quaſi poſſet iniqui aliquid facere, quæ vera eſt impotentia, & Deum in non Deum transformat, ideoque impoſſibile eſt Deo ſalvare reprobos.

2. Reſp. *Corvin. Si deſideria Dei conſiderantur, quatenus à juſtitia moderantur, ac unum quodque deſiderium, ac unaquæque voluntas ex objecto adæquato exiſtimetur, tum certe quatenus Deus deſiderat hominum ſalutem, eatenus id deſirium impletur, puta, quia eam non deſiderat, niſi quatenus id juſtitia permittit: cum vero id dicimus non impleri, tum abſolute conſideramus, puta, quatenus ſimpliciter de divina bonitate eſt, quatenus damnantur ſæpè quos Deus ſalvos velit.* Reſp. 1. Si Dei deſideria ſpectentur, ut inſcitia modificantur, ſemper implentur. Aſſumo: atqui ex *Arminio* diſp. publ. 4. theſ. 73. 74.] & *Corvino* juſtitia Dei ſemper moderatur naturalia Dei deſideria in uſu & exercitio reproborum obedientiam & ſalutem. *Corvin. cont. Molina c. 5. ſ. 2.*

S 2 Ergo

Ergo (inquam ego) inclinatiòne ſeu potentiâ tantum tendente in amorem juſtitiæ vult obedientiam & ſalutem reproborum, atqui inclinatione naturali juſtitiæ, pari ratione vult reproborum inobedientiam ad exitum. 2. Dicunt *Arminiani*, Phariſæos irritum feciſſe Dei conſilium *Luc* 7. Quæritur an rejecerint Dei conſilium in actu & exercitio, an non? Si primum, non erat Dei conſilium juſtitiâ modificatum, ut Phariſæi obedirent & ſalvarentur. Nam tantum Phariſæorum obedientium ſic vult obedientiam & ſalutem. Si rejecerunt Dei conſilium, prout vacat omni juſtitia, tum quoniam rejecerunt euangelium, quod eſt Dei decretum de ſalvandis fidelibus & damnandis infidelibus, ſequitur euangelium vacare omni ſapientia & juſtitia Dei, quo quid abſurdius? Continet enim euangelium *Epheſ* 3. 10. imperveſtigabiles opes Chriſti & πολυποίκιλον σοφίαν Θεȣ͂, & declarat nobis Dei juſtitiam *Rom.* 3. 21, 22, 23. R. 7. 12. Lex ſancta, mandatum ſanctum, juſtum bonum. 3. Reprobi contraveniunt actui Dei voluntatis in uſu & exercitio: atqui ſic voluntas Dei utpote determinata à ſapientia & juſtitia Dei vult tantum obedientiam & ſalùtem electorum: non ergo eſt voluntas in Deo, cui reprobi contraveniunt. 4. Quæro quando non impleatur Dei deſiderium, nempe quando vacat ſapientia: at tum reprobi peccant non in Dei ſapientiam & juſtitiam, ſed tantum

in de-

in deſiderium & inclinationem Dei naturalem, puta cognitionis expertem: at graviter peccant reprobi in omnes Dei proprietates, inprimis in ſapientiam *Pſal.* 50. 21. & juſtitiam & longanimitatem, *Rom*, 2. 4. 5. Deus tantum in exercitio vult homines obedire & ſalvari, quatenus juſtitia permittit. Aſſumo: atqui juſtitia permittit tantum obedientes ſalvari ex *Arminio*. Ergo non intendit ac vult Deus obedientiam reproborum. 6. Homines contraveniunt antecedenti Dei voluntati, non ſimpliciter, ſed quatenus eſt in cerebro *Arminiano*, ſalva res eſt.

17. 7. Deus quorundam ſaltem reproborum obedientiam non intendit. Ergo à pari, nec omnium intendit. Prob. anteced. Poſtquam Deus prædixerat fore, ut *Abſolomus* patris torum pollueret, *Hazaël* mulieres Iſraëlis prægnantes diffunderet, non potuit Deus per legem naturæ aut verbum ipſis prolatum intendere, ut obedirent Deus n. ſic & intenderet caſtigationem *Davidis* per inceſtũ Abſolomi, & Iſraëlis per crudelitatem barbaram & immanem *Hazaëlis*, & non intenderet, ſed ut *Abſolomus* & *Hazaël* abſtinendo illis facinoribus obedirent, & ſic in Deo eſſent duæ contradictoriæ intentiones, quod abſurdum. Deinde, nec electorum obedientiam ſemper intendit: poſtquam enim per *Zachariam* prædictum erat cap. 13. ut diſcipuli ſalvatorem abnegarent, & derelinquerent (erat enim hæc pars paſſionis ſalvatoris, quod à ſuis derelinqueretur, 2. *Reg.* 8. 12. 14.

 & præ-

& prædicta, & à Deo decreta.) Quis crederet Deum intendere, ut diſcipuli ipſum coram hominibus confiterenter? Sic enim Deus & intendiſſet, ut non adhærerent (quod eſt contradictorium) ſalvatori, & ut adhærerent.

18. 8. Quod Deus præſcit nunquam fore, illud non intendit, nemo enim ſapientem intentionem talem putaret: atqui Deus præſcit fore ut reprobi nunquam obediant. Erg.

Armin. Antiperk. p. 667. Corvin. cont. Molina c. 5. ſ. 7. Reſpond. *Arminius, Deum non ſemper ex præſcientiâ ſibi finem intendere, ſed tantum* (inquit *Corvinus*) *ex affectu & bonitate naturali.* Reſp. 1. Si Deus nihil certi habet de futuritione vocatorum, ſine ullo actu providentiæ vel voluntatis, vel ſcientiæ, ruunt in peccatum & æternum exitium omnes homines reprobi & ſpiritus tenebrarum, & ſic providentia, quæ curat caſus capillorum, & volatulos ſalaciſſimorum paſſerum, nec præſcit, nec curat lapſus tot nobiliſſimarum creaturarum. Quin

Armin. Antiperk. p. 665. & *Arminius* ipſe Antiperkinſius, *ait gratiam ſufficientem adhiberi decreto providentiæ, cum certâ præſcientiâ fore, ut rejiciatur à libero hominis arbitrio*, quam ſententiam ait eſſe *Auguſtini* & forte etiam ſcripturæ. At vero gratia ſufficiens in viſibili eccleſia non eſt ſeparanda à verbo, imo ſi candidi ſunt *Arminiani*, eſt tantum ipſum verbum; & qualis Deus *Arminianus*, *Anthropomorphiticusne* an *Epicureus*, qui nulla providentia ſpargit ſemen verbi? Hactenus ſemper à theologis omnibus creditum,

ditum, Deum nihil agere niſi certâ providentiâ: at hoc mihi videtur myſterium. Præſcit Deus poſſibile eſſe ut reprobi vocati pareant vel non pareant, quia tam præſcientia quam voluntas antecedens deſtruit libertatem hominis, ideoque hic conſultiſſimum ducunt, præſcientiam Dei ſepelire: at certe hoc eſt *Ciceronis* non *Chriſti* euangelium. 2 Intentio eſt volitio finis: at vero fatetur *Arminius*, Deum nihil velle, niſi quod cognoſcat. Ergo non poteſt velle reproborum obedientiam, niſi ipſam cognoſcat: atqui ſic hæc Dei volitio erit appetitus brutus & bruto deterior, qualis eſt appetitus lapidis in centrum inclinantis, abſque omni cognitione. Expers ergo erit rationis ille creator (horreſeco referens) qui animam rationemque in homine finxit. At, ſtulte, qui oculum formavit, nonne ipſe videbit? *Pſal.* 94. 3. *Arminius* ipſe exercituum omnium affectuum in Deo, ſubjicit ſapientiæ, cujus eſt (inquit) ſingulis, objectum, modum, finem, circumſtantiaſque præfigere. Ergo ſapientia modum, objectum, finem præſcribit Dei intentioni, quâ vult affectu naturali reproborum obedientiam, imo (inquiunt *Davi*) ſapientia finem præſcribit non ſcientiam. O ſapientiam inſipientem, quæ ſcientia vacet. 4 Cautè pro ſuo more dicit Deum (non ſemper) intendere finem juxta præſcientiam: at dic, *Iacobe*, ex conſcientia tua, quare Deus in naturalibus finem intendat ex præſcien-

Diſp pub. 4. theſ. 49.

Armin. diſ 4. theſ. 73.

ſcientiâ, nempe quoniam credis Deum futurorum contingentium non eſſe præſcium. 5. Forte dicit, non ſemper Deum intendere finem ex præſcientia, quia vocat electos ſecundum decretum prædeſtinationis, quo præſcit eos obedituros, non vero ſic vocet reprobos, at quæ ratio vocationum tam diſparium? fieri enim poteſt ut electi & reprobi, quoad præſentem conditionem æque ſint boni & obſequentes: nulla cauſa hic eſt, niſi ad decretum prædeſtinationis abſolutum recurret, ut diſcrimen inveniat: at hoc *Iacobo Arminio* diſplicet tanquam anguis aut ſerpens *Epidaurius*. 6. Scriptura ait euangelium Corinthiis proponi, Deo præſciente fore, ut invictus populus Deo congregetur, & gentibus *Act.* 13. Deo prædicente, juxta *Eſaiæ* vaticina fore, ut aperiantur ipſorum oculi, & Iſraëlitis, Deo præſciente eos non audituros *Ezech.* 2. Ergo præſcientia Dei hic intentionem comitetur, neceſſe eſt. At ſcio ipſos dicere Deum præſcire inobedientiam reproborum, at eam non intendere juxta præſcientiam: at vero rationem cedo, cur non ſecundum præſcientiam intenderet? Hic hærebunt. At quando ſalvator dicit intendentem ædificaturam aut bellum virium ſuarum ignarum, temeritatis nomine apud omnes audire imprudentem, haud excuſari ſi dixerit ſe intendiſſe, non ſecundum præſcientiam eventus, ſed ex benevolo effectu, at quomodo hic Deum excuſabunt, qui ædifi-

dificationem animarum reproborum in Chriſto intendit, non juxta eventus præſcientiam? Sed tremenda ſunt Dei judicia in homines ſpiritu ſoporis percuſſos, qui veritati Dei cedere recuſant.

19. Alia eſt hic *Arminii* reſponſio, *Deum* hic non omni *fine* excidere. Nam ſatisfacit ſuæ bonitati & amori erga vocatos. Et *Corvinus* ait *Deum non præcisè intendere obedientiam & ſalutem reproborum, ſed vel gloriæ juſtitiæ illuſtrationem, vel ſalutem.* Reſp. Egregiè Dei perfectionem propugnant, qui volunt eum eſſe non omnino imperfectum, & votorum impotem, ſed tantum ſecundum quid. 2. Dato & conceſſo, quod ſatisfactio amoris divini ſit Dei finis, erit tantum finis generalis & communis, qui reprobos pariter & electos reſpicit. At quæſtio eſt, quo fine ſpeciali Deus vocet reprobos non parituros: itaque reſponſum eſt extra oleas. 3. Quomodo Deus bonitati hic ſatisfaciat, haud in proclivi eſt lectori divinare: bonum enim ex mente dantis æſtimandum putat *Arminius*, & ex fine propter quem datur: atqui hortationi nullum bonum intendit Deus, niſi ſalutem: hoc vero fine excidit: à ratione enim alienum eſt & bonitati Dei adverſatur, quod Deus intendat ſalutem reproborum, per vocationem talem, qualem ſemper fruſtraneam fore præſcit, & non intendat ipſam per talem vocationem, quæ, ſalvis omnibus Dei attributis, ipſorum ſalutem in-

Armin. Antiperk. ibid.

Corv. contr. Tilen. c. 12. pag. 488.

Armin. in declar. ſent. ſuæ p. 107.

declinabiliter productura eſſet: imo ſi Deus intendat & velit ipſorum ſalutem, ſic non bonitati ſuæ, ſed palpabili hypocriſi ſuæ ſatisfaceret. Qui enim intendat finem per media, quæ ſcit eſſe fini imparia & inidonea; & non intendit per media, quæ ſcit fini ita fuiſſe accommodata ut ipſum indeclinabiliter producerent, ejus intentio eſt hypocritica. 4. Vult Deum hic ſatisfacere amori & bonitati ſuæ, nempe quia non poteſt eſſe bonus, niſi omnes vocet ad obedientiam & ſalutem. Ergo quatenus ſpiritus tenebrarum non vocat, eſt Deus malus, & creaturarum minime amans, quam abſurdum? 5. At dicerent ipſam hortationem eſſe beneficium: atqui hoc largimur liberrime, age itaque, quando Deus præfractis & contumacibus beneficium ſæpius ſpretæ & ſuſquedeque habitæ vocationis indulget, eo fine ut gravius puniantur, (id enim docetur ab *Arminianis*) ex intentione Dei vocatio erit maximum malum & non bonum. Nam *Arminius* vult bonum æſtimari ex mente dantis, & fine propter quem datur: atqui juſtiſſima Dei mens male affecta eſt in contumaces, uti docent, & ipſos vocat ut gravius puniantur, quod eſt iis maximum malum: jam fare *Iacobe*, quomodo Deus ſatisfaciat bonitati ſuæ & amori. 6. Hortatio tantum facit bonum oblatum poſſibile reprobis. Ideoq; Deus hortando reprobos, offert bonum potentiale, & juxta Dei præſcientiam in graviores pœnas ceſ-

Armin. in declar. ſent. ſuæ pag. 107. edit. Bertii.

ſurum

ſurum, & infert malum actuale: ſcilicet hoc eſt ſatisfacere Deum ſuæ bonitati & amori. 7. At quæro cui bonitati ſatisfacit Deus, bonitati in creaturas collatæ? An naturali bonitati Dei ad intra? Si prius, nec adhuc ſatisfactũ tali bonitati: nam nihil boni reprobis confertur, quin imo miſeriæ graviſſimæ hoc bono implicantur. Si poſterius, non ſatisfieri omnino poteſt bonitati Dei naturali ad intra, quippe cum nihil additur, nihil adimitur, cui nec ſeritur, nec metitur, etiamſi nullos mortales vocaret ad beatitudinem. 8. In voce (præcisè) *Corvinus* præciſum impoſtorem agit. Non enim per (præcisè) intelligit intenſe & vehementer: cur enim Dei deſideria circa obedientiam, & ſalutem reproborum, ſint minus remiſſa, quam ipſius deſideria circa obedientiam & ſalutem electorum? In Dei prædeſtinatione, nolunt cauſam quæri: at alibi eſſe non poteſt; ſi per (præcisè) intelligit abſolute, tum Dei intentio circa obientiam & ſalutem reproborum eſt conditionalis: at qua conditione intendit ut reprobi obediant? Ex hypotheſi, quod velint, hoc eſt, ex hypotheſi quod obediant. En quas dictitat nugas? At vero ſi *Phariſæi* rejecerunt Dei conſilium conditionatum, id tam ponit Phariſæos non obedituros, quam obedituros, & ſic non eſt ſpretum. Imo ſi Deus intendit damnare Phariſæos, ſi non obedierint, tam non obediendo, quam obediendo, ſpernunt Dei conſilium: quo quid abſur-

abſurdius? ſic omnes electi obediendo ſpernunt conſilium Dei. 9. At per vocem (præciſè) vult Deum modo pendulo intendere vel obedientiam, ſi obedierint, vel non obedientiam, ſi non obedierint, & ſic vel gloriam juſtitiæ, vel miſericordiæ intendit Deus. Sed quæro cur Deus utrumque finem indeterminatè proponat? Nempe quoniam videt ſe alterutrum determinate (ut ita dicam) non aſſecuturum: at ſi hoc videt, conjicit & divinat, fore fortaſſe ut non obediat, ideoque ex ſcientiâ ſaltem conjecturali ſcit, ſe finem non aſſecuturum, ergo non intendit finem ex non præſcientia 10. Si ignorat intentum finem, quod eſt blaſphemum, quare ſub diſjunctione contrarios fines intendit? Hic capiantur neceſſe eſt: Deus enim ſic præciſe intenderit unum finem, niſi de ipſius aſſecutione dubitaret, ſi vero non dubitat, non poteſt utrum libet, ſub diſjunctione ſibi proponere. 11. Deum fluctuare inter duos fines contrarios eſt abſurdum: nam ipſius voluntas eſt infinita & à nullâ creaturâ determinata. *Aquinas. Si* (inquit) *præparatio ad gratiam, conſidereretur ſecundum quod eſt â Deo movente, tum habet neceſſitatem ad id, ad quod movetur, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quà intentio Dei deficere non poteſt. Suarez, ſic, præparatio mediorum confuſò modo & ſub diſjunctione, ut ſi unum medium non habuerit effectum, applicetur & aliud, non eſt conſentanea divinæ perfectioni.* Ita &Gre-

Aquin. 22 q. 112. art. 3.

Suar. l. 1. de prædeſt. c. 13. ſ. 5.

& Gregorius Valentia: quod Deus ſemel vult, ſemper & ab æterno in æternum vult. Et Petrus Fonſeca: voluntas Dei in particulari cum omnibus neceſſariis circumſtantiis accepta circa nullam rem in particulari eſt ſuſpenſa & indeterminata. Valent. tom. 1. diſ p. 1. q. 19 p. 4. Fonſeca metaph l. 7 c. 5. q. 5. ſ. 7.

10 Contendit vero *Arminius* Dei finem in vocatione reproborum nempe inexcuſabilitatem non eſſe finem per ſe. At quare? *Quia* (inquit) *hortatio non reddit inexcuſabiles in ſe ſpreta & rejecta, hoc autem accedit hortationi ex malitiâ vocatorum, neque illum finem intendit Deus, niſi & præſcius quod fruſtranea futura ſit admonitio, per malitiam vocatorum.* Reſp. 1. Aſſumo: Atqui obedientia accedit hortationi: eſt enim ipſius naturæ extrinſeca: ſalvatur enim natura hortationis, ſive homines obediant, ſive non. Nunquid igitur ex *Arminio* optime ſequetur, etiam obedientiam vocatorum non eſſe Dei finem per ſe, ſed per accidens? ut ſic inobedientia erit finis per ſe, quod abſurdum. 2. *Arminius* vult intentionem obediendi includi in conceptu quidditativo hortationis, quo nihil falſius. Sic enim Deus mandando *Iſaaci* immolationem, immolationem intendiſſet, quod quam ſit falſum, quis non videat? 3. Ipſa hortatio in ſe & ſua natura tollit excuſationem, & fundamentum ipſius (nempe non potui evangelio nunquam revelato obtemperare,) ſive homo obedierit ſive non, ſicut non revelatio per ſe excuſat non credentem: obedientia vero vel non obedientia vocati nihil

vel

vel addit, vel adimit eſſentiæ inexcuſabilitatis. 4. Deus (inquit) præſcius inanem fore admonitionem, intendit inexcuſabilitatem. Ergo (inquam) hortatio Dei præ ſe fert Deum velle ſalutem reproborum, & tamen non vult eorum ſalutem, ſed intendit eorum inexcuſabilitatem. 5. Cur Deus quoſdam ſecundum præſcientiam, quoſdam non ſecundum præſcientiam vocet? An cauſa eſt in abſoluta voluntate Dei, an non à pari, obedituros vocet, neſcius etiam futuræ obedientiæ? & ſic vocatio ſecundum nullam præſcientiam in Deo erit. 6. Quamvis inexcuſabilitas & damnatio non ſunt fines gemini reſpectu verbi, quod ex ſe ſuadet obedientiam & offert ſalutem, tamen Deo, cui nihil præter providentiam accidit, nullus eventus eſt per accidens, & qui hoc docent, non leviter peccant in providentiam Dei. 7 *Arminius* vult fundamentum inexcuſabilitatis eſſe verbi propoſitionem & potentiam obediendi ſufficientem: Ergo ſemper, & non quartâ aut decimâ admonitione, ſed primâ, Deus reproborum inexcuſabilitatem intendit, quod non feret *Arminius*. 8. Ut reprobi ſint inexcuſabiles eſt bonum: ergo à Deo intentum, qui eſt primum efficiens & ultimus finis omnis boni. At dicunt non eſſe bonum creaturæ: at quid ad hoc rem? Deus omne ſuæ gloriæ illuſtrandæ conducens intendit, nec menſurat bonum quod efficit aut intendit à convenientia vel diſconvenientia cum creatu-

rarum

rarum indole, ſed quatenus ad ultimum finem conducitur vel non. *Arminiani* vero cum Antiquioribus Anabaptiſtis contendunt, Deum impetu naturæ velle bonum creaturæ, ſicut corvi pullos, mater prolem ſuam diligit, quod falſiſſimum eſt. Nam Deus bonum creaturę libere vult: ſi enim naturaliter Deus vellet bonum creaturæ, non poſſet permittere peccatum, certiſſimam viam ad creaturæ interitum ineluctabilem, ſicut nulla mater ſciens & volens infantulum ad exitium ruere permitteret, ſiquidem ſalvo jure officii ſui, inhibere poſſet: ſed turpiter erratur quoties Deum humano pede homunciones audacter metiri præſumunt.

CAP. III.

An Dei beneplacitum ſit prima regula omnis juſtitiæ moralis in Deo erga creaturas, ut & bonitatis & miſericordiæ.

PRæſupponit quæſtio juſtitiam Deo ineſſe eſſentialiter & antecedenter ad actum beneplaciti divini: quis enim diceret Deum libere decernere ut ipſe ſit juſtus, & infinite bonus, quaſi eſſet libere juſtus, & libere bonus? & ſic poſſet eſſe non juſtus & non-bonus. Sed quæſtio eſt de juſtitia Dei erga creaturas: eadem diſputatio poteſt inſtitui de Dei miſericordiâ, quæ creaturas reſpicit. Volunt enim *Arminiani* miſericordiam hanc relativam

lativam eſſe in Deo naturale deſiderium; quod antecedenter ad creaturæ meritum aut demeritum ſalutem omium tum hominum tum angelorum cupit neceſſitate naturæ, ita tamen ut fixa & peremptoria voluntate non magis hujus, quam illius, miſereatur. At vero miſeretur Deus quorum vult, & libere: non ergo impetu naturæ. 2. Tale deſiderium expers cognitionis Deo eſt prorſus indignum. 3. Inclinatio in Deo vel naturalis tendentiæ in id quod certiſſime nunquam eſt futurum, eſt volitio æterna Dei fruſtranea, quod cum infinitate Dei pugnat.
Remonſt. in Apol. c. 2. f. 44. 4. Remonſtrantes in apolo. negant Dei voluntatem determinari ab ullo agente externo, quærimus quomodo ergo determinetur à miſeria creaturæ ad ipſis ſuccurrendum, naturali impetu. Volunt alii miſericordiam Deo quidem eſſentialem eſſe, ita tamen ut quoad actus ſecundos ſumat moderationem & determinationem à ſapienti Dei beneplacito, ideoque actum divinæ erga creaturas miſericordiæ, cauſam remotam eſſe Dei miſericordiam, propinquam vero beneplacitum Dei: cauſam itaque, cur Deus miſereatur indefinite, eſſe Dei miſericordiam; cur hujus potius, quam illius, miſereátur eſſe Dei beneplacitnm. Sed contra liceat mihi ſic diſceptare. 1. Miſericordia Dei eſt vel remota cauſa naturalis, vel libera: ſi primum, neceſſitate naturæ Deus indefinite miſeretur aliquorum ſaltem: atqui hoc eſt falſum: potuit

tuit enim omnes ad gloriam ſuæ juſtitiæ manifeſtandum rejeciſſe. Si ſecundum, idem ſequitur, nempe Deum poſſe vel omnium vel multorum miſereri: at dici non poteſt miſericordiam eſſe formaliter cauſam liberam; adde quod ſi miſericordia cauſa libera eſſet, non opus foret libero beneplacito, quo determinaretur. 2. Quod Deus agit ex miſericordia naturali, id non liberè, ſed neceſſario agit: miſericordia enim non eſt principium agendi in Deo, uſquequaque liberum. Dico itaque cum doctiſſimo *Gul Tuiſſo* miſericordiam Dei dupliciter conſiderari. 1. Ut eſt nativa & eſſentialis in Deo inclinatio ad ſuam bonitatem cum miſeris communicandam. 2. Ut miſericordia eſt creaturis manifeſtanda. Priore modo fateor me non poſſe videre (quæ mea forte eſt infantia) quomodo Deus poſſit miſereri creaturæ libere, ita ut actus miſericordiæ fluant à miſericordia Dei, tanquam à principio vitali & formali. Si enim actus miſericordiæ fluant à naturali Dei inclinatione propenſà ad ſuccurrendum miſeris, non poteſt non omnium hominum & angelorum miſereri. Quod enim fluit ab agente naturali, qua tali, id non ab eo fluit, fluxu libero, ſed neceſſario. Sicut enim nulla eſt ratio, cur ignis hoc lignum aridum admotum, non vero illud combureret, quia agens naturale æqualiter agit in omnia ſubjecta æque approximata & diſpoſita; ita nulla eſt ratio, cur Deus hujus

Tuiſſ. in vind. grat. l. par. 1. digreſſ. 9. ſect. 4. c. 1.

Potius, quam illius miſereatur. At vero longe alia eſt ratio miſericordiæ, ut eſt creaturis manifeſtanda: hæc enim miſericordia mihi videtur non nativa & eſſentialis illa quæ in Deo eſt, ſed relativa & σχετικὴ, quæ ineſt Deo ex libera determinatione divini beneplaciti, & hanc miſericordiam definio benevolum Dei affectum, qui Deo ineſt quatenus ex libero ſuo beneplacito creaturis miſeris ſuccurrit. Hic autem affectus benevolus præſupponit decretum & intentionem liberam miſerendi hinc fit, ut ſi Deus ex miſericordia naturâli miſereretur, non poſſit hujus non miſereri & illius miſereri, niſi in ſuam naturam miſericordē delinqueret. At procul dubio Deus non magis in miſericordiam, quam in juſtitiam ſuam poteſt peccare: at per relativā hanc miſericordiam, quæ præſupponit liberum Dei decretum reſpiciens hanc non illam perſonam, relinquitur Deo libertas miſerendi. Sed hæc miſericordia non eſt velleitas, ſeu naturalis voluntas ſuccurrendi omnibus miſeris, quantum poteſt, ſalva juſtitiâ & ſapientiâ. Quoniam non poteſt Deus velle aut agere contra id, quod per juſtitiam & ſapientiam licet: ſequeretur enim tum eſſe in Deo potentiam ſolutam à juſtitia & peccandi potentiam: dicerent forte Dei omnipotentiam abſolute conſiderari à theologis, ut antecedit actus divini beneplaciti, ipſi Deo liberè præſcribentis volendi, agendique regulam, & in eo ſigno rationis poteſt Deus nulla facere

ſacere per omnipotentiam, quæ non poteſt facere in ſigno rationis liberum decretum ſubſecuto, ut potuit Deus abſolute liberaſſe Chriſtum per pluſquam duodecim legiones angelorum, at non potuit poſt decretum hoc facere. Reſp. Hæc potentia eſt tantum in Deo naturalis, non moralis, imo omnipotentia ne quidem naturaliter aliquid agit, ſine Dei beneplacito: produceret enim effectum citra intentionem Dei ſapientem, quod eſſet blaſphemum; ideoque nulla eſt in Deo potentia agendi niſi ea, quam in actum (ut ſic loquar) reducere poteſt advocato ſapientiſſimo beneplacito, neque ſequitur Deum non potuiſſe liberaſſe Chriſtum à morte, ſed non ſimpliciter, niſi ex hypotheſi, quod hoc decreviſſet: impoſſibilis enim ſimpliciter eſt novus complacentiæ actus citra præcedens æternum Dei decretum talem actum ſtatuens fore. Hinc neceſſario ſemper limitabitur omnipotentia à Dei beneplacito libero aliquo, quamvis non neceſſe eſt limitetur hoc vel illo actu beneplaciti. Hinc ſequitur. 1. Æque late patere Dei potentiam, & Dei beneplacitum, neque eſſe Deo potentiam plura faciendi, quam beneplacito ſuo poteſt ſtatuere, & omnipotentia ſimplex, & potentia ſapienter volendi & agendi, æqualis plane ſunt ambitus. 2. Hinc ſimpliciter reſpectu miſericordiæ naturalis, potuit Deus eorum, qui reprobi jam ſunt, miſereri, & qui jam ele-

cti ſunt, non miſereri, & æque ſapiens fuiſſet Dei miſericordia χετικὴ in eo caſu, quam nunc eſt. At vero reſpectu miſericordiæ relativæ, ſubſecutæ jam liberam Dei determinationem, non poteſt Deus aliorum miſereri & non miſereri, quam jam de facto miſeretur, & non miſeretur, adeo ut debita electis miſericordia, ſit debita nempe ſecundum regulam beneplaciti Dei præſcribentis Deo hunc agendi modum, & reprobis non miſericordia ſit debita ſecundum ordinem æquabilitatis & conſtantiæ divinæ, quia non poteſt ſine inconſtantiæ nota non facere, & non miſereri, quando facere & miſereri decreverit ſemel. Semper itaque Dei beneplacitum eſt ei regula volendi agendique, quemadmodum lex naturæ & verbum ſcriptum eſt angelis & hominibus volendi agendique regula. 3. Juſtitia etiam relativa eſt conſtans Dei voluntas remunerandi vitâ obedientes, damnandi inobedientes, & hæc volitio eſt libera Dei conſtitutio, & (quod mirum videri poteſt) juſtitia Dei ſcripturis revelata non eſt eſſentialis Dei voluntas tribuendi creaturæ, quod ſuum eſt, imo non ineſt Deo neceſſario, ſed libere, non eſſentialiter, ſed contingenter, (quod eſt verum de Dei etiam miſericordia & bonitate relativa) Si enim Deus neceſſitate naturæ tribueret creaturæ quod ſuum eſt, tribueret omnibus æternum, quod commeriti ſunt, exitium, omnes in peccatis relinqueret, omnes damnaret,

mnaret. Hoc enim eſt noſtrum proprium; & quidem Deus non poſſet nobis hoc non tribuere, ſi hi actus fluerent formaliter à juſtitiâ, ſicut calefactio ab igne. Itaque quod Deus relinquat & induret peccatores, non ſunt actus juſtitiæ Dei, quia ſic actus non indurandi peccatores, & actus condonandi peccatoribus peccata, eſſet actus injuſtitiæ, & tamen ſunt tales in Deo actus. Verum hoc diſcriminis eſt inter miſericordiam & juſtitiam, quod ii in quibus Deus juſtitiam remunerantem, & vindicatricem declarat, ſint determinati in ſcripturis per qualitatem certam, nempe finaliter obedientes, & finaliter inobedientes; at vero vaſa miſericordiæ ſaltem primæ (quam ego credo eſſe efficacem vocationem, non electionem:) quamvis in Dei arcano decreto ſunt ſignati homines & determinati nominatim & ſpecialiſſimè, attamen nulla eſt ſpecialis determinatio in ſcripturis: nuſquam enim ſcriptum eſt (hoc fac & efficaciter vocaberis) & Dei beneplacitum non revelatum deſignat homines primæ miſericordiæ.

2. *Ex* abſolutâ Dei voluntate eſt, quod debeatur finali impœnitentiæ mors ſecunda: comminationes enim Dei, quamvis fiant ſecundum ordinem juſtitiæ, ille tamen ordo juſtitiæ eſt ex abſoluta Dei voluntate. Hinc patet demeritum peccati eſſe ſecundum ordinem juſtitiæ, & quoniam juſtitia eſt ex beneplacito Dei, hinc patet damnatos graviores pœnas mereri, quam actu incurrunt, non eſſe verum. De-

meritum enim eſt propriè debitum ex ordine juſtitiæ, & mediate debitum ex ordine Dei beneplaciti: atqui nemo debet pœnas graviores incurrere, quam Deo viſum eſt juxta ſapiens ipſius beneplacitum infligere. At vero eſt & hoc veriſſimum, ſi Deus damnatis pœnas ſextuplo graviores infligeret, id quidem juſtum fore: infligeret enim ſecundum ſapiens beneplacitum, quod prima eſt regula juſtitiæ. Ideoque juſtum eſt omnes poſteros *Adami* commmunicare cum reatu & primo *Adami* peccato, quia ita Deo viſum eſt. Et ſi ex peccatore *Adamo* naſcerentur omnes à peccato immunes, id æque juſtum fuiſſet: ita hæ ambæ veræ ſunt (nos mortales longe graviores ærumnas & miſerias mereri, quam patimur) & (nos mortales longe graviores ærumnas & miſerias non mereri, quam patimur) Prius effatum verum eſt ex hypotheſi Dei beneplaciti: non enim fuiſſet injuſtum ſiquidem Deus graviores ærumnas nobis peccatoribus inflixiſſet, ſiquidem ita viſum fuiſſet Deo. Poſterius eſt verum, quia non eſt æquum nec demeritum juſtum, ut graviores miſerias patiamus, quam juxta actuale Dei beneplacitum, cui nunc de facto ſubjicimur, jam patimur. Non eſt itaque citra diſtinctionem verum, peccatores mereri graviora quam patiuntur, licet id genus loquendi vulgo obtineat, ex piâ quadam in Dei voluntatem juſtiſſimam ſubmiſſione.

3. At durum forte videtur, juſtitiam illam,

quæ

quæDeo eſſentialiter ineſt,nobis non revelari in ſcripturis, ſed reſpondeo revelari. Nam Deum non eſſe Deum, ſi non ſit juſtus, docet ſcriptura: at juſtitiam erga creaturas ſuas, de qua ubique ſcripturarum, Deo ineſſe non eſſentialiter, ſed ſecundum ipſius liberum beneplacitum: at vero in juſtitiâ hâc relativâ aliquid eſt quod Deo ineſt eſſentialiter. Nam inobedientes finaliter damnari juſtum eſt, quia ita Deus libere decrevit, quando finaliter inobedientium potuit Deus citra jacturam & diſpendium juſtitiæ abſolute miſereri, ſiquidem ita voluit. At vero conſtituto ſemel hoc, quod finaliter inobedientes ſunt damnandi, Deus non poteſt non damnare finaliter inobedientes propter æquabilitatem, conſtantiam, & veracitatem ſuæ ſimpliciſſimæ naturæ. Æquabilitas enim conſtantiſſima & veracitas Dei poſtulant antecedenter ad Dei decretum, ut decreta exequatur & non reſcindat, ut promiſſa conſtanter ſervet. Hæc autem Dei conſtantia non ineſt Deo juxta liberum beneplacitum, ſed eſſentialiter,imo non eſſetDeus ſi non eſſet verax & conſtans. Hinc iſta (num Jehova loqueretur & non faceret?) (num judex mundi non rectè & juſtè ageret?) Peccatum in ſua formali ratione eſt quid divinæ voluntati approbanti plane contrarium, ideoque non poteſt peccatum Deo non diſplicere: eſſet enim non Deus ſi peccatum ei non diſpliceret: rectitudo enim & conſtantia eſt Deo eſſentialis, at vero punitio peccati non includitur formaliter in eſſen-

tiâ peccati, ſed eſt quid poſterius naturâ peccato, jam in integrâ ſuâ eſſentiâ conſtituto, ideoque Deus nullâ naturæ neceſſitate peccata punit, imo poſſet abſolute non punire. Nam tantum juxta liberum beneplacitum punit., multis gratis condonat in Chriſto filio dilectionis ſuæ.

4. Aliud itaque & longe aliud eſt, Deum aliquid facere ex intentione revelandi & manifeſtandi ſuam juſtitiam, & aliquid facere ex juſtitia. Nam quod Deus facit ex intentione manifeſtandi juſtitiam, facit liberrime, quia reprobat ex intentione manifeſtandi juſtitiam, & quidem liberrime poteſt non reprobare: at quod facit ex ipſa juſtitia non poteſt non facere, niſi peccaret in juſtitiam, quia juſtitia præſupponit liberum Dei decretum. Atqui dicant illi qui reprobationem *Eſavi* volunt eſſe actum juſtitiæ in *Eſavum*, quod decretum liberum præſupponitur illi actui, nempe Deus decrevit reprobare *Eſavum* priuſquam reprobavit? Itane? Ergo priuſquam Deus decernit, & ſic in infinitum. Dei enim reprobatio eſt decretum. Dico itaque Deum ex juſtitia ut ex principio formali reprobare, Deum ex juſtitia multos in nativa corruptione derelinquere, ex juſtitia negare iis ſalvatorem, qui pro ipſis moriatur, ex juſtitia nolle efficaciter vocare, eſſe falſa. Prob. 1. Juſtitia eſt conſtans Dei voluntas creaturæ debitum tribuendi, idque juxta Dei voluntatem ad certam regulam coarctatam & determinatam. Atqui reprobatio

batio non eſt debita *Eſavo*: Deus enim contra debitum ageret, ſi eligeret *Eſavum*, quod nemo ſanus dicit. Deinde quærenti regulam ſecundum quam Deus reprobaret *Eſavum*, in peccato nativo derelinqueret, Chriſtum & efficacem vocationem negaret, fingi non poſſet alia reſponſio, quæ regulæ ſit inſtar, quam quia *Eſavus* eſt peccator: atqui hæc nulla eſt regula: ſic enim omnes Deus reprobaſſet. 2. Quod Deus ex juſtitia agit ut ex principio formali, id non poteſt non agere, niſi ageret contra juſtitiam, & ſic injuſte ageret: atqui ita reprobat, ita relinquit homines in peccato, ut poſſet citra omnem injuſtitiam, non relinquere, non reprobare &c. Dicunt hic Deo eſſe liberum, vel ſecundum miſericordiam eligere, efficaciter vocare &c. vel reprobare, & Chriſtum & efficacem vocationem negare. Sed Reſp. 1. hoc reſponſo concedunt ex libero arbitrio non coarctato ad juſtitiam vel miſericordiam Deum reprobare, & in peccatis relinquere, quod eſt concedere totum argumentum; & idem eſt, ac ſi dicant, Deum hæc facere ex abſoluto beneplacito. Error vero eſt in eo, quod non ſatis accuratè diſtinguant inter liberam Dei voluntatem, & Dei voluntatem juſtam aut miſericordem. Nam juſtitia aliquid ſuperaddit voluntati Dei. 2. Deo non propriè eſt liberum agere ſecundum juſtitiam cum hominibus, eſt enim repugnans in adjecto. Nam liberum Deo eſt, quod poteſt facere vel non facere: juſtum vero quod

non poteſt non facere, uti promiſſa præſtare & comminationes implere juſtum eſt, non Deo liberum, quin id non facere naturæ Dei adverſatur.

5. Hinc hæc conſectaria. 1. Inanis eſt timor eorum, qui maſſam corruptam ſtatuant prædeſtinationis objectum, ne ſcilicet periclitetur Dei juſtitia. At vero patefactio juſtitiæ eſt cauſa finalis reprobationis, ipſa tamen juſtitia non eſt principium aut cauſa, unde formaliter ortum habet reprobatio abſque manifeſto præjudicio abſoluti Dei Dominii, quale competit figulo in lutum *Rom.* 9. Figulo enim nulla eſt regula determinans ipſius voluntatem ad faciendum ex eadem maſſa vas honoris, & vas dedecoroſum: neque Deo eſt aliqua regula juſtitiæ, qua alios reprobat, alios eligit. Cedo regulam & qui abſolvant *Iehovam* crimine injuſtitiæ in electione angelorum plane gratuitâ, ſine reſpectu ad ipſorum bona opera. & in reprobatione diabolorum nunquam videre potui, nec juſtitiam ſalvant, quia homo eſt Deo conſideranti ut corruptus. At quæro an ut actu exiſtens, an vero non? ſi ut actu exiſtens, tum etiam peccatis actualibus gravatus: at ſic & reprobatio & electio erunt ex proviſione operum bonorum, quod Pelagianum eſt, ſi ut nondum exiſtens, neque peccator. Nam actu exiſtere & eſſe actu peccatorem, ſicut ſimul & mente exiſtere & mentali conſideratione eſſe peccatorem, eſt non exiſtere & non eſſe peccatorem ſimpliciter,

ſcilicet

ſcilicet notio mentalis ſalvat Dei juſtitiam: atqui Deus juſtitiam non exercet citra injuſtitiam, niſi homo non tantum mentali & objectiva conſideratione, ſed & actu & realiter peccator exiſtat. 2. Sequitur ſolum Dei beneplacitum eſſe cauſam, cur *Adami* peccatum noſtrum foret, & noſtra Chriſto imponerentur. 3. Sequitur illam comminationem (quo die comederis, morieris) ex intentione divina non fuiſſe pure legalem, neque ex ordine juſtitiæ ſimpliciter prolatam, quia plurimi non ſunt mortui pro peccato, ſed pro ipſis Chriſtus mortuus; ideoque fœdus operum, quod formatum fuit ſecundum ſapientiſſimam Dei voluntatem reſpectu electorum, ipſiuſque imprimis *Adami* (qui gratiâ electionis illâ primâ tranſgreſſione non excidit) Dei gratioſam voluntatem euangelicam incluſiſſe, ſi Dei intentionem ſpectemus, & reproborum duntaxat reſpectu fuiſſe purè legalem, ſecundum juſtitiam rigidam, qua Deus peccatores tales punire conſtituerat. Si itaque illa comminatio in communi ſpectetur, prout indefinitè electos & reprobos concernebat, prolata erat ex puro Dei beneplacito, nondum ad certam & determinatam juſtitiæ regulam coarctato. Nam ex abſoluta Dei libertate Deus illam comminationem in quibuſdam perſonis legaliter exequutus eſt, in aliis euangelicè in Chriſto ipſorum ſponſore. Si itaque ſeponatur hypotheſis decreti Dei, non læſa fuiſſet miſericordia, ſi omnes in ipſorum perſonis pro-

priis

prius pœnas æternas illius tranſgreſſionis luiſſent, neque læſa juſtitia, ſi omnes in Chriſto eas pœnas dediſſent. 4. Inde eſt, quod fœdus operum eſſentialiter non flagitet obedientiam paſſivam perſonalem, ut multi opinantur, ſed Deum ex abſoluto ſuo beneplacito ita fœdus formaſſe, ut ipſius tranſgreſſio indifferenter, vel paſſione perſonali, vel fidei-juſſoria expiaretur, prout Deo fuiſſet libitum: non volo tamen hic obedientiam fidei-juſſoriam non eſſe paſſivam, ſed legem qua talem eſſentialiter poſtulare paſſionem ipſius tranſgreſſoris, nego. Si enim illud fœdus neceſſario & ex ordine juſtitiæ flagitaſſet paſſionē perſonalem, totum euangelium, quod non perſonalem ſed fidei juſſoriam paſſionem juſtitiæ Dei exhibet, aperte juſtitiæ Dei adverſaretur, quod abſurdum eſt. Itaque Chriſtus pro nobis obiit tam ſecundum fœdus operum, quam ſecundum fœdus gratiæ, quod paſſus ſit, eſt juſtitiæ: miſericordia enim Dei non exigit formaliter mortem à quoquam, nedum à Chriſto, ſed juſtitia: quod vero pro nobis paſſus ſit, eſt miſericordiæ. Iſta itaque hic accurate diſtinguenda ſunt, (Chriſtus paſſus eſt,) & (Chriſtus pro nobis paſſus eſt.) Nulla itaque fronte *Arminius* dicit, prædeſtinationem noſtram pugnare cum Dei juſtitia, quæ ſcilicet non patitur ut Deus velit alicui vitam, niſi prius Chriſtus eam morte ſua acquiſierit: imo dicimus Deum ex abſoluta voluntate voluiſſe electis vitam: & prædeſtinationem non eſſe juſtitiæ

actum

actũ aut miſericordiæ, ſed abſoluti Dei arbitrii libere volentis declarationẽ juſtitiæ & miſericordiæ. Næ itaque grandis ille theologus egregiè philoſophatur, qui diceret actum demonſtrandi omnipotentiam divinam eſſe formaliter actum omnipotentiæ, & actum demonſtrandi juſtitiam eſſe actum juſtitiæ. 5. Longe itaque iſta differunt, (homo non eſt meritus, ut Deus mitteret ſalvatorem in mundum) & (homo meritus eſt ut non mitteret ſalvatorem) prius eſt verum, poſterius falſum. Nam meritum eſt debitum juſtitiæ aut promiſſionis, aut pacti divini: atqui ſi juſtitiæ debitum fuiſſet, ut Deus non mitteret ſalvatorem, tum Deus impeditus plane eſſet à debito juſtitiæ, & juſtitiam plane violaſſet in miſſione ſalvatoris, quo quid abſurdius? Neque ulla extat promiſſio aut pactum, quo Deus dixit aut ſtatuerat mittere ſalvatorem ſe non voluiſſe. Hinc nemo non videt, quia Deus ex abſoluta voluntate ſalvatorem mittit, eum ex amore aut miſericordia naturali non mittere, & Dei voluntatem nunquam fuiſſe, neque juſtitiâ ſtatutum fuiſſe ut lex violata non aliter quam perſonali ſupplicio peccatorum expiaretur, imo fœdus operum fuiſſe decretum tantum de plectendis peccatoribus, eo modo quo Deo eſt viſum, vel pœna perſonali vel ſponſoria.

6. Recte itaque *Durandus* ſic. *Patet ergo* (inquit) *quod juſtitia in Deo tam communicativa quam diſtributiva, non eſt aliud quam condecentia divina* *Durand. l. 4. d. 46. q. 1. ſ 9.*

divina in redditione præmiorum & pænarum, & in diſtributione proprietatum & principiorum agendi, prout convenit ſubſtantiæ cujuſque rei. Et jure quidem, non eſt enim propriè juſtitia commutativa in Deo, quoniam nulla eſt proportio inter Dei beneficia data, & noſtra accepta officia. Nam, ut notat ibi *Durandus*, filius carnalem patrem nunquam compenſare poteſt, à quo habet eſſe & nutriri, licet impropriè compenſet in quantum poteſt. Nec poteſt eſſe in Deo propriè juſtitia diſtributiva, qua unicuique tribuitur ſecundum dignitatem perſonarum: atqui omnis hic dignitas hominum eſt ex liberali Dei acceptantis gratioſa æſtimatione: dignitas enim perſonæ creatæ ad Deum non eſt intrinſeca: Deus enim ſic eſſet injuſtus, niſi ageret ſecundum perſonæ intrinſecam dignitatem, & eſſet debitor ſuæ creaturæ, non tantum ex liberali pacto & decreto, ſed etiam antecedenter ad Dei decretum, contra ſcripturas *Rom.* 11. *Quis ei largitus eſt; & ei retribuetur?* Credo itaque ſaniores & profundiores Jeſuitas ex ipſorum principiis non poſſe non negare omne meritum operum bonorum proprie dictum, ſed utinam planius nobis tradidiſſent doctrinam de meritis. Eodem modo rectè philoſophatur *Suarez* de bonitate, qua vult creaturas eſſe Deo convenientes & bonas, tanquam opera decentia ipſum & conſentanea bonitati & ſapientiæ ejus, & certe per eandem rationem Deus erit creaturis bonus non eſſentialiter, quia ſic neceſſitate naturæ Deum

Metaph. tom. 1. *diſp.* 10. *de bonitat. ſect.* 3. *ſig.* 8.

Deum eſſe, & bonitatem creaturis communicare neceſſe eſſet, & ſic neceſſario mundum creaviſſet, [quod abſurdum eſt, neque dubium eſſet, quin ſi creaturæ habuiſſent longe diverſam ab ea, quam habent convenientiam, cum Dei decentia, quin non minus eſſent bonæ, quam jam ſunt: bonitas itaque Dei erga creaturas ex ſapienti beneplacito dependet.

7. Voluntas Dei non ſimpliciter eſt regula juſtitiæ, ut contradiſtinguitur à ſapientia, ſed quatenus à ſapiente Dei intellectu determinatur, uti docent *Aquinas* & *Henricus*. 2. Voluntas Dei non eſt cauſa interna & eſſentialis rerum, nec eſt à voluntate Dei decernente, quod homo ſit animal, quod obedientia ſit legi divinæ conformitas. Nam neceſſario, non ex libero decreto eſſentia & eſſentiatum inter ſe cohærent: at vero homo non eſſet homo, quod abſurdum, ſi non eſſet animal. 3. Res quælibet conſideratur vel materialiter, denominativè, vel ſecundum eſſe poſſibile (hæc enim hic idem ſunt) vel formaliter & ſecundum eſſe actuale. Priore modo Dei beneplacitum, cujus eſt rerum eſſentias & eſſentiarum gradus effingere & conſtituere, eſt cauſa cur talis res habeat talem eſſentiam & gradus entitatis ut 5. & 6. ut 7. non plures vel pauciores. Item cur immolatio *Iſaaci* ſit obedientia, cur homicidium, cur eſus arboris ſcientiæ ſit peccatum: & eſus arboris vitæ non ſit peccatum. Item cur res, quæ eſt futura homo, hoc eſt, cur homo habeat talem eſſentiam ex Dei de-

Aquinas 1. *q.* 21. *ar.* 2. *ad.* 1. *Henric. quolib.* 8. *q.* 1.

decreto libero: at vero poſtquam res formaliter eſt, non habet talem eſſentiam ex Dei beneplacito, ſed eſſentialiter. Poſtquam enim Deus voluit ut hæc ſit natura peccati, nempe quod ſit id quod diſplicet voluntati Dei approbanti, tum ſi quæratur, cur Deus nolit peccatum; Reſpondetur non quia vult, ſed quia eſt eſſentialiter malum: ſed ſi ulterius quæratur, cur talis ſit natura illius rei quæ eſt peccatum, & illius rei quæ eſt homo? recurrendum ſemper erit ad fontem altiſſimum, Dei æternum beneplacitum, quædam enim ſunt bona & juſta antecedenter ad Dei decretum, ſed quomodo? Poſſibiliter nempe ut poſſint fieri bona & juſta, ſiquidem Deus vellet: at vero nulla ſunt bona actu & ſecundum debitum morale, ut debeant fieri, niſi quoniam Deus ea fieri voluit & decrevit. Iſta itaque non ſunt ſine diſtinctione admittenda, nempe. 1. Deus non poteſt non velle bonum. 2. Voluntas Dei id non poteſt non velle, quod ſapientia ipſius dictitat eſſe bonum. Duo enim ſunt in divina volitione boni. 1. Res volita. 2. Modus volendi; reſpectu rei volitæ, falſum eſt, Deum non poſſe non velle bonum, & quidem quod ei ratio dictitat eſſe bonum: ratio enim dictitavit & ſapientia infinita bonum eſſe mundi creationem, Chriſti in carnem miſſionem: at vero potuit Deus noluiſſe mundi creationem & ſalvatoris miſſionē. At vero reſpectu modi volendi, & neceſſitate ſpecificationis, quicquid vult Deus, neceſſe eſt ſapienter velit,

velit, & ſapientia dictitet id eſſe volendum. *Ratio præponderans* (inquit *Bradwardina*) *eſt quæ dictitat melius eſſe facere hoc quam illud, vel quod melius eſt, hoc facere, quam dimittere, & talis ratio non movet, nec concludit voluntati divinæ, nec eam determinat ad agendum: poſſet enim Deus facere meliora, quam facit, & multa bona, quæ non facit.* Hoc videt acerrimi ingenii vir ille, nec ſine ratione: ratio n. præponderans in hoc negotio eſt duplex, vel ratio præponderãs à rebus ipſis creatis, vel ratio præponderans reſpectu divinæ ſapientiæ. Hæ duæ rationes præponderantes ſæpe contrariantur: melior mundus & præſtantiores creaturæ quam ſunt, in ſe ſunt præſtantiores hoc mundo & rebus jam creatis: at vero Dei ſapientiæ viſum eſt melius eſſe, ut mundus minus præſtans eſſet. Obedientia in ſe melior eſt inobedientia, ſi ſpectemus rationem præponderantem à rebus ipſis petitam: at vero ut inobedientia tam exiſtat quam obedientia, melius viſum eſt Deo ſecundum rationem præponderantem ſapientiæ divinæ.

8. Dicunt ſcholaſtici juſtitiam concedentiæ ſeu congruitatis antecedere actum divini beneplaciti, quoniam ſi Deus hoc volet, id non poteſt, non congruenter ſuæ juſtitiæ velle: at vero volunt juſtitiam debiti & obligationis ſubſequi Dei beneplacitum, ſed libet ſciſcitari, quid ſit hæc concedentia. Vel eſt attributum æternum, vel reſpectus rerum volitarum naturas reſpiciens: ſi priore modo, idem videtur quod ſapientia Dei, aut ſaltem

V eſt

eſt communis modus & agendi virtus in Deo agendi convenienter ſuæ infinitæ naturæ, & ſic nihil verius Deum neceſſitate naturæ non poſſe non convenienter ſuæ ſapientiæ facere, neque ſine gravi abſurdo dici poſſet Deum liberè velle & decernere ut ipſe condecens ſuæ ſapientiæ in omnibus actibus ſuis ſit, imo non poteſt non eſſe condecens in ſuis actibus: eſſet enim ſic non Deus. At vero ſi condecentia hæc reſpiciat non ſapientem in Deo agendi modum, ſed rerum extra Deum ordinem & diſpoſitionem mediorum ad finem, tum hæc condecentia non minus ſubſequitur Dei beneplacitum, quam condecentia juſtitiæ. Nam à Dei voluntate eſt quod hæc res ſit medium, illa finis, *& Deus*, (inquit *Durandus*) *volendo bonitatem ſuam, non neceſſario vult alia quæ ordinantur ad ipſum tanquam finem.* Et quod hæc rerum ordinatio, non alia obtineat, eſt à ſapientiâ Dei regulante & â voluntate Dei imperante: ſi enim contrarius ordo obtinuiſſet, is etiam ſapientiæ divinæ congruus fuiſſet. Dici forte poteſt, neceſſe eſt, Deus media fini accommodata adhibeat, ac proinde externam rerum ordinationem neceſſitare divinam voluntatem ad eligendam hanc, non aliam ordinationem. Reſp. 1. Non ſequitur: illa accommodatio eſt tantum talis connexio, & σχετικὴ ordinatio hujus rei ad illam: at vero eſt à Deo quod hæc res ſit finis, illa medium. Quid ſi Deus lapidem, non panem hominis alimentum inſtituiſſet? quid ſi res ſecundas non ærum-

Durand. l. 1. d. 44 q. 4.

rumnas & res adverſas iter ad gloriam voluiſſet? Tam ille, quam qui nunc obtinet ordo, ſapientiæ divinæ congruus fuiſſet. 2. Duo hic ſunt diſtinguenda. 1. Extrema ordinatorum ad ſe invicem. 2. Ordinatio, quamvis ipſa ordinatio in ſe ſit bona & ſapiens, antecedenter ad Dei liberam electionem, attamen illa ordinatio non neceſſitat Dei voluntatem, quia illam reſpuere & contrariam eligere poteſt, & talis electio Dei libera eſſet ſapientiſſima. Non enim poteſt dari ordo ita adæquans divinam ſapientiam, ut ipſam limitet ad hunc ordinem, ut docent *Aquinas* & *Scotus*. 3. Ordinationes omnes rerum poſſibiles convenientes ſapientiæ Dei antecedenter ad actum divini beneplaciti, quamvis ſint convenientes in eo ſtatu, non tamen actualis, ſed poſſibilis eſt illa convenientia, quâ res poſſunt fieri, ſive non-repugnantia, ut fiant convenienter, non vero ut actu fiant. Convenientia enim formalis & actualis eſt à libera Dei voluntate, quæ ex multis poſſibilibus modis operandi ab intellectu propoſitis, hoc libere eligit non illud, ideoque hoc eſt bonum, quia à Deo eligitur,

Aquin. 1 1. *de volunt. Dei q.* 35. *ar.* 5. *Scotus.* 1. *l. d.* 43. *q. unica.*

9. Omnem vero juſtitiam moralem ad creaturas relatam à Dei beneplacito regulari, probatur. 1. A libera Dei conſtitutione eſt, quod hæc res ſit juſta obedientia, non illa, ut cur non manducatio fructus arboris ſcientiæ boni & mali ſit obedientia, non vero non-manducatio arboris vitæ; cur immolatio *Iſaaci*, ſpoliatio *Ægyptiorum*, ædificatio templi à *Salomo-*

ne non à *Davide*; quod homines juberentur confiteri *Chriſtum*, vetarentur dæmones ipſum confiteri, cur iſta omnia æqua & juſta ſunt, non aliunde eſt quam à Dei voluntate. 2. *Si* aliquid eſſet juſtum & bonum antecedenter ad Dei voluntatem, tum Deus ex obligatione & officio illud velle teneretur ut & faceret. Atqui Deus nullo officio aut obligationi morali ſubeſt, niſi ſuæ infinitæ ſapientiæ, aut ſibi, quæ obligatio eſt admodum καταχρηστική. Non vero aliquid debet creaturæ, quia omne quod Deus debet creaturæ ſuæ, vel eſt ex promiſſione, vel comminatione liberâ. Atqui quod vel Deus promittit vel comminatur eſt ex libera voluntate: nihil ergo Deus debet velle aut facere ut juſtum antecedenter ad ipſius liberam conſtitutionem. 3. Si aliquid eſſet bonum & juſtum intrinſece ante Dei beneplacitum, neceſſario Dei beneplacitum regularetur ad id volendum: atqui Dei beneplacitum eſt prima regula, quæ à nullo priore regularetur. Prob. connexio, quia Deus non eſſet infinite jſtus & bonus, ſi contra juſtum & bonum velle aut facere poſſet. 4. Omnis juſtitia moralis vel lege naturæ, vel ſcripto, vel alio modo revelata, eſt à Dei ſapiente voluntate libera; quia non ab eo neceſſitate naturæ; nã ſi impetu naturæ Deus legem imponeret, tum non poſſet non eadem jubere, & vetare, quæ jubet & quæ vetat. Prob. conſeq. quia non datur tertium. 5. Si aliquid eſſet juſtum & bonum antecedenter ad Dei beneplacitum, daretur bonum & juſtum, quod

à ſum-

à ſummo bono & primo juſto non flueret, quod eſſet abſurdum. Daretur enim effectus qui in cauſam primam reſolvi non poſſet, nihil eſt hic quod dicant, niſi bonum & juſtum fluere à Deo, ut lumen à ſole naturali impetu. Atqui quis diceret Deum neceſſitate naturæ interdixiſſe eſu arboris vetitæ? *Iudæis* legem præſcripſiſſe? imo tum neceſſitate naturæ Deum creaturas intellectuales, quibus legem poneret, atque adeo mundum creaſſe, neceſſe fuit: et ſic mundum ab æterno æternâ emanatione à Deo fluxiſſe neceſſe eſſet. Nam nulla eſſet ratio cur mundus aliquando inciperet, ſicut nulla eſt ratio cur Deus hodie potius quam mille abhinc annis ſit infinite bonus, juſtus &c. Atqui clamat ratio, clamat experientia, teſtantur oracula ſacra Deum mundum & omnia entia libere creaſſe propter gloriam ſuam. *Apoc.* 4. 11. *Prov.* 16. 4. *Rom.* 11. 36. Imo ſic non potuit Deus creaturas alio modo, ſtaturâ, ſpecie, numero, pondere, menſura aut perfectione, creaſſe, quam nunc creata ſunt, quod & ſcripturis adverſatur: *Rom.* 9. 21. 22. 1. *Cor.* 15. 38. 6. *Patres* & *Scholaſtici* docent Deum non velle res, quia ſint bonæ, ſed eas bonas eſſe, quia à Deo ſint volitæ. *Adeo ut ſi vellet* (inquit *Gerſon*) *eas vel non eſſe, vel aliter eſſe, id quoque jam bonum eſſet.*

Gerſon. de conſolat. theolog. 2 proſ. 2. p. 28.

10. Hinc patet illud (nihil eſt turpe reſpectu divinæ voluntatis) partim eſſe verum, partim falſū. Eſt verum, quia ex libera Dei conſtitutione eſt quod aliquid morale injuſtum ſit:

poterat enim hominibus nullam regulam præſcripſiſſe, ſicut fecit agentibus naturalibus, ita, ut ſi vel homines & angeli ſequerentur rationis ductum, ſive non, rei non forent peccati, quia nempe liberum relinquere poterat iis illum ductum ſequi, vel non ſequi, & quoniam lex eſt liberrimum Dei ſtatutum, ſi nihil tale ſtatuiſſet, turpe aut peccatum nullum fuiſſet: nam Deus legem non fecit naturæ impetu. Eſt etiam falſum quod nihil ſit turpe reſpectu divinæ voluntatis, quoniam poſito quod Deus bonum morale libere ſtatuiſſet, & legem ab æterno poſuerit, quicquid tali legi adverſatur, Deo unice diſplicet, ut turpe & inhoneſtum, ideo ut Deus naturaliter adverſetur peccato propter naturalem rectitudinem & conſtantiam naturæ divinæ, quâ non poteſt non odiſſe, quod ipſius ſapientiæ adverſetur.

Iackſon. de divin. eſſent. c. 13. ſ. 2. p. 146.

11. Quæ contra hoc afferunt adverſarii, tam eſt in proclivi diluere, quam eſt imber quando cadit. *Si loquamur* (inquit *Iackſonus*) *de bonitate actu exiſtente in creatura, fieri non poteſt ut aliquid actu exiſtat, ſine præcedente actu divinæ bonitatis: at vero objectiva eſt bonitas prior actu & exercitio voluntatis divinæ & quibuſdam rebus conſideratis, ut logicè poſſibilibus. Objectiva hæc bonitas adeo eſt annexa, ut ſi ipſius ſit voluntas dare ipſis eſſe actuale, neceſſe eſt ſint actu bonæ: potuit vitam & exiſtentiam omnibus ante diluvium abſtuliſſe, ſed quod Noachum familiamque ipſius ſervaret homines, non verò creaturas irrationales, non eſt omnipotentiæ objectum.* Reſpond. 1. Recedit

cedit diſputator à ſtatu quæſtionis, Deum non poſſe libero ſuo decreto efficere ut homo non ſit animal rationale, nemo, opinor, negabit, neque hoc quæritur. Suppoſito enim quod hæc res ſit homo, neceſſe eſt ſit animal, & quod hæc res ſit peccatum, oportet ſit malum. Deus enim non poteſt non velle, ut idem non ſit idem. Sed ex Dei beneplacito eſt, quod hæc res materialiter & denominativè ſumpta (hoc eſt prout nondum habet eſſe, ſed per Dei beneplacitum in ſigno rationis ante decretum Dei eſt eſſe acceptura) habeat tale & tale eſſe: Dei enim eſt rerum eſſentias & naturas effingere. 2. Non eſt hæc objectiva rei bonitas, non repugnantia ad eſſe: ſic enim peccatum in ſuo eſſe objectivo antequam eſt, eſt bonum, quia in eo ſigno non repugnat peccatum eſſe. 3. Si Dei voluntas ſit cauſa omnis boni actu exiſtentis, tum erit etiam cauſa non exiſtentiæ obedientiæ reproborum. Itaque quod non obediant reprobi, erit ex Dei voluntate, atqui *Arminiani* volunt peccatum neque ſecundum eſſentiam neque ſecundum exiſtentiam à Dei voluntate eſſe.

12. Addit ibid. pa. 149. 150. *Prout eſt natura volentis, ita ſunt objecta voluntatis, ſimile gaudet ſimili: id tantum velle (in Deo) quod ipſius naturæ conſonum eſt tanto Deo eſſentialius, quam nobis, quanto ſimplicior eſt Dei natura quam noſtra: unde prima regula omnis bonitatis extra ipſum eſt conſonantia cum eſſentiali (Dei) puritate & juſtitia.* Reſp. 1. Blaſphe- Iackſon.

mum eſt fingere inter creatorem & creaturam aliquam ſimilitudinem: at quæro quam ſimilitudinem cum Dei natura habeat creatio mundi, potius quam non creatio: atqui certum eſt Deum velle mundi creationem. Si ergo non voluiſſet ipſam, voluiſſet non-creationem mundi: atqui non-creatio eſt naturæ divinæ tam conſona, quam creatio eſt, quia vero eſſentiale eſſe vult *Iackſonus Deo id velle, quod ipſius naturæ eſt conſonum*, ſequitur Deum eſſentialiter velle mundi creationem, atque adeo omnia quæ vult & facit. Ergo Deus eſſet non Deus, ſi non creaſſet mundum, ſi liberaſſet Chriſtum per 12. legiones angelorum, ſi filios ex lapidibus *Abrahamo* excitaret, quam abſurda theologia! Ipſe enim *Iacob. Arminus* concedit Deum quicquid agit in objectum externum, id totum Deum facere libere. *Iackſonus* negabit Deum liberè, ſed omnia naturæ neceſſitate velle & facere, & ſic Deus non erit agens intellectuale. 2. Si prima regula omnis bonitatis extra Deum ſit conſonantia cum Dei eſſentiali puritate &c. Seqvitur abſurdiſſime ergo Deum vetantem ſacrificia, vetare id quod convenit cum juſtitia ipſius eſſentiali, & Deum jubentem immolationem *Iſaaci* & poſtea vetantem, vetare quod convenit cum ipſius juſtitia eſſentiali. 3. Hinc ſequitur Deum velle & amare ipſius puritatem & juſtitiam liberè, quia negari haud poteſt Deum libere velle omnia extra ſe, quæ vult, quippe

Armin. reſp. ad art. 6.

ex

ex illo habent convenientiam cum Dei eſſentiali puritate.

Ob. 2. *Diligit* (inquit) *ipſe Deus veritatem & ſinceritatem, quoniam ipſe eſt verax & juſtus: non poteſt libidinem & intemperantiam approbare, aut condemnare caſtitatem in aliqua perſona neque legitimare poteſt violentiam. Libido promiſcua, violentia non tantum mala ſunt nobis, quibus vetantur, ſed etiam in ſe, ita ut omnipotens non potuerit non vetare & condemnare ejuſmodi, ut manifeſto inimica ſacratiſſimæ ſuæ majeſtati.* Reſp. 1. Deum poſſe velle & jubere, id quod citra ipſius voluntatem mandantem eſſet vis & immanis barbaries, nemo ſanus negavit: juſſit *Abrahamum* immolare filium, *Iſraëlitas* ſpoliare *Ægyptios*, *Saulum Amalekitas*, viros, uxores prægnantes, infantes gladio & internecioni devovere. 2. Recedit novator à ſtatu quæſtionis: poſito hoc quod hæc res ſit intemperantia, vis, libido impura, barbaries, non poteſt non iſta inhibere, utpote voluntati approbanti contraria. Neceſſe fuit itaque Deum vim, poſito hoc, quod ſit vis, vetare: verum ea neceſſitas eſt hypothetica ex poſitione liberi Dei beneplaciti, qui poteſt creaturæ hoc jubere, vel vetare, vel non jubere, aut non vetare. 3. At vero ſi velit antecedenter ad Dei beneplacitum iſta opponi hoſtiliter ſacratiſſimæ Dei majeſtati, tantum non blaſphemat: quid? eſſentialiter Dei naturæ repugnant, eſus arboris ſcientiæ boni & mali, non circum-

Iackſon. p. 159, 151.

cidi *Iudæos*, quod *Iudæi* parcerent *Cananitis*, quos Deus funditus ab iis deleri voluit? Lex ergo de non manducando fructu vetito fluit a Deo neceſſitate naturæ, nihil abſurdius.

Ob. 3. *Deus* (inquit) *ſuam voluntatem infringere non poteſt aut vi torquere à ſtricta obſervatione illius regulæ juſtitiæ, quam nobis proponit imitandam.* Reſp. 1. ex hypotheſi, quod hoc ſit divinæ voluntatis ſtatutum, non poteſt non ſuam voluntatem ſequi: at vero abſolutè Deus nihil extra ſe vult aut facit, cujus contrarium non poteſt velle aut facere. 2. Nihil falſius Deum non poſſe non obſervare regulam juſtitiæ nobis propoſitam, nobis legem poſuit, non ſibi: quid? An ergo Deus naturâ ſuâ ſanctâ tenetur legem & euangelium implere, nempe ſeſe timere, colere, ſabbathum ſanctificare, credere in filium ſuum? Hanc enim juſtitiæ regulam nobis præſcribit: at quæ lex obligat Deum ad permittendum peccatum, ad ſacrificia & ſacramenta inſtituenda, ad fidem potius, quam bona opera novi fœderis conditionem urgendum? ſcilicet à regulâ Moſaicâ ſacrificandi obligatur Deus ſacrificia imperare, atqui non extat ulla talis regula, niſi recurremus ad Dei beneplacitum.

pag. 152. *Ob.* 4. *Hinc* (inquit) *patet exemplaria illa ſanctitatis & perfectionis, quæ nos in Deo imitari par eſt, non ſumenda à nudo ipſius mandato, aut revelatione voluntatis ipſius, ſed ab objectis voluntatis revelatæ, aut à Dei æternis actionibus, quas nobis exhibuit tanquam à totidem expreſſis & teſtificatiſſimis*

eatiſſimis argumentis, quod ipſius voluntas juſta ſit & ſancta. Huic voluntati Dei nos conformes eſſe vult ut ipſius naturæ conformes evadamus, quippe jubet Deus nos eſſe ſanctos & perfectos, quemadmodum ipſe eſt. Reſp. 1. Sanctitas quam Deus à nobis flagitat eſt conformitas cum nuda Dei libera voluntate revelatâ, non ſimpliciter cum Dei natura, quod patet. Nam quid aliud eſt lex Dei quam liberum Dei beneplacitum, quo voluit hoc, non illo modo à nobis coli, quando potuiſſet, ſi ita Dei ſapienti beplacito viſum fuiſſet alium longe modum cultus, imo contrarium cultum â nobis exigere? an ex neceſſitate divinæ naturæ eſt, quod euangelium non legem voluerit eſſe peccatoribus viam ad gloriam, quod fidem non opera legis voluit eſſe conditionem novi fœderis? Atqui omnes *Arm.* in *Rom.* 9. in eo ponunt abſolutam Dei libertatem in juſtificandis vel operariis vel credentibus. An ex neceſſitate naturæ divinæ Deus aquã in baptiſmo, panem & vinum in cœna dominicâ ſigna elementaria inſtituerit: quaſi Deus in ſuam juſtitiam eſſentialem peccaſſet, ſi alia ſigna inſtituiſſet: & Deus injuſtus fuiſſet ſi gentibus circumciſionem, *Iudæis* baptiſmum fœderis ſigillum inſtituiſſet. 2. Vult exemplaria divinæ ſanctitatis, quæ nos imitari par eſt, ſumi ab objectis voluntatis revelatæ. Age itaque, *Thoma*, hoc eſt objectum voluntatis revelatæ, quod *Chananæi* ſint delendi, quod *Iſaacus* ſit immolandus à patre, quod aqua ſit ſignum in baptiſmo. Si exemplar divinæ ſan-

næ ſanctitatis eſt ab his, hoc erit verum antecedenter ad Dei voluntatem, quod *Iſaacus* ſit immolandus. Non ergo peccabant *Iudæi* qui tenellos infantes immolarunt, ſed in hoc imitati ſunt ſanctitatem Dei eſſentialem. Deinde hæc ſunt ſancta (delendi ſunt *Chananæi*) (*Infantes baptizandi* ſunt aqua) vel quia Deus libere hæc voluit, & ſic exemplaria divinæ ſanctitatis quæ nos imitari par eſt, ſunt ſumenda à Dei voluntate revelata, contra quod ille aſſerit; vel ſunt in ſe ſancta & juſta eſſentialiter, & objectivè, ut ille ait, ideoque Deus eſt ſanctus à ſanctitate objectiva rerum creatarum, quo quid abſurdius? 3. Si ab æternis Dei actibus, & praxi ſumenda ſit formalis ratio ſanctitatis nobis mandatæ, age igitur; praxis erat Dei ut juberet patrem immolare filiũ, ergo nobis licebit etiam immolare filios: praxis erat Dei ut peccatum permitteret. Ergo *Eli* ſacerdos non peccavit permittendo filios ſuos peccare, ſed in hoc fuit ſanctus, ſicut Deus eſt ſanctus: Dei praxis eſt interimere reges, ergo licet nobis unctos Domini interficere, quam abſurda theologia? 4. Naturæ divinæ nos conformes eſſe debere falſiſſimum eſt, & in creaturas ne quidem angelicas cadit: ſunt enim homines & angeli Dei conformes, quia ipſius voluntati libere hoc mandanti, non quia naturæ ipſius ſeſe conformant. 5. Et ſanctitas illa Dei quam nos imitari par eſt, eſt ſanctitas in agendo ſancte & inculpate cum creaturis ſuis, & non ineſt Deo

eſſen-

eſſentialiter, ſed ex abſoluto ſuo beneplacito, ſicuti dixi de miſericordia & juſtitia Dei, quatenus ad creaturas referuntur. In hoc enim elucet Dei ſanctitas, quod ſeriò amet & approbet, quæ creaturis rationalibus imperat, & ſi Deus tum angelis tum hominibus imperaſſet longe diverſa, imo oppoſita hiſce quæ jam de facto imperat, non minus ſanctus fuiſſet *Iehovah*, quam nunc eſt: jubet Chriſtus ſimus miſericordes & inimicorum propenſi amatores, ſicut eſt pater cœleſtis. At vero pater cœleſtis & æque miſericors & æque perfectus fuiſſet, atque nunc eſt, ſi inimicis ſuis nec ſolis, nec pluviarum copiam feciſſet, nec ullo modo ipſorum miſertus fuiſſet, quippe miſeretur, quorum vult.

13. Aliam viam in quæſtione enodanda ineundam cenſuit *Ioan. Camero.* Ait, *nihil à Deo amari quia bonum ſit, ſed ideo bonum eſſe unumquodque, quia à Deo ametur* Reſp. *Camero.* *Ergo nec* (inquit) *ſeipſum amabit, quia bonus eſt, ſed ideo bonus exiſtimandus eſt quia ſeipſum amat, quod ſi hoc illis abſurdum eſt, idem valere in Dei imagine neceſſe eſt. Si enim Deus naturali atqui immutabili propenſione in amorem ſui inclinat, conſimili prorſus affectu imaginem ſui complectetur.* *Iohan. Camer. tom. 3. in miſcel. p. 575. & tom. 2. prælect. in Mat. c. 16. p. 140. 141. 142. 143.*
Reſp. *Cameronis* conſequentia vana eſt, ergo Deus bonus quia ſeſe amat. Eſt enim eſſentialiter, & non per participationem bonus: entia creata ſunt bona per participationem divinæ bonitatis: atqui Deus libere bonitatem creaturis indulget, quia vult, ideoque eate-

eatenus ſunt bonæ, quia Deus eas velit. 2. Nullo modo ſequitur Deum naturali propenſione imaginem ſui amare, quippe quod pater filium foveat & vitæ ipſius conſulat, quod mutuum reddatur, eſt imaginis Dei non exigua pars in homine, atqui poteſt Deus velle ut *Abrahamus* filium mactet, ut *Iſraëlitæ* mutuum non reddant *Ægyptiis.* Ergo liberè, non naturæ impetu imaginem ſui amat: nam nihil eſt imago Dei niſi ſanctitas legalis in homine, atque ſanctitas legalis eſt conformitas cum Dei voluntate liberâ, non cum naturali Dei deſiderio: alioqui non poteſt Deus alia imperare, quã quæ imperat, aut vetare, imo ſic ſcriptura ſacra non erit conſilium liberum Dei, ſed deſiderium naturale Dei, quod non magis poteſt non eſſe in Deo, quã Deus poſſit eſſe non Deus. *Res* (inquit) *quædam* ſunt ἀδιάφορα quæ Dei imaginem non referunt niſi ſub ratione entis, at non ſub ratione boni moralis, hoc eſt qua Deus eſt ens, at non qua juſtus & ſanctus eſt. Hæc poteſt imperare aut vetare prout libet. *At vero* (inquit tom. 4. p. 572.) *neque Deus innocentem damnare, neque ſontem abſolvere, nec amorem ſui prohibere, aut odium ſui commendare, aut imperare poteſt.* Pugnant hæc cum ipſius natura. Reſp. 1. Futulis & vana prorſus diſtinctio. Omnes enim res creatæ & actiones humanæ nudè conſideratæ ſunt in ſe adiaphoræ & ſunt bonæ moraliter, quatenus ipſas Deus velit & jubeat, malæ quatenus nolit & velit, ut ſunt amare, colere, loqui, manducare, bibere, occidere homi-

Tom. 2. loco citat.

hominem. Nam hæc omnia in phyſica conſideratione, ſunt neque bona neque mala, & amare Deum phyſice eſt adiaphoron, & moraliter bonum, quia à Deo jubetur. 2. Membra diſtinctionis nulla ſunt: nam non eſt major ratio, quare res in ſe ſunt adiaphoræ, quia referunt Deum, qua ens, quam quia referunt Deum, qua juſtus & ſanctus. Quæ enim referunt Dei juſtitiam & ſanctitatem, non ideo ſunt bonæ quia referunt Dei naturam, ſed quia cum voluntate Dei juſtâ & ſanctâ attamen liberâ conveniunt. 3. Deus (inquit) innocentem damnare non poteſt, ſed hæc non-potentia non habet ortum à Dei natura, ſed à Dei voluntate. Nam innocentem ſuum filium damnavit, & nos ſontes abſolvit: atqui ſi Deus non ſtatuiſſet ab æterno apud ſe, & poſuiſſet liberrime ſontes abſolvere, potuit abſolute ſontes non abſolvere. 4. Prohibere Dei amorem, non pugnat ſimpliciter cum Dei natura, ſed cum voluntate liberâ: hoc enim ex eo dicit, quia amare Deũ, *Camero* putat cum Dei natura convenire, ideoque non amare Deum credit Dei naturæ opponi: at quæro oppoſitionem, an ſit relativa, an contradictoria, an contraria, an privativa. Certe nihil Deo ſupereſſentiali ſubſtantiæ opponitur vel relativè, vel contrariè: Deus enim non eſt accidens, neque contradictoriè, niſi eo modo, quo omnia entia creata opponuntur ei contradictoriè. Neceſſe eſt ergo dicat τὸ non amare Deum, opponi Deo privativè; atqui ſic τὸ non-amare Deum, tolle-

tolleret privativè Deum, ejuſque naturam, quo quid blaſphemius; Poſita enim tum non-amatione Dei, tolleretur ipſe Deus: atqui ſicut τὸ amare Deum, convenit Deo extrinſecè, quatenus cum ipſius voluntate revelata convenit, nihil enim Deo accedit, quatenus impletur, quod vult, quo nihilo felicior eſt Deus. Itaque nihil ponitur divinæ naturæ adverſum, ex hoc, quod homines Deum non ament, ſed ponitur aliquid, quod Deus libere fieri non vult.

Armin. Antiperk. p. 693. 14. Ejuſdem genii ſunt, quæ tertio loco objecit *Arminus. Multa ſunt* (inquit) *quæ Deus vult, quia juſta ſunt; juſtum eſt, ut ſolus Deus à creatura pro vero agnoſcatur, hoc Deus vult, quia juſtum eſt, & non eſt juſtum, quia Deus velit &c.* Reſp. Totum ſano ſenſu conceditur; ſemper enim à ſtatu quæſtionis receditur; poſtquam enim Deus hoc ſemel verbo expreſſerit, & menti humanæ in creatione certa naturæ lege indiderit (æquum eſt ut Deus pro vero Deo à creatura rationali agnoſcatur) tũ Deus iſtud non poteſt non velle ſine nota inconſtantiæ. Vult itaque Deus quæ juſta ſunt, nempe quoniam priore actu beneplaciti ſui eadem juſta eſſe ſtatuerat. Poſtquam vero Deus libere aliquid fieri ſtatuerit, id non cadit ſub aliam conſtitutionem Dei liberam, ut poſſit, ab eo liberè fieri, vel non. Jam enim neceſſitate hypothetica Deus non poteſt id velle: at vero res in eſſe objectivo, & materialiter ſumptæ, hoc eſt in ſigno rationis, quo eſſe ipſorum per liberum Dei decretum eſt

ſanciendum & nondum ſancitum, poſſunt vel cadere ſub Dei liberam conſtitutionem, ut juſta, vel ut non juſta per decretum negativum, ideoque ſi τὸ colere Deum natura creaturæ rationalis & quidditate includatur (quod nolo jam diſputare) recedetur plane à ſtatu quæſtionis. Nam non quæritur an æquum ſit ab æterno quod homo coleret Deum, & an Deus iſtud velit, quoniam eſt æquum, ſed ſi τὸ colere Deum ſeparari poſſet quoad æquitatem obligationis naturalis à natura creaturæ rationalis, tum dico fieri poſſe, ſi Deo ita viſum fuiſſet, ut æquum non ſit ut creatura rationalis coleret creatorem. Nam ſi Deus ſtatuiſſet ut creatura rationalis non coleret creatorem, id non minus æquum & juſtum fuiſſet, quam jam æquum eſt ipſius contrarium. Nam involvitur hic quæſtio: eſt enim à Dei libertate quod creatura rationalis ſit, eſt ab eâdem, quod cultus Dei ſit, quamvis ut Deus ſit, non ſit à Dei libertate: At non eſt dubium, quin Deus creaturam rationalem potuiſſet effinxiſſe, vel non effinxiſſe.

15. Affinis hiſce eſt quæſtio, an teneamur nos in objecto conformare noſtram voluntatem divinæ voluntati, & quatenus: ad quod reſpondetur ratione objecti materialis non teneri nos. Nam Dei intentio & voluntas erat ut *Abrahamus* non immolaret *Iſaacum*: at vero in *Abrahamo* ipſum immolare juſſo, fuit contraria plane voluntas & intentio ut immolaret ipſum, & ea *Abrahami* voluntas juſtiſſima fuit.

Unde patet Dei voluntatem approbantẽ nullo modo includerere Dei intentionem ut objectũ voluntatis approbantis actu exiſtat. Vult Deus ut pater ſenio gravis moriatur, nòn peccat filius volendo, ut ſenex ſuperviveret, ut obſervat *Auguſt. Enchir. c.* 10. At vero tenemur conformate volũtatẽ noſtram Dei voluntati approbanti quatenus nobis revelatur. Si lòquamur de objecto formali, dicunt *Durand.* & *Valent.* nos debere velle omne bonum in relatione ad Dei gloriam, quod commode intelligi debet. Nam omnes homines ipſam habitudinem rerum, etiam peccati, ad gloriam velle tenentur. Nam quamvis non liceat nobis vel velle peccatum ut Dei gloria illuſtretur, attamen debemus velle hoc, quod peccatum à ctu dirigatur ad Dei gloriam, Eſt enim hæc voluntas Dei revelata & æqua & ſancta, ideoque poſſumus nos velle id à Deo fieri, cujus objectum vel materiam ipſi nec facere nec velle poſſumus abſque horrendo reatu. Nec dici poteſt, debere nos velle voluntate noſtra permiſſiva peccatum quatenus divinæ gloriæ illuſtrandæ conducit, id quod Deus citra officii ſui violationem velle jure optimo poteſt, & vult: & hujus diſcriminis ſola cauſa eſt, quoniam Deus legi ſe non ſubjecit, ſed liberæ ſuæ conſtitutioni, nòs vero legi ſubjicimur. Hinc patet Deum non præciſe ſuam voluntatem aligaſſe certæ regulæ, cui nos alligavit: vult filii à patre occiſionem eſſe homicidium, ita tamen ut ipſe mandare poſſet ut pater filium occidat; res alienas invitis Dominis eripe-

Durand l. 1. d. 48 q 2. Valent tom. 2. d. 2. q. 14. p. 8.

eripere ita voluit eſſe peccatum, ut ipſe tamen poſſet *Iſraëlitis* imperare, ut res pretioſas *Ægyptiorum* ipſis ſubtrahat. Sed de hoc, in diſputatione de providentia Dei.

Cap. IV.

De Dei voluntate antecedente & Conſequente.

1. QUid docuerit de voluntate Dei ſub hiſce notionibus *Chryſoſtomus*, quid etiam *Damaſcenus*, ex ipſorum ſcriptis liquet; nec diffiteor *Arminianos* ipſorum veſtigiis inſiſtere. At vero *Scotus* ait Deum id velle antecedenter quod non in ſe & immediatè, ſed quod vult in antecedente cauſa, ex qua (inquit *Durandus*) effectus ſequitur, quamvis non neceſſariò; ut Deus antecedenter vult omnes ſalvari, quatenus dedit omnibus naturam ſalutis capacem, & media ſufficientia non negavit, & Deus id vult conſequenter quod non in cauſa ſua, ſed in ſe vult, ut credentes ſalvari. *Eſtius*, *Bannes*, Cumel. volunt talem Deo voluntatem non ineſſe. Et credo ſcripturam nuſquam Deo voluntatem, hoc ſenſu, tribuere: ſic enim Deus tam omnium peccata & exitium æternum velle dicendus eſſet: nam omnibus dedit naturam obedientiæ & inobedientiæ, ſalutis & exitii capacem, imo ſic Deus diabolorum obedientiam & ſalutem, & bonorum angelorum inobedientiam & exitium velle dicendus eſſet: natura enim angelica ſalutis & exitii capax eſt. 2. Deus volendo cauſam non propterea vult omnes effectus ab illa cauſa produ-

Chryſoſt. homil 1. in Epheſ. Damaſc. l. 1. de fide ortho: c. 29.

Scot. l. 1. d. 48. q. unic.

Durand. l. 1. d. 45. q. 1. num. 11.

Eſtius l. 1. d. 46.

Bannes tom. 1. quæſt. 19. art. 6.

producibiles. Nam vult cauſam eſſe propter tales & alios effectus producendos: expreſſè dicit ſe voluiſſe extare *Pharaonem* ut in ipſo gloria potentiæ & iræ ſuæ declaretur: at ſi ullo voluntatis actu voluit ut ſalvaretur *Pharaoh*, quæritur quo fine? ut pateſiat gloria miſericordiæ. At vero contrarium finem intendit, neque confusè omnes fines intendere poteſt. Beza noſter vult voluntatem antecedentem eſſe εὐδοκίαν & rei per ſe gratæ complacentiam, & ſic eſt Dei voluntas approbans à decernente contradſtincta, quod ſano ſenſu concedi poteſt. *Am. Polanus* & *Hier. Zanchius* recte docent eſſe improprie dictam voluntatem. *Did. Alvarez* ſenſu non improbando ait voluntate antecedente Deum velle aliquid boni abſolute & voluntate conſequente, & in individuo ſecundum omnes circumſtantias adjunctas, Deum idem nolle; ut antecedenter vult ſalutem reproborum, eſt enim res in ſe & abſolute amabilis: at conſequenter non vult, quia ſecundum omnes circumſtantias, & univerſi ordinem, non eſt bona: nam ſalus reproborum privaret mundum glorioſâ providentiâ juſtitiæ divinæ declarativâ.

Vaſq. tom. 1. d. 83. q. 10. c. 3. & 4. Suares inopuſc de liber. Dei diſp 1. ſ. 2. ſig. 11.

2. Jeſuitæ recentiores præſertim, *Gab. Vaſquez* & *Franciſc. Suarez.* & *Arminiani* docent voluntatem antecedentem eſſe naturalem in Deo affectum, qua naturæ impetu vult bonum & ſalutem creaturarum intelligentium quatenus ſunt creaturæ, & nihil adhuc merito aut demerito egerunt: at quatenus obedientes ſunt

vel

vel inobedientes, conſequenter vult quoſdam damnari. Hinc ex amore antecedente omnes vocat, gratiâ communi afficit; omnibus Chriſtum dedit in mortem, verbum euangelii omnibus offerre paratus eſt, niſi ipſi ſibi ponant obicem; hinc conſequenter quoſdam prout peccatis ſunt commeriti, vocationem ſpecialiorem negat, indurat, euangelium non indulget ſecundum ſapientiam & juſtitiam ſuam. Ita *Arminius*, *Corvinus*, *Greuinchovius*; ſed quibuſdam placet voluntatem antecedentem vocare conditionatam, & verbo optativi modi explicandam, id quod *Vaſquezii* palato minime ſapit, qui vult eam eſſe voluntatem ſimplicis affectus, & complacentiæ abſolutæ; conditionatam vero dici, non quia fertur in objectum ſuum conditionatè, ſed quia ex illa quæ præſens eſt, alia (voluntas) oriretur, ſi conditio in objecto poneretur. *Ioanni Cameroni noſtro* placet amor quidem antecedens, & voluntas conditionata, qua pro omnibus Deus pater Chriſtum tradidit in mortem, omnes vocat, omnium ſalutem vult, qui quantum ab antecedente hac voluntate differat, ex ejus ſcriptis colligere haud eſt in proclivi. *Ioan. Camer. in miſcell. tom 3 p. 575.*

3. Hæc tamen voluntas antecedens multis nominibus divina majeſtate indigna eſt. 1. Si ſit in Deo voluntas ſalvandi omnes & ſingulos, quæ nunquam expleatur, erit in Deo potentia finita & infirmitas, quia ſua deſideria explere non poſſet. Reſp. *Arminius*, *non ſequi: Dei enim potentia non eſt inſtrumentum affectus ſeu*

 deſi-

deſiderij, ſeu velleitatis divinæ, ſed volitionis liberæ ultimum divinæ ſapientiæ judicium ſecutæ, quanquam Deus eouſque utatur potentiâ ad obtinendum id quod deſiderat, quâ deceat. Reſp. 1. Contradictio hic eſt plana. Potentia Dei non eſt inſtrumentum affectus naturalis, quanquam Deus utitur potentia ſua ad deſiderium ſuum implendum qua deceat. Ergo non eſt inſtrumentum, & eſt inſtrumentum. 2. Fabulatur de ultimo divinæ ſapientiæ judicio, quo innuit eſſe in Deo primum judicium ſapientiæ divinæ prævium, ideoqne judicium ſenſitivum & temerarium, quod corrigitur ab ultimo judicio. Eſt hic Deus Anthropomorphiticus. 3. Dicit in Deo eſſe affectum naturalem, quem Deus per nullam potentiam implet. At quare hoc? Eſt hic affectus brutinus, mere naturalis, qualis eſt lapidis deorſum vergentis appetitus, qui à cognitione primæ cauſæ dirigitur. Itane? Quis Deo ſuperior ipſum dirigit? Eſt enim affectus expers cognitionis: nondum enim acceſſit ultimum judicium ſapientiæ: ergo hic affectus appetitui ſenſitivo in brutis dignitate longe cedit. Nam brutorum appetitus ſenſitivus cognitione non vacat: amabit ergo Deus ignorans, quid amet. 4. Quid Deus contra decentiam ſuam ageret, ſi actu ſalveret omnes, quos cupit ſalvari naturaliter? Agitne contra decentiam ſuam in procuranda electorum ſalute? Nihil minus. At cur decentiæ divinæ adverſaretur ut reprobos ſalvaret? Novit enim notione congrua ab ipſo *Ar-*

ſo *Arminio* conceſſa, quanquam reclamantibus ipſius diſcipulis, omnium voluntates ex æquo indeclinabiliter, idque illibatâ libertate, movere & permovere. Sed ego pandam pudendum hoc myſterium, adverſatur Dei potentiæ ut alios convertat, quam qui convertuntur. Nam antecedenter ad Dei decretum, & ad ſcientiam mediam, damnandi liberè reſtiterunt Dei vocationi, & ſalvandi obtemperarunt, & Deus ſalvare non poteſt per ullam potentiam eos qui ante omnes actus decreti divini vocationem rejecerunt. 5. Quæro quid intelligat per Dei decentiam? Eſtne hæc decentia talis modus agendi à Deo libere inſtitutus? Credo hoc negari non poſſe. At quæro, quare hunc modum agendi decentem eſſe voluit reſpectu electorum, indecentem vero reſpectu reproborum. Nam libere hos mòdos vòcandi inſtituit: hic hærebunt, niſi ad abſolutam Dei libertatem confugerunt, quo ſtatuit abſolutè, hos vocare, modo decentiæ ſuæ conveniente, illos modo decentiæ ſuæ plane adverſanti; at hoc non concedent Ieſuitis *Arminiani*. 6. At illud eſt, quod dicunt decentiam hanc eſſe modum connaturalem juſtitiæ divinæ, & alienum eſſe à Dei juſtitia ut Deus reluctantes, eo modo vocet quo non reluctantes vocantur. At tum Deus neceſſitate juſtitiæ non poteſt procurare ut damnandi, quos Deus ſalvari vult, obediant & non peccent reſiſtendo vocanti, quod ipſi *Arminio* diſplicebit dicenti *Deum præter illa* *ſuffi-*

Armin. Antiperk. edit. Ber p. 728.

ſufficientia impedimenta etiam efficacia habere in ſapientiæ ſuæ theſauro, quibus productis certò & infallibiliter peccatum impediretur. Sed audi, *Iacobe*, illa impedimenta vel adverſantur Dei decentiæ & juſtitiæ, vel non. Si primum, dici non poteſt eſſe in promptuario divinæ ſapientiæ impedimenta, quibus productis impediretur peccatum, puta reſiſtentia facta ab omnibus non converſis divinæ vocationi: Sapientia enim Dei non poteſt aliquid Deo dictitare quod decentiæ & juſtitiæ adverſatur: num quæſo Dei ſapientia præſcriberet Deo aliquid indecens & injuſtum? Abſint baſphemiæ. Si vero illa impedimenta non adverſantur Dei decentiæ & juſtitiæ, Deus poteſt non obſtante decentiâ ſuâ & juſtitiâ, implere ſua deſideria circa converſionem & ſalutem omnium, qui nec convertuntur nec ſalvantur: non enim impedit juſtitia: ergo nec ipſorum peccatum. Ergo impedit ſola Dei abſoluta libertas, quod fidei Arminianæ adverſatur. Nec ullâ ſanâ ratione dici poteſt abſolutam Dei voluntatem non nixam vel vlli in peccatoribus rationi, vel decentiæ, vel ſapientiæ, vel juſtitiæ divinæ, impedire quo minus Deus impleat ſua deſideria naturalia: imo ſic Dei voluntas abſoluta peccaret in voluntatem hanc antecedentem; quo quid abſurdius? 7. Dicant quare Deus non utatur potentia ſua ad complendum affectum ſuum naturalem, non minus quam ad complendam voluntatem conſequentem. Eſt enim utrobique par ratio, niſi dixerint non conſtare Deo ratio-

rationem affectuum naturalium, ſicut conſtat ei ratio voluntatis conſequentis: ſed hoc tantum non eſt blaſphemum. Quid enim Deus deſideraret quod rationi aut decentiæ ſuæ repugnaret? Nam pro culdubio, ſi Deus omnes converteret & ſalvaret, reſpectu Dei id decens fuiſſet & juſtum: alioqui dediſſet creaturæ liberum arbitrium, quod non poſſet omnes effectus poſſibiles producere, abſque læſione divinæ decentiæ & juſtitiæ, quod eſt abſurdum. 8. Optime notat *Guliel Tuiſſius*, quamvis Deus non corrigat naturam, ut ſic deſideria naturalia impleret per omnipotentiam, non ſequitur alio modo corrigi non poſſe, nempe per gratiam ex præſcientia efficacem, id quod ſubdole diſſimulat *Arminius*. At quæro ex *Arminio* cur Deus quoſdam vocet ſecundum decretum prædeſtinationis, cum certâ ſcientiâ fore ut obediant, & impleatur ſic naturale Dei deſiderium; alios vero ſecundum decretum providentiæ communioris, ex præſcientiâ, qua ſcit eos nunquam obedituros, ut ſic nunquam expleretur voluntas antecedens, id n. *Arminius* ait convenire & *Auguſtini* doctrinæ & fors etiam ſcripturæ. Atqui fors etiam ſcripturæ ex *Arminio* pari rationi conveniat neceſſe eſt, ut Deus ex ſola abſoluta libertate utatur erga pares, vocationibus tam diſparibus. Nulla enim eſt ratio à juſtitia, à decentia Dei, à prævisa fide & contumacia hominum, cur circa homines duo decreta tam diſparia ab æterno poſuerit apud ſe. Si dicunt ex juſtitia

Dei eſſe ut obſequentiores vocentur motione congrua, redibit quæſtio in infinitum, At facti ſunt obſequentes per motum congruum: & ſi inobſequentes ita fuiſſent vocati, fuiſſent procul omni dubio obſequentiſſimi.

Iackſon. de divin. eſſent. ſect 2. c. 17 §. 195. 4. Verum mihi cæteris *Arminianis* hac ſaltem re explicatius *Iackſonus* mentem ipſorum declaraſſe videtur. Ait enim *æternæ æquitatis regulas non pati ut Deus ulterius porrigat manus ad homines ſalvandos, quam actu porrigit:* Reſp. 1. Quæro an ulla regula ſit Deo præſcripta, qua quoſdam convertat, quoſdam non, præter liberam Dei voluntatem, qua miſeretur quorum vult: ſcriptura aliam non aſſignat. 2. An non quivis videat promtuarium ſapientiæ Dei vacuatum, & evacuatum, quo infinitos modos apud ſe reconditos habet, docente *Arminio*, quibus productis, peccatum neglectæ vocationis impediretur; & non poſſe Deum ſine nota injuſtitiæ alios convertere quam qui actu convertuntur, quaſi vero deſineret Deus eſſe juſtus, ſi gratiam converſionis efficacem omnibus gratificaretur. 3. Sequitur Deum neceſſitate naturali juſtitiæ convertere; quos convertit, & non convertere quos non convertit. Imo ab æterno Deus avertere non potuit, quin perirent omnes, qui pereunt, niſi vellet eſſe injuſtus, & ſic Deus fatali neceſſitate ſalvatos ſalvat, damnatos perdit, & fato tot, non plures, non pauciores. Mihi crede *Iupiter Homerianus*, primus motor *Ariſtotelicus* Stoicorum Deus arctioribus vinculis conſtringi non

gi non poteſt. 4. At vero ipſe novator ſui oblitus pag. 179. c. 15. *Apoſtolus* (inquit) *ſubindicat argumentum fuiſſe immenſæ Dei miſericordiæ, quod Deus permitteret Pharaonem diutius ſupereſſe, poſtquam jam evaſerat vas iræ æternæ pœnæ in gehenna, deſtinatum*. Ergo concedit Deum ulterius porrexiſſe manus ad ſalvandum *Pharaonem*: quam paſſa eſt æternæ æquitatis regula, Nam poſt ſeptimam plagam erat vas iræ. Ergo ſecundum juſtitiæ regulam potuit Deus tum ipſum intermiſſe: atqui pœnam diſtulit, & ulterius manus porrexit: nam vocationes plures poſt ſeptimam plagam indulſit. Ergo id contra omnem juſtitiam Deus fecit & regulas æternæ æquitatis violavit. O theologiam prodigioſam!

5. Neque video qui ſeſe expediant Remonſtrantes, qui dicunt ſupremum & *nulli juratum Dominum ac legiſlatorem non ponere ſibi-ipſi legem, ſed ſemper jus ſibi ſuum integrum reſervare extra ordinem agendi* (*prout libet*. Sed quæro an Deus jus habeat faciendi contra juſtitiam & decentiam ſuam in quibuſdam, in aliis vero non. Certe tum reſervavit ſibi Deus jus peccandi, & injuſtè agendi, unde ſequitur neceſſario juſtitiam & decentiam Dei nullo modo eſſe regulam, quam Deus ſequitur in voluntatis antecedentis impletione, ſedDeum hic regulari à ſola ſua libertate abſoluta, quam quoniam non exſequitur, invictè ſtat Deum infirmum eſſe, qui deſideria expleta dare non poſſit.

6. 2.

6. 2. *Arg. Noſtrum.* Ex hac diſtinctione perit Dei libertas miſerendi quorum vult, ergo eſt Deo indigna. Prob. anteced. Deus non liberè, ſed neceſſitate naturæ vult bonum antecedenter ſuæ creaturæ, ut ait *Arminiu.* *Imo* (inquit *Corvinus*) *Deus tali actu non poteſt non velle bonum*, & hæc voluntas ex *Grovinchov.* antecedit Dei libertatem & decretum. Ergo in antecedente Dei voluntate nulla eſt libertas, ſed neque in conſequente voluntate ulla eſt libertas, quoniam voluntas conſequens, regulatur neceſſario à naturali Dei juſtitia, qua non poteſt nonvelle illius converſionem qui convertitur, & nolle illius converſionem qui non convertitur.

7. 3. *Arg.* Nullum naturalem affectum miſerendi agnoſcit ſcriptura. Nam ſi Deus impetu naturæ dedit filium mundo, tum neceſſe fuit, conderetur genus humanum & conditum in peccatum laberetur. Atqui ſic neceſſitate naturæ Deus mundum creavit, & hominem labi permiſit, quia, quæ Deus naturaliter vult, ea non poteſt non procurare ut fierent. Nam eodem naturæ impetu, pater filios amat, & generat filios, quos amet. Si Deus impetu naturæ miſeretur generis humani, eodem impetu neceſſe eſt objectum miſericordiæ ſuæ procuret, 2. Oporteret etiam ut lapſis angelis (quandoquidem ſunt creaturæ rationales, at naturalis deſiderii Dei objecta neceſſaria) remedium pararet. At dicent obſtare juſtitiam

Dei,

Dei quó minus paretur lapſis angelis qui liberrime & nullo ſuadente aut tentante peccarunt, remedium. Sed reſpondeo primo, nata eſt hæc juſtitia ex libero Dei decreto, vel ineſt Deo naturaliter. Si primum, non eſſet injuſtum, ſiquidem Deus voluiſſet, ſi ipſis remedium paraſſet. Si ſecundum, tum neceſſe eſt dicant, non eſſe in Dei ſapientiæ infinita promptuario modos poſſibiles ſalvandi omnes creaturas rationales, quod *Arminio* adverſatur, ne quid dicam gravius. Nam probatum dedimus juſtitiam Dei erga creaturas Deo contingenter, non naturaliter ineſſe. 2. Turpe & indignnm eſt Deo quòd multorum converſionem & ſalutem velit reſpectu amoris communis, quorum non poteſt miſereri reſpectu juſtitiæ; quaſi vero poſſet aliquem amare injuſtè, aut juſtitiam vel exbibere contra aliquem nturalem ipſius amorum, vel amare aliquem naturaliter contra juſtitiam, quum Dei libertas ſit & juſtitiæ & amoris erga creaturas regula. 3. Imo hinc ſequitur tam converti homines ſecundum rigorem juſtitiæ divinæ, quam ſecundum divitem miſericordiam, & tam homines debitores eſſe juſtitiæ divinæ, adeoque ſuo reti ſacrificare debere, quam diviti Dei miſericordiæ, cui in ſolidum ſcriptura noſtri converſionem, nullo modo juſtitiæ debere acerrimé contendit. *Epheſ.* 2. 4, 5, 6 *Iac.* 1. 18. *Tit.* 3. 5. 6. 2. *Tim.* 1. 9. *Rom.* 9. 15. 3. Naturalia in Deo ſunt æterna, ſicut ipſa Dei natura eſt æterna, unde ſequitur in æternum

num Deum velle damnatos homines & reprobos angelos ſalvari. Nam nihil naturale Deo accedit aut recedit tanquam extraneum eſſentiæ ipſius, & ſic Deo eſt naturale remedia invenire, quibus omnes damnatos ex æternis cruciatibus redimat, & hic reviviſcet error *Originis* aſſerentis cruciatus damnatorum non eſſe æternos. Prævidit hoc argumentum *Arminius* & ei dupliciter occurrit. Nam. 1. dicit Deum voluiſſe (attende, non dicit Deum, jam velle) antecedente voluntate ſalutem dæmonum; Sed quare voluit ipſorum ſalutem, & jam non vult? Nam naturale Dei deſiderium eſt æternum: quid enim naturæ divinæ decéderet? Et adhuc & in æternum Deus naturaliter diligit creaturas ſuas qua tales, atqui dæmones nondum deſierunt eſſe Dei creaturæ; ſed utinam pervideret eccleſia Dei fœdum atheiſmum ſectæ *Arminianæ*, nempe cum *Vorſtio* mutatum jam olim eſſe Deum & exoletum, atque evanuiſſe naturale Dei deſiderium erga ſalutem *Dæmonum*. 2. Dicunt *Arminiani* Dei ſapientiam & juſtitiam determinationem aut quandam modificationem imponere Dei affectibus naturalibus. Age vero videamus, ecquid rei ſit hæc determinatio: Dei ſapientia & juſtitia vel determinant Dei deſideria naturalia ut tandem non ſint, quando olim erant, vel ut ſint modificata & determinata. Quæro, an Dei ſapientia efficiat ut non ſit in Deo jam naturale deſiderium ſalvandi damnatos angelos & homines; at quæro rationem, quare non

jam

jam deſideret ipſorum ſalutem. Ratio vel eſt in Deo, vel in ipſis damnatis. In Deo quæ poteſt eſſe ratio, cur olim deſiderarit ſalutem damnatorum, nunc vero non deſideret? an quia abſolute nunc non vult deſiderare, olim voluit? atqui libertas Dei quia eſt cauſa libera, nullo modo poteſt eſſe cauſa deſiderii naturalis & neceſſarii, neque ulla poteſt eſſe in Deo ratio quare mutentur & intereant Dei volitiones: ſic enim Deus à principio interno eſſet mutabilis, atque adeo corruptibilis. Neque poteſt eſſe ratio in ipſis damnatis, quia manente objecto formali deſiderii, manet ipſum deſiderium, atqui in ipſis damnatis manet eſſe ipſorum, neque per hoc quod damnantur, deſinunt eſſe Dei creaturæ. Ergo neceſſe eſt adhuc Deus velit damnatos ſalvari, quatenus ſunt Dei creaturæ: Dei ergo ſapientia non reſcindit in Deo aliquid naturale. Si vero Dei ſapientia tantum determinat Dei deſiderium ut ſit decens & juſtum, tum in Deo erunt propriè dictæ paſſiones antevertentes actum ſapientiæ divinæ ex ſe injuſtæ & indecentes, donec in ordinem redigantur per rectæ rationis imperium. Quod enim eſt capax moderationis, id ex ſe natum aptum eſt deviare; quare ſic Deus erit *Iovi* poetarum paſſionibus obnoxio haud impar. Præterea; quando dicit Deus, (volo congregari *Hyeroſolymitanos*,) vel id juſte & ſapienter vult, vel non juſte. Si prius, non antecedentis voluntatis actu, ſed antecedentis & voluntatis reſtrictæ & determinatæ

actu

actu vult illos congregari: at vero ſic vult ipſos voluntatis conſequentis & non antecedentis actu congregari. Nam voluntatis reſtrictæ & determinatæ per ſapientiam & juſtitiam, actus, non eſt actus naturalis deſiderii Dei, quod terminatur in ſolum eſſe creaturæ intellectualis. Nam voluntas per juſtitiam reſtricta præſupponit creaturæ actus obedientiæ & inobedientiæ, quos nullo modo præſupponit voluntas antecedens. Si vero vult *Hieroſolymitanos* congregari non juſte ſed naturali tantum inclinatione, non videmus hic ullam determinationem factam à Dei ſapientiâ & juſtitiâ: ſed actum mere naturalem non modificatum, Atqui quæro, quando modificatur, ſi non quando Deus actu vult illos obedire & ſalvari; ſed huc inclinent, neceſſe eſt, *Arminiani*, ut dicant Deum in exercito nunquam actu, uti voluntate antecedente, ſed propenſione ſeu inclinatione tantum velle aliquid antecedenter, id quod diſerte dicit *Corvinus*, *Tum certe* (inquit) *quatenus Deus deſiderat hominum ſalutem, eatenus id deſiderium impletur quia eam deſiderat, niſi quatenus id juſtitia permittit.* Atqui hoc eſt voluntate conſequente à juſtitia determinata ſalutem reproborum velle & hoc eſt nolle reprobos ſalvari: reclamat enim juſtitia, quo minus ſalventur. Itaque ex *Arminio* & *Corvino* Deus non actu antecedentis voluntatis vult reprobos ſalvari.

Corvin. cont. Molina. c. 5 ſ. 9.

8. Eſſe in Deo deſideria juſtitiæ ſapientiæ expertia blaſphemum eſt. *Imo ſatis eſt* (inquit *Corvi-*

Corvinus) quod ſint benevola. Sed an non damnantur in creaturis intelligentibus cæcus & brutus amor eorum, quæ ignorant ſintne aſſecuturæ, an non uti *Coridon ardebat Alexin* (ut ait *Maro*) *nec quid ſperaret habebat.* Eodem modo Deus ardebit amore ſalutis omnium hominum & diabolorum neſciens, ſitne id obtenturus. *Imo* (inquit *Corvinus*) *non neceſſe eſt, ut Deus quando aliquid intendit ac vult, conſideret ſitne id obtenturus nec ne, ſed ſufficit ut conſideret quod cum ex bonitate, tum ex amore erga juſtitiam ipſum deſiderare, deceat.* Sed 1. naturalia Dei deſideria antevertunt decreta libera & actus ſapientiæ divinæ, uti cum *Arminianis* docet *Grevinchovius*: hoc vero reſorbet *Corvinus* & vult Deum velle & intendere ſalutem creaturæ ex amore erga juſtitiam, & ex ſua decentia uti fabulatur *Corvinus.* Ergo Dei decentiæ & ſapientiæ actus, quibus conſiderat, æquum eſſe & juſtum ut talia deſideret, priores erunt voluntate antecedente at naturalia libero in Deo priora eſſe creditur, id quod ipſi docent. Ecce hic erit aperta contradictio. 2. Nullus appetitus brutinus eſt expers cognitionis ſenſitivæ in ſuo genere perfectiſſimæ: non ergo datur in Deo affectus expers cognitionis infinitæ, quæ penetret non tantum in decentiam & ſapientiam deſiderii ſive affectus, ſed etiam in deſiderii impletionem. In hoc enim amor creaturæ intelligentis eſt imperfectus, quod non præſupponit ſcientiam perfectam, quâ ſcitur, ſitne iſti amori ſatisfaciendum, nec ne. 3.

Corvin. cont. Molin. c. 5. ſ. 6.

Ibid. ſect. 7.

Omnia naturalia deſideria æqua & ſancta præſupponunt media ſufficientia & apta ad fines intentos aſſequendos, ut inductione conſtat, in appetitu movendi, generandi, nutriendi, & rationabiliter volendi. Ergo voluntas antecedens præſupponit gratiam ex præſcientia efficacem ad ſalvandos omnes homines & angelos: ergo omnes homines & angeli ſalventur, neceſſe eſt.

9. 4. *Argum*: Voluntas hæc antecedens eſt indeterminata, incerta, ſuſpenſa, & mutatur in abſolutam & peremptoriam voluntatem ſalvandi, ſi impleatur conditio, vel damnandi, ſi non impleatur. Ergo non eſt in Deo. *Corvinus* ait unam eſſe & eandem voluntatem, quæ prius cum ſit conditionata, poſita conditione, tranſit in abſolutam. Reſp. 1. Poſita conditione tranſit (inquit) voluntas antecedens conditionata in abſolutam: atqui, ponitur conditio in tempore: homines enim in tempore obediunt. Ergo in tempore voluntas antecedens mutatur in voluntatem abſolutam, & ab æterno ſuſpenſa erat voluntas ſalvandi *Petrū*, donec *Petrus* in tempore finaliter crederet, quam abſurdum. Si vero dixerit Deum ab æterno præſciviſſe conditionem ponendam, tum voluntas antecedens ab æterno tranſiit in abſolutam. Quomodo ergo docent *Arminiani* Deum antecedente voluntate velle in tempore omnes obedire & ſalvari? 2. Docent *Arminiani* Deum velle omnes obedire: at quomodo, aut quæ conditio hic ponenda eſt, ut voluntas

Corvin. cont. Molinæ. c. 5. ſect. 11.

condi-

conditionata tranſeat in abſolutam? nempe ſi obedierint, aut ſi velint credere. Ecce theologiam? Vult homines obedire velle, ſiquidem velint obedire. 3. Voluntas naturalis in voluntatem liberam tranſire non poteſt, quoniam docent *Arminiani* & *Ieſuitæ* liberum & naturale opponi contradictorie. Si vero vult voluntatem antecedentem ita tranſire, ut ipſa non maneat voluntas antecedens, ecce tum evanuit voluntas antecedens, & deſinit eſſe. Atqui hoc eſt Deum mutabilem ponere. *Sed neque* (inquit *Arminius*) *poteſt incertitudo tribui illius voluntati, qui infinitâ ſuâ ſapientiâ omnia habet præſentia, & omnia etiam maxime contingentia certo præſcit futura.* Reſp. 1. At oportet voluntas antecedens incerta ſit & ſuſpenſa, quia Deus ea voluntate intendit & obedientiam & ſalutem omnium & ſingulorum, non ſciens ſintne omnes obedituri & ſalvandi. 2. At vero ſi non utatur infinita ſua ſcientia, ſed cæco impetu naturæ, deſiderat ex nulla præſcientia, ſitne id, quod deſiderat futurum nec ne, eodem plane modo Dei voluntas hic erit ſuſpenſa, quo hominum voluntates ſuſpenſæ dicuntur, quippe neſcientes ſintne id aſſecuturi, quod volunt. 3. *Corvin.* citans *Vorſt.* mutabilitatẽ hic manifeſto aſtruit *reſpectu decretorum hypotheticorum, ideo dici poteſt per partes ſeorſim accepta ea mutari, quia conditio reſpectu hominis vel præſtatur, vel non præſtatur, atque ita vel exiſtit, vel non exiſtit, & cum extitit aliquandiu etiam ſæpe exiſtere deſinit, & rurſus poſtquam aliqvandiu deſinit, exiſtere incipit.* *Corv. cont. Molina. c. ſ. 10.*

 cipit.

Vorſt. amic. digii. c. 1. p. 6.

cipit. Ita ipſe *Vorſtius*. *Eventum* (inquit) *duntaxat aliquem particularem à cauſa ſecundâ contingente pendentem aliquando mutari dico, cujus deinde reſpectu decretum Dei per partes ſeorſim acceptum aliquatenus mutabile dici poſſit.* Habemus hic reos confitentes; quoniam centies in uno anno, homo credit, homo non credit, ideoque exiſtit & non exiſtit conditio; ideo mutatur Dei voluntas per partes, & aliquatenus. Deus ergo erit Deus aliquatenus, & immutabilis aliquatenus, & non Deus & mutabilis aliquatenus, hoc eſt, ſecundum quid non æternus, ſecundum quid non Deus. 2. Si decretũ Dei per partes & ſeorſim ſumptum ſit mutabile, quare decretum integrum non minus ſit mutabile, nullam rationem reddunt *Armin.* & certe ſi Deus ſit ad horã mutabilis, & non Deus, cur non in æternum mutabilis & non Deus, ratio nulla excogitari poteſt. 3. Operæ prætium eſt obſervatu quomodo *Corvinus* loco citato accerrime propugnet hanc in Deo mutabilitatem, & rationem, quæ ad ſcholæ Arminianæ palatum imprimis facit, reddat, nẽget tamen concluſionem, nempe Dei voluntatem ullo modo eſſe mutabilem, & hoc eſt præmiſſis largiter ſuffragari, concluſioni vero contraniti. 4. *Suarez*, quem ubique *Arminiani* ſequuntur concedit manere voluntatem antecedentem in Deo etiam erga damnatos: qua Deus velit ipſos ſalvari, & tum quidem, quando eſt in Deo efficax voluntas inferendi pœnam. Ita etiam Remonſtrantes in apolog. Ita etiam *Corvinus* contr. *Molinæ, c.* 5.

Suarez in opuſc. relect. de liber. div. ſect. 2 ſ. 10. p. 295.

Et

Et hic *Corvinus* & *Vorſtius* volunt ex conditione poſitâ, vel non poſitâ oriri vel deſinere in Deo decreta, ideoque mutari decreta: at vero remota conditione, nulla tum erit ratio, cur removeretur, aut deſineret decretum. Nam quando homo non credit, per ipſorum doctrinam poteſt Deus decernere, ut ſalvaretur homo, ſiquidem crederet: ergo & manebit decretum, remotâ conditione decreti, & non manebit, quæ ſunt contradicentia.

10. *Argum.* 5. Voluntas antecedens pugnat cum Dei felicitate: Abſolute enim beatus non eſt, qui ad deſideriorum impletionem pervenire non poteſt. Reſpondet *Suarez*, Deum hic nihilo infæliciorem, quoniam non vi externâ à fine depellitur, ſed ex infinitâ ſuâ juſtitiâ vult damnationem inobedientium, & nihil Deum deſiderare tanquam alicujus rei indigum ſupra dixit *Corvinus*. Sed Reſp. 1. Poſitâ ſcientiâ mediâ, quam ordine naturæ antecedit futuritio inobedientiæ & damnationis reproborum, vi maxime externâ & fatali neceſſitate antegrediente & Dei ſcientiam & decretum liberum, Deus non poteſt magis implere ſuam naturalem voluntatem, de ſalute damnatorum, quam efficere poteſt, ut quod jam eſt, non ſit, quod ſimpliciter Deo eſt impoſſibile & omnipotentiæ divinæ ἀσύςατον. 2. Voluntates contumaces reproborum, quæ ſunt agentia externa, determinant in genere cauſæ moralis voluntatem Dei ad homines damnãdos: ergo Deus externa vi à fine depellitur.

 3. Ni-

3. Nihil Dei beatitudini decederet, ſi non ſciret omnia, quæ actu ſunt, quod factum fuiſſet, ſi nihil creaſſet, uti libere potuit non creaſſe, & tamen abſolute perfectus non eſſet Deus, ſi entia jam actu exiſtentia ignoraret: ullas vero eſſe in Deo facultates & potentias (ut ſic loquar) quæ in ſua objecta indeclinabiliter non ferantur, argueret felicitatem mancam. 4. Omnia Deum facere quæ vult, nota eſt ipſum à non diis diſcriminans *Pſal.* 115. 4, 5. Eatenus itaque erit non Deus, quatenus vult, quod facere non poteſt. 5. Delirat plane Jeſuita, dum ait Deum propter ſuam juſtitiam non poſſe ſalvare omnes, quos vult. Quid? an ex juſtitiâ, an potius ex abſoluta voluntate quibuſdam vocationem congruam indulget, quibuſdam negat? Non ex juſtitia id provenire dicet, niſi ſui ſit oblitus, ſed ex abſoluta voluntate ſalvandi quoſdam præ aliis, neque juſtitiam ſuam læderet, ſi omnes congruè vocaret. Dices: quidam propter contumaciam & contemptum vocationis communioris commeriti ſunt ut ipſis negaretur, ex juſtitiâ, vocatio congrua, ſed hoc eſt ludificare lectorem. Nam illa contumacia vel eſt ex vocatione congruâ, vel non congruâ: ſi ex vocatione congruâ, tum non erant contumaces, ſed Dei motioni obſequentes: ſi ex vocatione non-congrua, redibit rurſus quæſtio, cur Deus negarit primam motionem congruam, quam ſecuta eſt prima contumacia; an ex juſtitia, an ex abſoluta voluntate? Non ex juſtitia:

nulla enim eſt juſtitia, homini nondum contumaci negare vocationem, qua poſitâ, nulla foret in ipſo contumacia: ſi ex abſoluta voluntate, vicimus. Denique nec *Arminiani* cum ſuis Jeſuitis admitterent repugnare Dei juſtitiæ quod omnes liberi arbitrii genio & ingenio convenienter moveret & permoveret ad obedientiam finaliter. Hoc enim eſſe in promptuario ſapientiæ divinæ (quæ nullo modo pòteſt juſtitiæ adverſari) fatetur ipſe *Arminius*, ut ſupra audivimus.

11. *Argum.* 6. Pugnat etiam cum infinita Dei ſapientia, ut id intendat, quod ſe nunquam aſſecuturum præſcit, & in homine talis intentio ſtulta eſt, & vana. *Corvinus* putat ſufficere hic in Deo cognitionem, qua novit creaturam, cujus ſalutem & obedientiam deſiderat, à ſe utriuſque capacem eſſe conditam. Sed 1. hinc infero Deum jam intendere ſalutem diabolorum & damnatorum jam infernis adjudicatorum, & pari ratione etiam exitium & inobedientiam electorum angelorum & hominum, qui jam corpore ſoluti æterno gaudio fruuntur. Novit enim & Diabolos & beatos obedientiæ & inobedientiæ, ſalutis & exitii capaces à ſe conditos eſſe. Si dixerint, Deum id non poſſe jam ſapienter intendere, quoniam novit damnatos homines & Dæmones, & beatos angelos & homines non poſſe jam ullo modo eſſe objecta talium intentionum rationabilia, at quare non poſſunt? rogo, quia ſcit damnatos jam extra metas obedientiæ

conſtitutos eſſe. At quid tum poſtea? Sunt tamen capaces obedientiæ, quandoquidem ſunt creaturæ intelligentes. Deinde concedit itaque intentionem antecedentem Dei eſſe ſecundum ſcientiam perfectiorem, quam qua ſcitur, creaturam conditam eſſe capacem obedientiæ & ſalutis. Si vero per ſcientiam, qua ſcit creaturam capacem conditam eſſe obedientiæ & ſalutis, intelligit ſcientiam qua novit eos nondum ad metam perveniſſe, ſed pervenire poſſe, tum objectum amoris antecedentis non eſt creatura qua talis, uti illi docent, ſed creatura talis, nempe quia ad metam nondum pervenerit obedientiæ aut inobedientiæ. 2. Deus pari jure intendit creationem plurium mundòrum & angelorum & hominum, quippe novit ſe eſſe cauſam potentem & ſufficientem ad producendum plures mundos: & tum quæritur quid impediret quo minus Deus ſatisfaceret tali intentioni, & plures mundos, angelos, & homines faceret? Non enim reſiſtunt hic creaturæ Dei voluntati: at vero ipſum Deum reſiſtere eſt longe abſurdum: nunquid Deus Deo reſiſteret? 3. Ipſe *Arminius* contendit *Auguſtini* doctrinam eſſe, addit, *fors etiam ſcripturæ*, Deum decretò providentiæ negare gratiam efficacem, adeoque vitam reprobis, & eorum obedientiam intendere tali ſcientia, qua novit ipſos nunquam perſuadendos fore ut obediant, & electos vocare decreto prædeſtinationis, & ſcientiâ, quâ certò novit ipſos obtemperaturos, ac
pro-

proinde ſors etiam ſcripturæ conveniet, vel ipſo *Arminio* judice, voluntatem hanc antecedentem, quam nullâ præſcientia niti volunt merum ſomnium *Chymericum* eſſe. 4. Neque rationabilis eſt Dei cognitio, qua ſcit creaturam poſſe obedire ad fundandam ſapientem Dei intentionem, quando ſcit ſe eo modo moturum eſſe eorum voluntatem, quibus antecedenter vult & intendit ſalutem, quo nunquam actu obedituri ſunt, quaſi vero apud ſe Deus diceret: Ego naturaliter deſidero ſeriò & ex animo obedientiam & ſalutem omnium: ſcio tamen me pleroſque ita vocaturum, & eo modo moturum quo nunquam obedituri & ſalvãdi ſunt. Item quî poteſt Deus decernere juſtitiam vindicatricẽ quam patefacere nullo modo Deus poteſt, ſi impleretur voluntas antecedens?

12. *Argum. 7.* Alienum eſt etiam à juſtitia Dei; ut Deus velit omnes ſalvari, priuſquam ipſos conſideret obedientes. Talis enim amor antecedens, quo amplectitur nondum credentes, non fundatur in meritis Chriſti, neque amat ipſos in Chriſto. Ergo ſecundum dogmata *Arminiana* erit amor injuſtus. Hoc enim argumento conantur labefactare decretum noſtrum electionis abſolutum, quo Deus dicitur iis velle vitam æternam nondum partam Chriſti meritis, & priuſquam ipſos conſiderat ut credentes. Scio hic ipſos negare non eſſe parem rationem affectus naturalis & decreti. Volunt enim voluntatem antecedentem antecedere Dei juſtitiam, & ex ſe formaliter non

eſſe juſtam nec injuſtam, ſed benevolam & naturalem. Sed Reſp. 1. Ipſos ſic ſtatuere in Deo naturam omnis ſcientiæ, ſapientiæ, & juſtitiæ expertem, eodem modo quo philoſophi ponunt in homine naturam ſenſitivam rationali priorem, quo nihil eſt indignius Deo. 2. Volunt ex pura Dei voluntate & natura ipſius promanare voluntatem antecedentem, ſed accipimus non probata. Ex pura Dei bonitate Deus vult bonum creaturæ; quatenus Deus eſt bonus, ipſius affectus neceſſario fertur in bonum: hæc enim ipſorum mens eſt. Jam aſſumo ego: atqui creaturam peccatricem æternas pænas luere, vel eſt malum: vel bonum. Si malum, juſtitia erit malum, opus divinæ juſtitiæ erit malum & injuſtum, Deus qua juſtus, injuſtus, malus & mali perpetrator, audite *Arminiani*, quo rapiat vos inſania? Si bonum, tum antecedens Dei voluntas neceſſario in illud feratur oportet: atqui ita Deus naturali affectu vult omnes homines utpote peccatores in æternum perire, non minus quam ſalvari. Eant itaque *Arminiani* cum ſuis conſequentiis, Deus vult omnes ſalvari: Ergo orandum pro omnibus: ſic ego convenienter ipſorum placitis, textui apoſtolico contrarium urgeo, Deus antecedente voluntate vult omnes & ſingulos peccatores in æternum perdi: eſt enim hoc bonum juſtitiæ: ergo pro nemine orandum. Utinam hunc nodum mihi eximerent: ſi dixerint bonum tantum creaturæ eſſe voluntatis antecedentis objectum, bonum vero

vero juſtitiæ non eſt creaturæ bonum, id quod mihi videtur affirmare *Corvinus*: *Imo vero* (inquit) *quando poſita conditione Deus aliquid vult abſolute manet de oppoſito ejus, quod ita eſt volitum voluntate conſequente (ſi objectum eſt bonum) in Deo velleitas, quæ antecedens voluntas dicitur.* Tum dico falſum eſſe, bonum juſtitiæ non appeti naturaliter à Deo: Deus enim neceſſariò ſuam juſtitiam amat, ideoque quando Deus vult & decernit, ut credentes ſalvantur, manet velleitas antecedens, qua Deus ipſos perdi velit: puta ſi inobedientes fuiſſent. Quid? an negabit *Corvinus* objectum hoc bonum eſſe & juſtum, ut inobedientes perdantur? theologi nomen vix meretur, qui talia neget. An nihil eſt bonum niſi quod creaturæ eſt bonum? Cur dicat itaque (ſi objectum eſt bonum) non capio niſi velit Deum antecedenter velle aliquid mali, quod eſt dictu horrendum. 3. Ipſe *Grevinchov.* ponit in Deo affectum naturalem perdendi idololatras, naturalem & decreto Dei libero priorem, quo neceſſario ſequetur voluntatem antecedentem ferri naturaliter in bonum juſtitiæ, adeoque in interitum creaturæ peccatricis. Imo *Corvinus* contra *Molinæ* vult ſapientiam ita moderari Dei affectus, ut officium creaturæ à Deo magis, quam ejus bonum ametur ac fortius deſideretur. At vero quoniam officium creaturæ eſt bonum naturale in ſe, non minus quam ſalus creaturæ, Deus antecedente voluntate officium creaturæ neceſſario velit, oportet & pari ratione pœnam

Corv. cont. Molina. c. 5. ſ. 11.

Contra Ameſ. p. 20.

Corv. cont. Molinæ. c. 5. ſect. 6.

crea-

creaturæ inobedientis: eſt enim in ſe bonum naturale.

13. Notari tamen hic velim, *Arminianos* eo inclinare, ut doceant punire peccatorem eſſe à Dei natura alienum, & opus plane extraneum, quam blaſphemiam manifeſto aſtruit *Thomas Iackſonius. Naturæ Dei* (inquit) *adverſatur punire figmentum manus ſuæ. Ita Corvinus: à Deo invite aut cum ægritudine quæ paſſio ſit, quicquam fieri non fingimus, tantum dicimus præter ejus inclinationem naturalem fieri, ut perdat eum quem ex deſiderio ſuo naturali ſalvum vellet, & poſtea Deum ex intrinſeca ſua bonitate benefacere, quod autem puniat* (*hoc eſt juſtitiæ vindicatricis exercitium*) *ex nobis eſſe. Hoc eſt Deum pertinaci hominum malitia compulſum punire.* Reſp. 1. Si Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, ut docet *Paulus, Epheſ.* 1. 11. Nihil agit contra naturam ſuam, imo manifeſta eſt contradictio, Deum non agere quicquam invitè, & punire tamen compulſum pertinaci hominum malitiâ: ſic enim invitè, & non invitè, naturaliter & violenter idem ageret. 2. Dicit Deum nihil agere cum ægritudine quæ paſſio ſit, quo innuere videtur, Deum perdere peccatores cum tali ægritudine, quæ non ſit paſſio, hoc eſt, ponere paſſiones non humanas, ſed divinas in Deo: at quænam ſit illa paſſio, ſcire percupio; nempe eſt Deum aliquid velle & facere conſequenter, quæ impetu naturæ non vult, atqui hæc ipſiſſima paſſio eſt humana, ſed determinata per rationem. 3. Ait Deum bene-

Corv. cont. Molina. c. 5. ſect. 8.

benefacere ex intrinſeca ſua bonitate: at aſſumo, punire peccatores eſt ab intrinſeca Dei bonitate & naturali juſtitia, & punire eſt non tantum bene, ſed & optime facere in ſe, licet non creaturæ. Hoc ſi neget, neceſſe eſt dicat, opus juſtitiæ vindicatricis eſſe malum, & Dei bonitati contrarium, adeoque iniquum. 4. Quod vero ait eſſe ex nobis, quod Deus puniat, non ex intrinſeca Dei bonitate, innuit juſtitiam Deo ineſſe accidentaliter, ideo Deus erit juſtus per accidens, ac proinde erit per ſe injuſtus. Nam ſi ita ex nobis ſit, quod puniat, ut non ſit actus juſtitiæ & voluntatis Dei optimæ, quod puniat contra voluntatem & invitus Deus puniat, neceſſe, dicet forte Deum punire contingenter, eſſe juſtum eſſentialiter, ſed id ego non gravate concedo, at tum ex antitheſi *Corviniana*, Deus benefacit creaturæ contingenter, hoc eſt, erit creaturæ bonus, & amans ipſius ſalutis contingenter, in ſe vero & eſſentialiter bonus, hoc vero non concedit Corvinus. 4. Quæro rationem quare Deus ex intrinſeca bonitate benefaciat creaturæ. Reſpondent *Arminiani* & *Iackſonus* loco citato, quia Deus eſt naturaliter bonus, ideo non poteſt non bene-velle naturali voluntate creaturæ ſuæ. Tum ergo infero, ideo Deus punit creaturas peccatrices, quoniam eſt naturaliter & eſſentialiter juſtus, per parem omnino conſequentiam. Ideoque non poteſt Deus naturali voluntate non velle malum creaturæ peccatrici,

catrici,

catrici, ideoque tam Deus ab intrinſeca bonitate punit, quam benefacit. Hoc non poſſunt negare *Arminiani*, niſi velint Deum non eſſe tam eſſentialiter juſtum, quam bonum, quod eſt abſurdum: nulla enim attributa eſſentialia inſunt Deo per magis, aut minus, imo neque creaturæ. Homo enim tam eſſentialiter eſt animal, quam eſt rationalis, quamvis Deus non eſſentialiter benefaciat ulli creaturæ: ſic enim neceſſitate naturæ, creaturam, cui benefaceret, condidiſſe oportuit: quod dogma non eſt Chriſtianum, ſed potius Ariſtotelicum. Ideoque neceſſe eſt, Deus antecedente voluntate velit omnes homines peccatores perire, ideoque non potuit Chriſtum redemtionem humani generis in mundum mittere. *Arminiani* enim docent omnes homines eſſe peccatores antecedenter ad miſſionem, imo ad decretum mittendi Chriſtum. Rationem jam quæro ex *Arminianis*, cur Deus ex naturali voluntate ſalvandi homines, qua creaturas, mitteret ſalvatorem, euangelium indulgeret, vocaret omnes, promiſſis & pœnis propoſitis &c. & non pari ratione ex naturali Dei voluntate perdendi omnes homines qua peccatores, negaret omnibus Chriſtum redemptorem, euangelium, & vocationem, tum communem, tum ſpecialem, & gratiam ſufficientem, omniaque ſalutis media. Sed ego vereor ne negent voluntatem naturalem perdendi peccatores, quam *Grevinchovius* ipſorum doctrinæ convenienter admodum & ocu-

oculate ſatis aſtruit. Imo id *Corvinus* aſtruat neceſſe eſt: Ita enim loquitur: *Deus amat hominem, & ex illo amore propenſus eſt ad ei benefaciendum; amat etiam juſtitiam, & magis quidem quam hominem, ideoque non vult ei benefacere, niſi juſtitiam operetur, ſi eam homo non operatur, ſtatuit eum punire.* Hæc verba obiter examinabo. Niſi Deus amat hominem naturaliter, & naturaliter propendet ad ei benefaciendum, tum an non naturaliter Deus odio habet, & naturaliter propendet ad perdendum hominem inobedientem: nam Deus magis amat juſtitiam, quam hominem: certe optima eſt conſequentia. 2. Si Deus neceſſitate naturæ amat hominem, non magis amat juſtitiam quam hominem, ſed æque, hoc eſt, naturaliter amat utrumque. Nam attributa in Deo neceſſaria & eſſentialia non admittunt gradus intentionis & remiſſionis. 3. Si Deus magis amat juſtitiam quam hominem, tum amat juſtitiam. Nam ex comparativo gradu ſatis norunt logici poſitivum ſequi. Hinc arguo: Deus vel amat juſtitiam vindicatricem (de tali enim loquitur) naturaliter, vel contingenter. Si naturaliter, odio habet, ideoque ad reprobandum omnes peccatores naturaliter propendet, quod eſt, inſtitutum. Si contingenter amat juſtitiam, poteſt non amare, quod eſt abſurdum. 4. Quod ait Deum non velle benefacere creaturæ, niſi operetur juſtitiam, eſt falſiſſimum. Nam Deus benefacit creaturæ antequam operetur juſtitiam, ſiquidem primam vocationem, & primam

Corvin. ibid. ſ. 4.

primam gratiam ſufficientem indulgere creaturæ, quæ nihil adhuc operata eſt, nedum juſtitiam operata eſt, benefacere creaturæ eſt, & talem in Deo beneficientiam erga creaturam, quæ nondum operata fuerit juſtitiam, nec negare audent *Arminiani*.

14. *Argum.* 8. Multis etiam nominibus pugnat voluntas antecedens cum Dei perfectione. Nam 1. Sequitur affectus inordinatos & paſſiones Deo ineſſe. Nam voluntas antecedens eſt votum Dei naturale, omnino fruſtraneum, haud aliter quam æger febricitans contra medici ſapientis præceptum expetit vinum, quod valetudinem offenderet, & medicus ei invito & ſitienti & appetenti vinum negat, ita Deus naturaliter vult omnes Diabolos & homines ſalvari, & ſcit ſapienter decretum à ſe eſſe, ut pateſieret gloria juſtitiæ vindicatricis in perditione angelorum reproborum & hominum. Hoc autem decretum neceſſario irritum erit, ſi Deus antecedenti voto naturali ſatisfaceret in actuali ſalvatione omnium, & ſi decretum hoc ſit ratum & firmum, neceſſe eſt voluntati antecedenti in pleriſque nunquam ſatis ſit factum. Erunt itaque in Deo volitiones duæ, quæ, citra ſapientiæ divinæ jacturam impleri non poſſunt. Voti fruſtrationem Deo tribui concedit *Corvinus*, ſed quomodo? Audi dictatoris ſententias· Θεοπρεπῶς (inquit) *hoc eſt ita ut nullam in Deo imperfectionem ac defectum arguant*. Sed eſtne hoc, Domine Dictator, petere principium? Hoc ipſo quod

Ibid. ſect. 2. pag. 74.

quod vota ſint inefficacia ponetur maxime in Deo imperfectio. *Neque* (inquit *Corvinus*) *eſt ex defectu potentiæ quod Deus deſideriis ſuis fruſtretur, ſed ex modo & termino quem iſtius potentiæ exercitio poſuit ſapientia.* Sed 1. Hic Dei ſapientiæ vitio dat, quod Deus votis fruſtretur: qualis hæc ſapientia, quæ talem ſtatuit potentiæ determinationem, ut Deus votis fruſtretur? ſapientia itaque vota iſta corrigat tanquam inſulſa, & talia quibus ſapienter non poteſt ſatisfieri, neceſſe eſt. Putabam *Arminianis* magis allubeſcere fruſtrationem votorum Dei ab hominis ſtultitiâ, quam à Dei ſapientia fieri? ſed jure merito, quæritur an ea ſit ſapientia, quæ ita res adminiſtret, ut Dei naturalia deſideria ſint fruſtranea, niſi eo rerum ventum ſit, ut ſapientia Dei aliter diſponere non poſſit, quin Dei deſideria inania fiant, ideoque ſapientia Dei non poterat media ita diſponere, quibus indeclinabiliter ſalvarentur omnes homines & angeli, quam prodigioſum dogma? Addit etiam, *ideoque ſit* (quoniam Deus nihil deſiderat ex indigentia) *ut in ordinato deſideriorum, ſecundum eandem menſuram exercitio, ipſe Deus acquieſcat.* Sed quid hoc ſit vix capi poteſt, menſuram deſideriorum Dei ponit ſapientia, ut non ulterius Deus deſideret, quam patitur ſapientia infinita, ſed acquieſcat: ſed & hoc falſiſſimum eſt. Sapientia enim ita menſurat deſideria, (ut illi dictitant) ut non velit Deus ſalutem creaturæ niſi quatenus creatura operatur juſtitiam, ut loquutum ſupra ha-

Ibid. ſect. 7. pag. 76.

buimus *Corvinum*: atqui non acquieſcit Deus in tali menſuratione. Nam poſtquam Deus peremptoriè decreverit damnare *Iudam* infidelem, non acquieſcit Deus, ſed adhuc etiam manet in Deo velleitas ſalvandi *Iudam*, puta ſi infidelis non eſſet. Itaque nullam hic video in Deo acquieſcentiam, nullam velleitatis naturalis terminationem; ſed in æternum voluntatem Dei naturalem ſalvandi omnes & ſingulos mortales exuberantem, & extra terminos juſtitiæ & ſapientiæ cancellos exſpaciantem & errantem, nemo vel mediocriter naſutus non videt. 2. Sequitur Deum naturali amore velle multa poſſibilia, quæ ut actu fierent, reclamat ſapientia & libera Dei voluntas, hoc eſt velle multa contra rationis & ſapientiæ dictamen. Hæc eſt paſſio vere humana & inordinata, & ut Deo tribuatur θεωπρεπῶς eſt ἀσύστατον. 3. Impoſſibile eſt ſine notâ imperfectionis maxima, tribuere aliquem effectum voluntati antecedenti, donec conditio ſub qua Deus aliquid vult antecedenter impleatur vel infringatur. Quid hic *Corvinus*? ait dari effectum

Ibid ſect. 10. pag 81. voluntatis antecedentis etiam ante abſolutum decretum; accedo effectum; nempe. *Quod Deus* (inquit) *ſub conditione omnes homines voluerit ſervare.* Itane? Deus itaque non ſola inclinatione & actu primo, ſed actu ſecundo vult omnes ſalvari: hic actus vel eſt determinatus à juſtitia & ſapientia Dei: quo ad modum & objectum, uti clamant *Arminiani*, vel non. Si primum, juſtitia & ſapientia non determinant

stant, ut Deus vellet omnes ſub conditione ſervari, ſed tantum ut Deus vellet credentes ſervari, non credentes non ſervari: nam voluntas conditionata ſalvandi omnes non eget determinatione: quæro enim, ad quid determinatur & reſtringitur hæc voluntas, ad voluntatem abſolutam? At tum non eſt volitio conditionata, ut ait *Corvinus*: ſi vero manet conditionata non reſtringitur: ſi vero non determinatur falſo dicunt ſapientiam & juſtitiam & ſapientiam voluntatem antecedentem determinare. Nam volitio actualis ſalvandi omnes, ſi crederent, eſt volitio Dei in latitudine maximâ, non vero reſtricta & determinata.

15. *Argum.* 9, Si talis antecedens voluntas, qua bonum vult creaturæ naturaliter, Deo convenit, tum per eandem rationem Deus antecedente voluntate voluit eſſe creaturæ, & ab æterno mundi creationem impetu naturæ voluit: at tum cur Deus infinita ſæcula ante mundi creationem, naturali iſti volitioni non ſatisfecit? Quid hic Deo reſtitit? non mundus, non homines, non materiæ defectus. Dicent Dei abſoluta voluntas reſtitit voluntati naturali, at quam abſurdum. Deus libere mundum creavit, ut contra *Ariſtotelem*, *Proclum* & alios diſputant Chriſtiani: ergo potuit in æternum non creaſſe, & talis voluntas in æternum irrita fuit, & pari ratione in æternum Deus vult τὸ eſſe infinitorum hominum & angelorum, & quid impedit quo minus potius

ſatisfaceret voluntati naturali, qua vult fidem & ſalutem electorum, quam qua vult infinita alia? imo quia attributa in Deo neceſſaria & æterna nunquam incipiunt, nunquam deſinunt, ab æterno Deus naturaliter voluit omnes homines ſalvari, & naturalitet quidem, ac proinde naturæ neceſſitate mundum creavit, & non potuit eum non creaſſe.

16. Neque hili ſunt *Arminiana* pro hac diſtinctione argumenta. Nam 1. ſic arguunt: Deus eſt infinite bonus: ergo non poteſt non naturaliter creaturæ bonum velle. Reſp. 1. Non ſequitur. Nam ex bonitate mundum creavit, bonitate libere communicandâ, non neceſſitate, alioqui ſequitur Deum naturaliter mundum condidiſſe. 2. Deus eſt infinite juſtus: ergo etiam naturaliter vult perditionem omnium peccatornm, quod non admitterent. 3. Deus eſt infinite bonus in ſe, non ſequitur: ergo eſt infinite bonus erga creaturas ſuas. Nam ſi omne bonum iis vellet, actuque communicaret, & ſic non poſſet non ſervare omnes & ſingulos mortales, quod experientiæ reclamat. 4. Ex bonitate Dei, Deus omnia facit propter ſeipſum, non propter bonum creaturæ, ideoque tam primariâ intentione ex bonitate, qua Deus omnia propter ſeipſum facit, Deus vult exitium creaturæ, quam ſalutem. Nam exitium æque medium eſt illuſtrandi gloriam juſtitiæ, quam ſalus eſt medium illuſtrandi gloriam miſericordiæ, quia Deus eſt æq; infinitè, & æq; primario juſtus & ſapiens,

ſapiens, atque bonus & miſericors; *Arminiani* itaque gratis confingunt primariam & antecedentem voluntatem Dei, qua fertur in bonum & ſalutem creaturæ, & ſecundario & conſequenter in exitium creaturæ, niſi probarent, miſericordiam & bonitatem eſſentialius Deo competere, quam juſtitiam; quod excogitatu eſt impoſſibile.

Ob. 2. Deus non volenter punit. Thren. c. 3. Ergo voluntate antecedente vult hominis obedientiam. Reſp. 1. Non libenter punire dicitur, quoniam cauſa punitionis & interitus tota quanta eſt, quæ nomine meritoriæ venit, ex nobis eſt, nempe peccatum, & non ex Deo: alioqui ſi rigidè illa verba urgaentur, num quæſo Deus punit invitus, aut ex animi ægritudine? 2. Dicant illi nobis, an quoniam Deus ridet interitum reproborum & contumaciam *Prov.* 1. An non ſequitur Deum antecedente voluntate velle peccatorum interitum? Scio Deum non ridere: iſtud Deo ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, non proprie; id quod ego lubens concedo, ſed an non etiam θεοπρεπῶς, & eodem ſenſu, quo dicitur optare noſtram ſalutem, exſpectare ut vinea fructus faceret, ideoque tam in proclivi mihi erit probare Deum primario & antecedenter velle interitum peccatorum, quam omnium ſalutem, ſi dixerint Deum velle conſequenter interitum peccatorum, non antecedenter. Sed reſp. ſi conſideremus Deum, uti ex ſe & intrinſece juſtus & in juſtitiam propenſus exitium peccatoris eſt æ-

que primarium objectum divinæ volitioni naturali, qua ſuam juſtitiam naturaliter amat, quam ſalus creaturæ eſt objectum volitioni, ex naturali erga creaturas amore fluenti, objectum.

Ob. 3. Deus antecedente voluntate voluiſſet ſtabilire regnum *Sauli*, ſiquidem obediiſſet. 1. *Sam.* 13. 13. At conſequente voluntate, noluit ſtabilire, ſed evertere. Reſp. Deus igitur naturæ impetu *Saulo* obedienti voluit regnum; at cur non *Samueli* etiam obedienti? Eſt hic idem formale objectum voluntatis antecedentis, at tum ſequitur Deum velle omnes homines eſſe reges antecedente voluntate, ſi obedierint. Hoccine eſt gravem agere theologum? 2. Textus ne ſyllabam habet de Dei voluntate aut decreto, ſed tantum de externo actu ſtabiliendi: qui eſt actus externus & temporarius: at Dei volitiones & decreta ſunt actus immanentes & æterni: quia itaque Propheta illic non loquitur de Dei voluntate, qui hinc antecedentem voluntatem cuderent, mirum eſt. 3. Supra vero probavimus, non eſſe in Deo voluntatem conditionatam propriè dictam. licet proponantur præmia & pœnæ nobis conditionatè: iſta enim toto cœlo differunt. Vita æterna eſt conditionata, ſed voluntatem Dei dandi vitam æternam conditionatā non norunt oracula ſacra. Nam erat in Deo voluntas, qua hæc concatenarentur, ſtabilitio regni *Sauli* & obedientia *Sauli*, ſicut viſio miraculorum & converſio *Tyriorum* concate-

catenantur, ut ſupra memini; obedientiam *Sauli* ſecuta fuiſſet regni ſtabilitio hoc ſenſu, at Deus & decreviſſet & per *Patriarch. Iacobum* longe ante prædixerat *Gen.* 49. 10. regiã poteſtatem penes tribum *Iudæ* fore, & ex eo *Siloh* hoc eſt Chriſtum, oriundum? Quid? An illa promiſſio falſa fuiſſet, ſi *Saulus* obediiſſet? Qualia ſomnia ſunt hæc? Dicet *Corvinus* loc. cit. ſi ſtabiliſſet Deus regnum *Sauli* ex conditione quod obediiſſet, tum voluiſſet ſtabilire; Nam *ſi* (inquit) *id feciſſet Deus, conditione poſita, voluit ſane id facere ante conditionem præſtitam, eâ lege ſi præſtaretur.* Duo enim includit conditionalis voluntas. 1. *Formaliter & expreſſe affectum ſimplicis complacentiæ.* 2. *Eminenter & implicite, efficacem & abſolutam voluntatem, quæ quidem actu non eſt, eſſet tamen, ſi conditio præſtaretur, prout vero in abſolutam vertitur, per præſtationem conditionis, conditionata dicitur.* Reſp. 1. Nulla eſt conſequentia. Si ſtabiliiſſet Deus regnum *Sauli* ex hypotheſi obedientiæ, hoc *Corvinus* pro ſuo more fraudulenter ſupponit, non probat, utinam attuliſſet argumentum. Hoc enim tantum ſequitur, Ergo voluiſſet & decreviſſet ſtabilire, ſi ſtabiliiſſet, quod eſt veriſſimum & à nobis minime negatum; ſed quia Deus mittit ſalvatorem, ſi homines ſint peccatores, non ſequitur ullo modo: ergo decrevit mittere ſalvatorem, ex hypotheſi quod homines ſunt peccatores. Nam æternum Dei decretum nullo modo pendet ex temporali conditione ab hominibus præſtanda:

 ſic

ſic enim non eſſet æternum. 2. Si Deus ſtabiliiſſet regnum *Sauli*, decreviſſet ſtabilire, ſi decreviſſet ſtabilire, decreviſſet etiam in *Saulo* per gratiam efficacem obedientiam operari, prout in *Davide* id præſtitit. Ex conditione itaque præſtitâ ſecutus fuiſſet actus temporarius & externus Dei, nullo vero modo ex eadem ſecutus fuiſſet actus æternus & immanens. Quid? An penes creaturam eſſet, quod ſint in Deo actus æterni, & æternæ volitiones? tum penes creaturam eſſet, ut ſit Dei voluntas, ac proinde ut ſit ipſe Deus: Dei enim volitiones idem ſunt cum ipſo Deo. 3. Ait voluntatem conditionatam complecti affectum ſimplicis complacentiæ, hoc eſt, volitionem abſolutam. An ergo Deus abſolute amat, & vult *Iudæ* vitam æternam, & etiam conditionate vult *Iudæ* vitam æternam? At hæc ſunt contradicentia. Si enim Deus ſalutem *Iudæ* ſimpliciter affectaret, tum id etiam efficeret, ideoque adhuc petit principium. 4. Ait voluntatem conditionatam eminenter continere abſolutam Dei voluntatem, quæ actu non eſſet tamen, ſi conditio præſtaretur, atqui præſcit ab æterno conditionem nunquam impletum iri. Quomodo igitur voluntas conditionata vel eminenter, vel formaliter continet talem voluntatem efficacem, quam Deus & præſcit & decernit nunquam fore? Somnium hoc eſt. 5. An non conditio præſtanda, id tale eſt, ex quo pendet abſoluta voluntas Dei? Hoc negant *Arminiani*:

miani : nolunt enim primam cauſam à ſecunda ſuſpendi. 6. Prout in abſolutam vertitur (inquit) conditionata dicitur. At vero verte vocem (vertitur) in vocem (mutatur) & tum æterna Dei voluntas conditionalis mutatur in abſolutam. Itane mutabilis eſt Dei voluntas? At quomodo vertitur naturale Dei deſiderium in abſolutum decretum, tum eadē Dei voluntas erit & naturalis & libera, hoc eſt, libera & non libera. Si jam Deus deſiit velle ſalutem electorum credentium voluntate antecedente, & abſolute jam vult ipſos ſalvari, quia credunt, tum datur finis æterni Dei deſiderii. At vero quoniam deſiderat electorum ſalutem, quia bonus eſt erga creaturas, ſi jam evanuit illud deſiderium, utpote mutatum in abſolutam voluntatem, deſinit eſſe bonus erga credentes. 7. Hæc abſoluta voluntas præſtitā conditione, vel ſequitur neceſſario, vel contingenter. Si neceſſario, non tum decretum Dei efficax de ſalvandis credentibus eſt liberum, ſed neceſſario, & naturæ neceſſitate ſequitur tum ex hominis actu electio. At *Arminius* ipſe concedit electionem eſſe decretum liberum. Si vero contingenter ſeu libere ſequitur decretum, tum Deus decrevit decernere, voluit velle abſolute ſalutem credentium: quam abſurdum eſt, quod decernat prius decernere, quam decernat? at hoc eſt ponere progreſſum in infinitum.

Ob. 4. Deus voluit antecedente voluntate *Hieroſolymitanos* congregari, at ipſorum do-

mum everti voluntate conſequente, poſtquam prophetas lapidaſſent & occidiſſent. Reſp. 1. (Quoties volui?) non notat actum volendi in Deo, qui immanens & æternus eſt, continuari aut per temporum intervalla interrumpi, ut notat adverbium, *quoties*. Quod enim Deus vult ab æterno, in æternum vult. Significatur itaque illic mera invitatio miniſterialis, qua Deus ipſorum ad ſe congregationem approbavit, ut officium debiti. 2. Si voluntate naturali Deus voluit *Hieroſolymitanos* per aſſiduum prophetarum miniſterium congregari, quatenus ſunt creaturæ Dei ad ipſius imaginem conditæ, pari ratione debuit Deus omnes mortales etiam gentes alienas à fœdere congregare. Sunt enim Dei creaturæ ad ipſius imaginem conditæ: at non fecit ſic omni nationi *Pſal.* 147. At dicit *Corvinus* Deum adhibita libertate, & advocata ſapientia etiam antecedenter his ſubminiſtrare media ſalutis copioſiora, illis minus copioſa, ſed ſufficientia. Sed tum reſpondeo non voluntati naturali tum *Hieroſolymitanos* reſtitiſſe, ſed libertati & ſapientiæ divinæ; at Dei ſapientia & libertas non poſtulant, ut Deus bene velit creaturæ, niſi quatenus juſtitiam operetur, ut ſupra dixit *Corvinus*. 3. Voluntas, qua voluit Chriſtus ipſos congregari, erat libera: poterat enim non congregari ipſos voluiſſe: at voluntas antecedens eſt naturalis, non libera. 4. Si ex mero naturali affectu & deſiderio voluit ipſos congregari, tum antecedenter ad juſtitiam,

ſapien-

ſapientiam, præſcientiam & liberum decretum id vult. Hæc enim ipſis eſt voluntas antecedens: at vero ſic voluntas antecedens prophetis revelata non revelaſſet *Iudæis* Dei ſapientiam, juſtitiam, præſcientiam, ſed tantum meram naturalem Dei propenſionem, quæ hæc omnia antecedat, quo quid abſurdius? Cætera ſumo leviora facile dilui poſſunt.

EXERCITATIO III.

De actibus Dei temporariis in libertatem humanam.

QUÆST. I.

An liberum arbitrium determinetur à Deo tum in actibus naturæ, tum gratiæ.

1. QUæſtioni graviſſimæ de efficacia gratiæ lucem non mediocrem fœneratur quæſtio de voluntatis determinatione. Ut à voce exordiar, determinare eſt terminos ponere, quo indeterminatio& indifferentia removeatur. ὁρίζειν græce id notat: גבל, ut & תאר eſt agrorum limites ſtatuere, & delineare *Ioſ*. 15. 9. 21. *Deut*. 19. 14.

2. Quoniam tres præcipuæ cauſæ in actibus liberis concurrunt, nempe voluntas 2. ratio naturalis, in ſacris actibus, Dei verbum. & 3. Deus primum movens; in ſpiritualibus vero gratia

gratia Spiritus Sancti, ideo ſtatuo tres determinationes. Prima eſt objectiva materialis ſive moralis, quando ratio vel à natura, vel à ſacrorum oraculorum luce deprompta intellectus mediatione voluntati propoſita ipſam moveat. Hic ratio ſive verbum Dei eſt voluntatis objectum non materiale, ſed formale, qua movens & afficiens ipſam: ideo determinatio moralis ethica vel objectiva dicitur. 2. Quia Deus eſt motor omnis cauſæ ſecundæ, idque vel phyſico impulſu ad volendum, eligendum, repudiandum, prout fit in actibus naturæ, vel hyperphyſico impulſu, ut eſt in actibus gratiæ, hæc determinatio eſt realis (non quia objectiva eſt mera imaginaria: eſt enim in ſuo genere realis, minimeque conficta) effectiva ſive etiam æquivoca 3. Ipſa volũtas mota & prædeterminata à Deo, à ratione à Dei verbo & gratia Spiritus Sancti ſeſe formaliter & vitaliter determinat, & hæc eſt formalis & univoca determinatio, & nihil aliud eſt, quam ipſa volitio. De hac poſtrema determinatione non eſt præſens inter nos & Jeſuitas & Arminianos controverſia, nec à Deo, nec à ratione formaliter, ſed ab ipſa voluntate eſt volitio & nolitio.

3. De prima determinatione intellectus nimirum, qui voluntatem determinat, nolo litem anxie movere cuiquam, quoniam exploratum ſatis habeo noſtram ſententiam orthodoxam ſartam tectam fore, ſi ſic vel ſecus ſentiamus, Dicam tamen quid potiſſimum hic

quæ-

quæratur, & quid mihi potius arrideat. 1. Non quæritur, an judicium intellectus ſpecificet actus libertatis: à voluntate eſt, non ab intellectus judicio, quod actus voluntatis talis ſit in ſpecie, puta volitio non volitio, electio non repudiatio. 2. Nec an mens moveat aut luminis pondere inclinet voluntatem: hoc utrinque conceditur. 3. Judicium aliud eſt ultimum ſecundum quid, aliud ſimpliciter: prius eſt ultimum conditionaliter, ut conſcientia dictitat fugiendum eſſe adulterium, conditionaliter, ſi velimus Deo placere, non abſolute, quoniam fieri poteſt, ut carni indulgere magis arrideat, ideoque voluntas hic reſilére poteſt. Aliud eſt ſimpliciter ultimum & abſolute, quod mens abſolute hic & nunc faciendum judicat ſimpliciter: hoc ultimo formaliter ſtante ſub motione Dei videtur, quod neceſſario determinet voluntatem: dico ſtante ultimo ſub motione Dei, qui per lumẽ infallibile, amotis omnibus tenebris ſuadeat & perſuadeat. At vero ſtãte ultimo in ſe & formaliter, videtur quod poſſit voluntas intellectũ avocare à cogitãdo de illo objecto ita ultimatè propoſito, ad alia quæ quamvis minus efficaciter moveant & ſuadeant voluntatem, quam illud ultimum: attamen quia voluntas poteſt duo hic præſtare. 1. avocare mentem à conſideratione illius ultimi objecti ad aliud contemplandum, & 2. avocare mentem ab actuali collatione hujus poſterioris boni terreni, cũ illo cœleſti, quod in ſe efficacius movebat voluntatem, ideo non neceſ-

neceſſario determinat libertatem. 2. Si neceſſario & in ſe ultimum judicium determinet voluntatem, gratia eſſet mera ſuaſio, nec neceſſaria foret interna gratia ad ſanandam voluntatem, ſufficeret amotio tenebrarum, & ut edoceretur mens, quod latebat, quæ gratia eſt Pelagiana. Et ſic reprobi mens per habitum fidei acquiſitum & evidentiam clariſſimam objecti edoceretur, quod mihi videtur poſſibile, in hoc caſu, quod nempe mens cerneret in actu obedientiæ, 1. facilitatem. 2. ſuavitatem, 3. utilitatem, & voluntas uti poſſet, non avocaret mentem ad indagandum in illo actu, vel rationem difficultatis, vel alterius rei, ſub qua malum appareret, & non avocaret ad terrena cogitanda, ab illa actuali contemplatione, in hoc caſu ſine ulla voluntatis ſanatione poſſet credere, & actum ſupernaturalem præſtare, nec opus eſſet ablatione cordis ſaxei & infuſione cordis carnei.

Object. 4. Loca ſcripturæ contrarium non probant: at dici poteſt. *Pſal.* 9. 10. *Qui nomen tuum cognoſcunt, fidunt in te.* Si cognitio illa non determinaret voluntatem, fieri poſſet ut cognoſcentes nomen Dei non fiderent in *Iehova*. Item *Iohan.* 4. *verſ.* 1. *Si ſcires donum illud Dei, & quis ſit is, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu ab illo aquam vivam peteres.* Si illa cognitio non determinaret voluntatem ad petendum aquam vivam à Chriſto, tum poterat mulier ſcire donum illud Dei, & non petiiſſe ab eo aquam vi-

vam,

vam, & falſum dixiſſet Chriſtus. Reſp. In ejuſmodi propoſitionibus ſemper ſubintelligitur phyſica Dei motio: alioqui ſi ad literam premerentur, ſequeretur nudam cognitionem objecti ſufficere ad actum credendi abſque infuſione novæ potentiæ, quod nemo diceret. Similiter illud, ſi *Tyrij* vidiſſent ſigna, reſipuiſſent: non ſequitur viſionem miraculorum indeclinabiliter determinare voluntatem ad reſipiſcentiam. Conſequens enim eſt aperte falſum, ideoque ſemper ad reſipiſcentiam requiritur tacita conditio, non expreſſa, ſed ſubintellecta, ex prævia motione efficacis gratiæ: alioqui poterant *Tyrij* vidiſſe ſigna & quidem plura quam viderunt *Capernaum* & *Bethſaida*, nunquam tamen reſipuiſſe. Sed non ſtatui hic funem contentionis trahere, utraque opinio ſua probabilitate non caret.

5. De determinatione itaque ſecundæ claſſis, nempe æquivoca, tota inſtituitur diſputatio tum in actibus naturæ, tum gratiæ, & de utriſque brevitatis ſtudio ſimul diſceptabo.

Adverſarii varias hic determinationes nobis dant, illiberali tamen munificentiâ. 1. *Fonſeca* ait Deum movere voluntatem efficientiâ motivâ per modum affectus, ſuadendo (quod nec negavit *Pelagius*) non efficientiâ Phyſicâ, quæ ſit determinativa abſoluti conſenſus. 2. Diſtinct. ib. vult actionem Dei in voluntatem eſſe motivam, per modum naturæ, quatenus author naturæ tribuit ei vim ſeſe determinandi, *Fonſec metaphyſ lib.6. c. 2. q. 4. ſect. 13.*

non

non vero indeclinabiliter determinativam. Ita etiam *Molina*. 3. diſt. Sola (inquit ibid. *Fonſeca*) voluntas ſeſe determinat non ſolitudine (ut ita dicam) concurrentis, ſed ſolitudine determinantis. Ita *Arminius*, ita *Grevinchovius*. Deus movet (inquiunt) arbitrium ut ſe determinet, & efficit cum arbitrio determinationem. 5. Diſtinct. eſt *Suarezij*, *Vaſquezij*, *Leſſij*, & aliorum Jeſuitarum, nempe Deum movere voluntatem actu approbativo in bonis, permiſſivo in malis, & repudiativo in actibus qui nunquam fiunt. Sed quid hoc eſt aliud quam Deum non omnino movere voluntatem? actus enim permiſſivus Jeſuitis eſt actus negatio, quo voluntas à Deo omnino ſuæ indifferentiæ relinquitur. Ideoque nihil agit Deus in voluntatem: actus approbativus præſupponit voluntatis actum jam factum. Itaque ne quidem ſit actus liber per Dei approbationem, nedum determinatur, ſed jam factus approbatur: nullus hic eſt actus præfinitivus. 6. Diſtinct. *Bellarminus*, *Fonſeca*, *Suarez*, & *Vaſquez* determinationem congruam & incongruam cudunt, quæ diſtinctio quanti ſit, poſtea declarabitur. 7. Diſtinct. *Arminiani* dicunt Deum movere voluntatem ſecundum modum naturæ, vel ut eſt affectus naturalis, quia Deus in affectus deſiderium boni inſpirat, non vero ſecundum modum libertatis: ſed hic Dei actio nullo modo terminatur in liberam voluntatem, ſed in affectus intellectuales: affe-

Armin. reſponſ. ad. 7. art. p. 143. Grevinch. p. 221.

affectus etiam intenſiſſime propendentes in amorem Dei negant *Arminiani* voluntatem ad amorem Dei determinare. Sed an ſatis ſani ſunt hi viri? qui docent fieri poſſe ut affectibus ex toto corde, & omnibus viribus impenſè diligamus Deum, & tamen libera voluntas non tantum averſa ab amore Dei, ſed & odio flagrare poſſet, tum Dei, tum proximi, quod eſt homines odio habere Deum, & non odio habere Deum. Nam quid ſunt quæſo affectus intellectuales, gaudium, amor, ſpes, &c? forte dicerent eſſe propenſiones intellectuales, in voluntate. Eſto, neque hoc diffiteor, ſed an non tum actus gaudii & amoris intellectualis, ſint actus voluntatis, negari non poteſt: tum voluntas, actum gaudii, & amoris in Deum elicere poteſt, & ſimul Deum nec velle, nec eligere, ſed omnino repudiare poteſt, hoc eſt, voluntatem Deum velle, & non velle.

6. Ad enodationem quæſtionis, notandum gratiam poſſe determinare voluntatem dupliciter: 1. ſecundum ſpecificationem, ita ut ſi voluntas agat ſecundum inhærens gratiæ principium, neceſſario, actio erit gratioſa. De hac determinatione non quæritur: reſpectu enim exercitii neceſſitas hæc eſt conditionalis, quia fieri poteſt, ut voluntas non agat ſecundum inhærens gratiæ principium, ut patet in lapſibus ſanctorum. 2. Quæſtio eſt de actuali determinatione voluntatis quoad exercitium, & dicimus habitualem gratiam non determinare voluntatem in exercitio, quoniam

A a ipſa

ipſa eſt potentia, quæ actuatione indiget.

7. At vero nos aſſerimus, Deum in omnibus actibus tum naturæ tum gratiæ voluntatem determinare per impulſum vere realem ad modum cauſæ phyſicæ. Quoniam vero communis eſt cantilena *Arminianorum* ſcripturis à nobis allegatis reſpondentium, non exprimi modum, quo Deus moveat voluntatem, quando præcipua quæſtio eſt (inquiunt) non an Deus moveat voluntatem, ſed an moveat & determinet voluntatem per impulſum phyſicum, id quod illi nuſquam ſcripturarum probari poſſe contendunt. Sed auſim dicere ipſos pondere argumentorum victos pervertere ſtatum quæſtionis: nam non eſt ille quæſtionis caſus, ſed nos de voce phyſicæ prædeterminationis non movemus litem. Quæſtio enim eſt, an non ita moveat voluntatem Deus, ut ſub illa motione non poſſit mota non permoveri? vel an non actio Dei in voluntatem ita ipſam flectat, ut non poſſit non libere ſe flectere illuc quo Deus ipſam inclinat? nos vero è ſcripturis probamus neceſſitationem voluntatis à Dei motione quo indeclinabiliter permoveatur. Quæſtio itaq; præcipue eſt de indeclinabilitate actus liberi, quam, ſi quidem illi nobis tribuerent, phyſicæ prædeterminationi valedicere parati ſumus: quamvis revera Deus ad modum cauſæ phyſicæ voluntatem determinet.

8. Ago itaque. 1. Scripturis. 2. Rationibus. 3. Teſtimoniis.

1. *Gen, 33.* Deus cor & voluntatem *Eſavi* ab

ab odio in gratiam,idque *Iacobi* precibus commutat. *Quidſi* (inquit *Corvinus*) mutatum eſt cor *Eſavi per aſpectum fratris & fraternæ ſobolis & mite alloquium?* *Corv. cont. Molin. c. 5. ſ. 14.*

R. At non diſputabimus de modo: textus probat ita mutatum fuiſſe cor *Eſavi*, ut non potuerit non fratrem *Iacobum* ſereno & gratioſo vultu, & miti & leni alloquio dignari. Nam ſi ſvaſione morali, tum ita mutavit Deus cor *Eſavi*, ut potuerit non mutari. At vero *Iacobus Geneſ.* 32. 11. fide oravit, ut Deus ipſum ſibi faceret propitium, non modo extraordinario: qua enim fide *Iacobus* oraret Deum, ut miraculum faceret? Ergo *Iacobus* oravit fretus Dei omnipotentiâ & ſapientiâ, ut ita faceret propitium, ut non poſſet iracundus & invidus permanere. 2. Eſto: Deus ſuaſione mutavit cor *Eſavi*: ergo non reali impulſu: non ſequitur. Imo contrarium ſequitur. Non enim datur actio cauſæ ſecundæ, ſine actione cauſæ primæ. Ita *Iacobus Geneſ.* 45. 14. *Deus fortis det vobis invenire gratiam in oculis viri*, nempe *Ioſephi*, quem patriarcha *Ægyptium* irreligioſum eſſe credidit. Quæro an non ſenex fide innixus omnipotenti Dei providentiæ, qua omnium hominum voluntates flectit, Deum orat? Id nemini dubium eſſe confido. Nam niſi Deum poſſe opitulari, firmiter credamus, fruſtra oramus: ergo oravit ut Deus vel indeclinabiliter vel declinabiliter voluntatem *Ioſephi* ab odio in gratiã commutaret. Si ut indeclinabiliter commutaret, habeo inſtitutum, fidem nempe pa-

triarcharum & prophetarum eſſe Deum determinare indeclinabiliter voluntates humanas. Si oravit ut Deus declinabiliter commutaret ipſius voluntatem, oravit Deum ad hunc modum: Deus fortis det vobis ut rector ille *Ægyptiacus*, ſe erga vos exhibeat vel propitium, vel inexorabilem, difficilem & votis veſtris infeſtiſſimum. Num quæſo aliquid boni magis quam mali filiis ſuis tum precaretur? Quin imo *Eſther* & ancillæ ipſius omneſque *Iudæi* non tam Deum, quam voluntatis *Ahaſuerianæ* indifferentiam oraſſent, ut *Eſtheri* precibus rex ille vitam *Iudæorum* concederet, ſi non obſtante motione *Dei*, qua regum corda inflectit, poterat ſaxeus & inexorabilis conſiſtere. Itaque hic *Arminiani* vel hominis arbitrium, vel providentiam actuum regum indeclinabiliter determinatricem in ſolio collocabunt.

1. *Sam.* 10. *v.* 26. *Inſecuti ſunt Saulum viri, quorum cor Iehovah tetigerat. Eſra.* 7. *v.* 7. *Benedictus Dominus Deus patrum noſtrorum, qui rem talem regis cordi indidit, ut domum Iehovæ Hieroſolymis decoraret.* 2. *Chron.* 30. 12. *Etiam manus Dei erat ſupra Iehudæ viros, ut qui daret iis cor ad faciendum mandatum regis ſecundum verbum Iehovæ.* 2 *Chron.* 29. *v.* 18. *Ita orat Salomon, ô Iehovah Domine Deus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi, ſerva hoc ſemper in imaginationibus cogitationum cordis hujus populi, & eorum corda tibi præpara.* 1. *Reg.* 8. 57. *Sit Iehovah Deus noſter nobiſcum, quemadmodum fuit cum majoribus noſtris, ne derelin-*

derelinquat nos, neque deſerat nos. 58. *Inclinando animum noſtrum ad ſe, ut ambulemus in omnibus viis ejus &c.* Occurrunt ſic *Remonſtrantes* in apologi ad faciendum *inclinare animum, ſignificare poteſt finem non effectum divinæ beneficentiæ.* Reſp. 1. Poteſt illud interpretibus ſignificare quod non ſignificet, ſed quid ſignificet quæritur? 2. Si ſignificet finem quem Deus indeclinabiliter aſſequitur, habemus intentum: ſi declinabiliter, tum orat *Salomon*, ut Deus ita inclinet animum: & ita ad obedientiam flectat, ut poſſint abjectâ numinis reverentiâ ab obedientia prorſus deficere, quod eſt nullâ fide, ſed dubiâ & conjecturali ſcientiâ fideles orare debere. *Remonſtr. in apologia cap. 14 fol. 145.*

2. *Reſp. Modus iſte determinandi voluntatem, non obſcure redarguitur à Salomone verſ. præced. Si peccaverint tibi, & iratus fueris contra eos &c. Nam eo ſignificatur fieri poſſe, ut populus averſus ſit à Deo &c.* Sed Reſp. Quis neget populum poſſe peccare ex defectu gratioſæ determinationis? ſed probare debebant illi doctores, populum, ita à Deo inclinatum peccare poſſe, ſiquidem theſi noſtræ ſeſe opponere voluiſſent, hoc vero ſe onere levant ſolo ſilentio. At vero iſtos qui peccaverunt à Deo fuiſſe inclinatos gratioſa flexione ad ambulandum in viis *Iehovæ*, & tamen peccaſſe non dicit *Salomon*, ideoque confirmat determinationem hanc, non redarguit. *Apol. ib.*

3. Reſp. *Si vero addatur v. 39. apparebit* (inquiunt) *Salomonem indicare fieri poſſe, ut illa ipſa* *Apol. ib.*

re ſive occaſione, qua movetur hic ad reſipiſcendum, ſive qua hujus cor inclinatur ad timendum Deum, alius non moveatur, atque ita Deus moveatur ad dandum unicuique ſecundum vias ſuas. Reſp. Quis ſpiritum ſoporis hic non videat? Dicunt nobis, (ipſâ illâ re ſive occaſione qua moveatur cor hujus ad timendum Deum, alius non moveatur.) At quis hoc neget? Sed an res an occaſio determinent voluntatem hominis ad Deum timendum; an potius gratioſa Dei flexio? Viden' lector Pelagianos hoſce judiciis Dei, peſti, uredini, rubigini, locuſtis, terram & fruges exedentibus tribuere, quod homines moveantur per hæc ad Deum timendum, quod Spiritus Sanctus diſertis verbis tribuit v. 57, 58. gratioſæ Dei præſentiæ, non derelictioni divinæ, efficaci & gratioſæ flexioni voluntatis: en locuſtæ & fames *Arminiana* eſt gratia, digna quidem hoſtibus gratiæ gratia: at dicant ex conſcientiis, an quæſtio ſit utrum determinetur voluntas ab occaſionibus loci, temporis, rerum ſecundarum aut adverſarum? 2. Antitheſis illis probanda eſt ex pluribus eâdem Dei flexione motos quoſdam ad reſipiſcendum moveri, quoſdam non. Hoc aſtutè prætereunt, & ad externas occaſiones, quibus bonos recte uti, pravos vero abuti conſtat, illi velut ad anchoram confugiunt.

4. Sic reſpondent. *Senſus verborum per ſe clarus eſt: Deus benefaciat populo huic, ſicut benefecit patribus noſtris ut ab iſtis beneficiis cauſam habeat cur Deo ſuo indivulſe adhærere, & præcepta ac ſtatuta ejus*

ta ejus perpetuo ob oculos habere , & cuſtodire ultrò ac libenter velit: beneficiis enim adjunguntur animi , & corda inclinantur ad ſpontaneum obſequium. Reſp. Senſum verborum per ſe clarum qui hunc vocet, næ quidem ille lynceus eſt. Nam 1. *Salomonem* orare, ut benefaciat populo certum eſt, ſed an beneficiis? At quibus? Externis tantum & temporariis? pace, copiâ frugum, hoſtium debellatione? ſi hoc velint turpiter errant: ſit *Iehovah* Deus noſter nobiſcum, quemadmodum fuit cum patribus, quorum nempe Deus fuit, & cordium circumciſor: at ſi talis præſentia Dei ſit in terrenarum rerum poſſeſſione, ſic Deus *Moabitis*, & *Ammonitis* adfuit: nihilne ulterius igitur orat *Salomon*? Certe hic ſenſus per ſe clarus, porcis, quam fœderato Dei populo, eſt dignior. 2. Si beneficia etiam ſpiritualia notant, quæro num cordis circumciſionem, & obedientiæ & reſipiſcentiæ effectionem intelligant: non audent hoc dicere. Nam ſic ratione ſumpta â regenerationis beneficio, Deus regenerationem effieceret, quod plane eſt abſurdum. 3. Si itaque omnia alia beneficia temporalia & ſpiritualia, hiſce ſolis exceptis, notari velint, audio beneficia ſuaſoriè moventia, hoc eſt externam gratiam moraliter excitantem, quod tradidit *Pelagius*, ita *Auguſtino* referente, qua Deus operatur in nobis velle quod bonum & ſanctum eſt, *dum nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium tantummodo præſentia diligen-*

Auguſt. lib. de grat. Chriſ cont. Pelag. & cœleſt. c. 10.

diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis (quod tamen alibi negare non metuit) ſuadet omne quod bonum eſt. Vides Lector *Remonſtr.* multo generalius & jejunius ipſo *Pelagio* loqui de gratiâ Dei internâ cor inclinante ad obedientiam. Hi enim tantum beneficiis Deum movere contendunt, at qualia beneficia non docent: at *Pelagius* æternæ gloriæ beneficii expreſſe meminit. 4. Senſus ita per ſe clarus hic eſt. *Salomon* ait, adſit nobis *Iehovah*, ut cor ad obedientiam flectat & inclinet. Remonſtrantes ſic, ita adſit *Iehovah* beneficiis ut poſſimus mandata Dei vel præſtare, vel non præſtare, & ſic *Salomon* tam orat inobedientiam, quam obedientiam. Hic nihil in contrarium dici poteſt, ſed tantum Deum per beneficia illa intendere obedientiam, non inobedientiam: at vero intentio Dei eſt actus mere immanens & internus, nihil agens ad extra ut actu inclinetur cor ad obedientiam, ſed tantum Dei deſiderium notatur, quod non deeſt *Cajino*, *Saulo*, *Pharaoni*, quos Deus non deſtitit beare beneficiis temporalibus & ſpiritualibus, & quorum obedientiam deſideravit. 5. Textus longe aliud vult, quam innuunt Remonſtrantes. Sit *Iehovah* Deus noſter fœdere novo nobis junctus, quo dat cor novum, ut doceamur à Deo, & à Patre ad *Chriſtum* trahamur, ut habetur, *Ier.* 31. 33. 34. *Ezech.* 36. 26. *Ioh.* 6. 44. 45. 2. Additur ſicut fuit cum

patri-

patribus, nempe *Abrahamo, Iſaaco & Iacobo*, at quæro quomodo illis adfuerit? Per gratiam externe ſuadentem duntaxat? Appello conſcientiam ipſorum, an non divinæ præſentiæ cum Patriarchis & fœderato populo fuerit, quod ipſorum corda circumciderit, quod fide & reſipiſcentiâ donarit? An hoc nullius præſentiæ divinæ erit Remonſtrantibus? 3. Additur modus quo adfuerit illis, & quo *Salomon* populo præſenti adeſſe precatur, ne derelinquat nos, neque deſerat nos, quod illuſtratur (ad faciendum inclinare animum, ut ambulemus in præceptis ejus) quæro quid ſit hæc non-deſertio? certe *Arminianis* erit ſola ſubſtractio gratiæ moraliter ſuadentis & beneficiorum, non talis deſertio, quâ poſitâ, neceſſe eſt ut non ambulent in viis *Iehovæ*: atqui conſtat hanc eſſe maximam deſertionem. 4. Ut ambulemus] exponitur à Remonſtrantibus per hoc *ut velimus indivulſe adhærere, & præcepta ejus cuſtodire, & quidem libenter velimus.* Jam quæro à vobis, doctores, quid eſt libenter velle? Eſtne libere velle, & quid libere velle vobis eſt aliud quam ita velle ut poſſitis nolle? Ergo *Iehovah* adſit, ut inclinet animum ut ambulemus, idem erit atque hoc, *Iehovah* adſit ut inclinet animum ut non ambulemus: conſideret jam lector ſenſum per ſe clarum, quando ſenſus hic clarus textui aperte contradicet.

9. Pergo ad reliquos textus Pſal. 119. 36. *flecte animum meum ad ſtatuta tua*, hoc *flectere*

eſt determinare. Remonſtr. ib. reſp. *Si David ea oratione petit auxilium determinans, tum petit David, ne Deus determinaret voluntatem ejus ad malum puta ad avaritiam: ita enim David, inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad avaritiam, ideoque Deus erit author peccati eo modo quo eſt boni.* R. 1. Retorqueo reſp. ſic. Erit Remonſtrantibus ſenſus, moraliter excita animum, & ſuade ad teſtimonia ſervanda, & ne ſuadeas ad avaritiam. Ergo Deus eo modo erit author peccati quo eſt boni, ſiquidem ſuadentem Deum illi velint eſſe efficientem. 2. Nihil reſpondent niſi per incommodum & quidem quod non ſequitur, ideoque non ſolvunt argumentum. 3. Sic firmo argum. *David* vel fide orat, vel non: hoc poſterius à nemine Chriſtiano dici debet. Si fide, quæro objectum fidei in orationibus ſanctorum, nempe id indicatur à Chriſto *Ioan.* 14. *v.* 13. 14, nempe omnipotentiam & benevolentiam Dei patris in Chriſto, qua dicit ſe daturum, quod petimus in nomine Chriſti. Ergo *David* credidit Deum flexurum eſſe cor ipſius ad Dei teſtimonia & non ad avaritiam. At ſi Deus moraliter ita flectit voluntatem, ut poſſit non flecti, debebat *David* tam credere Deum non flexurum cor ad ſtatuta Dei quam flexurum, quoniam voluntas ſub illa ſuaſione ſemper eſt indifferens. Imo ſic *David* orat, ô *Iehovah* ita flecte cor meum ad teſtimonia tua ſervanda, ut poſſim tam non ſervare ea, quam ſervare. Scio ipſos reſponſuros, Deum flectere volun-

tatem *Davidis* ad ſtatuta Dei, ex hypotheſi quod ipſa voluntas ſe flexerit, hoc eſt, Deus efficiet velle, ſiquidem effecerit velle: at tum *David* tam confidit in hac oratione, in ſuo libero arbitrio, quam in Dei gratiâ, imo magis in arbitrio ſuo, quoniam non à gratia, ſed ab arbitrio pendet actualis flexio ut ſit, vel non ſit, quippe poſitâ motione Dei efficaciſſimâ, tam poteſt ſequi non-actualis flexio, quam actualis flexio. 4. Nullo modo ſequitur Deum determinare voluntatem ad peccatum, quia ad actum determinet, non magis quam ſequitur, Deus coëfficit collaterali influxu actum peccati. Ex *Arminianis*, ergo eſt coëfficiens cauſa peccati: nam tam firma eſt hæc, quam illa ſequela, neque ſequitur Deum eſſe authorem peccati, quia determinat ad actum propter eandem rationem, ſed quoniam ex *Arminianis* Deus generali influxu concurrit ad omnes actus liberos, ita ut ex Deo non ſit, quod actus potius ſit bonus quam malus, optime ſequitur eodem modo Deum eſſe authorem peccati, quo eſt boni, ex Arminianis placitis.

10. Item ſanctificetur *nomen tuum*, *adveniat regnum tuum*, *fiat voluntas tua* &c. Reſp. Remonſtr. ib fol. 145. Abſurdum eſſe Chriſtum juſſiſſe fidelibus orare Patrē, ut non modo noſtram, ſed & omnium omninò hominum determinet voluntatem, ad ſanctificandum nomen ejus quando Chriſtus ſciverit Dei, de reprobanda maxima parte humani generis, con-

filium: ſciunt enim fideles Deum hoc nolle, ac proinde ſe nunquam exauditum iri. Reſp. 1. Nos orare ut Deus omnium & ſingulorum voluntates determinet ad ſanctificandum Dei nomen citra Dei decreti, electionis, & reprobationis abſoluti dominii ſalvationem, à noſtris non docetur, tantum oramus, ut Deus omnium & ſingulorum voluntates determinet, quatenus ipſe velit, relinquendo ei poteſtatem talem in creaturas qualem habet figulus in lutum, quam Remonſtrantes Deo auſu ſacrilego adimere non verecundantur, non contremiſcunt. 2. Nulla eſt hæc conſequentia, *Chriſtus* ſcivit conſilium reprobationis, ergo non potuit jubere fidelibus orare, ut Deus omnium voluntates determinet. Licet enim nobis orare ea quæ pugnant cum Dei decreto, pius filius poteſt orare ſalutem patris, quem Deus ab æterno reprobavit: voluntates enim noſtræ Dei voluntati revelatæ conformari, non arcanæ tenentur uſquequaque adaptari; imo quilibet fidelis jure poteſt orare, ne Deus ipſum tentari aut peccare permittat, à primo converſionis ſuæ momento ad extremum vitæ punctum, & interim certo ſcit hoc pugnare cum Dei decreto, quo ſtatuit abſolute permittere lapſus & peccata regenitorum. Imo *Petrus* & diſcipuli abnegantes & derelinquentes Chriſtum in paſſione tenebantur credere prædictionem Dei, adeoque decretum quo ſtatuit permittere, ut oves diſpargerentur & ſcandalizarentur in Chriſto, uti ipſe prædixerat *Matth.*

Matth. 26. 31. ex *Zachariæ* vaticinio *cap.* 31. *verſ.* 7. & tamen tenebantur abſolute velle & orare Deum, ut ipſorum voluntates non permitteret in tam grande & ſcandaloſum peccatum incidere. Idem certum eſt de *Iuda* proditore, de *Iudæis* crucifigentibus Dominum, hoc dato quod ipſis revelatum foret, ipſos tam horrendi in ſalvatorem peccati, authores fore. Ergo poteſt quis jure & abſque peccato id abſolute velle, quod certo ſcit è Diametro cum Dei abſoluto decreto pugnare. Neque inſulſa ſed pia & licita eſſet oratio: certâ etiam fide in eo caſu credere poſſent ſe exauditum iri, quatenus Dei gloriæ & ipſorum humiliationi atque adeo ſalutis ſuæ promotioni conduceret. Nunquam hic evadent ullis ſophiſticationum technis: ſi negent decretum à Deo fuiſſe peccatum illud *Petri*, quod tum lucri erit ipſorum cauſæ? & prædicta & decreta erat permiſſio Dei decreto effectivo. Permiſſio enim peccati non eſt peccatum, ſed res ſancta & licita, & à Deo propriè volita, vel *Arminio* judice, & tamen tenebatur *Petrus* nolle illam permiſſionem, & orare ne Deus ipſum permitteret, & ſic dabitur in *Petro* voluntas pia & ſancta contraria Dei decreto effectivo. Videant itaque qui ſeſe expediant ſophiſtæ. 3. Scivit *Chriſtus* ſcientiâ mediâ nunquam credituros reprobos antecedenter & ad ſcientiam mediam, & Dei decretum. Futuritio enim omnium actuum liberorum præcedit & ſcientiam mediam, & decretum Dei, ex ſtatutis *Arminianis* & *Ieſuiticis*:

ticis: ergo non potuit *Chriſtus* jubere fidelibus ut reproborum in eccleſia viſibili, vel ſuas voluntates moraliter Deus inclinaret ad ſanctificandum Dei nomen, & faciendum Dei voluntatem, Quomodo enim ſoraret quis, ut Deus illud faceret, quod ante omnem Dei voluntatis actum & ſcientiam futuritionem habuit? An non *Arminiani* preces verè inſulſas ſanctis ex Chriſti mandato tribuant, ipſorum appello conſcientiam. 4. Oratio hæc qua petimus, ut homines Dei in terris voluntatem faciant promptè & alacriter, ſicut angeli in cœlis, ut habet catacheſ. *Palatina domi.* 49. q. 124. invictiſſime probat voluntates hominum ad obedientiam indeclinabiliter flecti. Si enim petimus ut Deus morali ſuaſione det, ut faciamus Dei voluntatem, tum non magis petimus, ut Deus det nobis prompte obedire, quam non obedire omnino. At quis putaret Deum angelorum voluntates ita flectere ad obedientiam, ut poſſint non obſequi Deo? 10. *Pſal.* 86. 11. *Aduna animum meum ad timendum nomen tuum.* Adunare animum Deo in ſuo conceptu includit actualem cordis ad Deum adhæſionem, niſi dicerent illud (aduna cor meum tibi,) eſſe etiam, ne adunes cor meum tibi, hoc eſt aduna vel ne aduna, quæ monſtroſa eſſent commenta. *Pſ.* 5. 8. *Deduc me Iehova in tua juſtitia.* *Pſ.* 25. 4. 5. *Deduc me in veritate tua & doce me.* *Pſal.* 119. 18. *Aperi oculos meos.* 27. *Fac ut intelligam viam præceptorum tuorum,* 29, *Amove viam mendaciorum*

rum à me, & legem tuam gratioſè largire mihi v. 35. Fac incedam in itinere præceptorum tuorum. 37. Averte oculos meos ne vanitatem reſpiciam. v. 133. Pedes meos inſtitue in ſermone tuo. Utinam Remonſtrantes ſincere dicerent, ecquid *David* his petitionibus petat? Num potentiam obediendi tantum? At reclamant textus tot luculenti. Petitur enim actualis oculorum apertio, actualis deductio in via, inceſſio in itinere mandatorum Dei. Si vero petat actualem obedientiam, eam Deus præſtare non poteſt indeclinabiliter niſi per determinationem phyſicam. Remonſtrantes dicunt: *Auxilium itaque quod petitur non eſt potentia bene agendi libera, imò ne quidem actus ipſe fidei, ſed omne id quod ad animandum, ſtimulandum & roborandum voluntatem ejus, qui jam credit, facere poteſt, ut cauſas habeat graviſſimas, cur in actu fidei, quo jam imbuta eſt, perſeverare velit, contra omnia blandimenta & delimenta mundi ac carnis.* R. 1. Nolunt peti potentiam bene agendi, ſed quicquid animat, ſtimulat & roborat voluntatem: at quid hoc eſt, vel ſtimulat & roborat potentiam, vel actum juvet? At vero hæc ſunt argumenta ſuaſoria, quibus voluntas habet cauſas graviſſimas cur velit perſeverare, hoc nihil aliud eſt, quam quibus poteſt perſeverare, ideoque contradictio hic eſt plana, non petitur potentia bene agendi libera, ſed bene agendi potentia petitur. Si petitur aliquid, quo roboratur voluntas, quid illud eſt? moralis ſuaſio non roborat voluntatem Phyſice

Remonſtr. apol. fol. 145. c. 14.

ſice per additionem virium internarum ex horum doctrinâ. Sic enim adderetur obnixe orantibus nova & auctior potentia Phyſice & realiter voluntatem efficiens & corroborans, ideoque adhuc peteretur potentia bene agendi, at vero voluntatis roboratio per argumenta ſuaſoria eſt figmentum. Tum enim qui compedibus ferreis vinctum fortiſſimis & ſuaſiſſimis argumentis alloqueretur, vinctum corroboraret, & vires è vinculis ſeſe expediendi adderet, quo quid abſurdius? 3. Potentiam bene agendi liberam negant peti à ſanctis, ſi potentiam naturæ velint, uti innuere videntur per additionem vocis (libera) Ludunt. Ea enim potentia eſt indita à creatore: ſed ſi intelligant potentiam gratiæ, quis ſanus negaret ſanctos petere à Deo vires & potentiam obediendi Deo? Id *Paulus* orat & precatur *Epheſ.* 3, 18. ut fortiter corroborentur per Spiritum Sanctum in interiore homine, *ut valeant aſſequi cum omnibus ſanctis, quæ ſit illa latitudo &c.* Hic ne potentiam & vires ſpirituales aſſequendi magnitudinem charitatis Dei in Chriſto Deum orat? An potius velint *Epheſios* per vires naturæ hoc aſſequi? Vel hoc vel illud dicant neceſſe eſt. 1. *Pet.* 5. 10 *Heb.* 13. 20. 21. 2. *Cor.* 12. 9. *Gratia mea ſufficit tibi* Quis neget gratiam illam eſſe potentiam ferendi onus illud? Quæro an Sancti Spiritum ſanctum precibus poſtulent & gratiam & gratiæ incrementum? At vero gratiam potentiam obediendi & adhærendi Deo in tentationibus includere,

dere, ſi qvis neget, ne theologi nomen meretur. 4. Actum fidei à Deo peti à ſanctis negant, at quid igitur petunt diſcipuli, quando dicunt: *Domine adauge fidem.* 5. Cur negant actum fidei potius non peti, quam amoris, ſpei, reſipiſcentiæ? quia nempe fides eſt conditio electionis illis, & eſſe conditionem à Deo flagitatam, & à Deo effectam per gratiam indeclinabiliter aſyſtata eſſe volunt. At vero Deus omnes actus obedientiæ liberos, & non tantum fidei à nobis flagitat lege, & evangelio, & tamen ipſe operatur in nobis velle & perficere in omnibus actibus obedientiæ, & imprimis fidei. 6. Non poſſint explicatius ſcripturis contradicere, quam negare ſanctos à Deo petere actum obedientiæ, fac ut intelligam viam mandatorum tuorum, vel eſt, fac ut intelligam, vel ſic, ut poſſim, intelligere; fac ut incedam in itinere mandatorum tuorum, vel eſt fac ut actu obediam, vel fac ut obedire poſſim. At negant potentiam obediendi peti: ergo petitur actus: at vero immanis eſt hæc licentia ſic exponere. Da moralia argumenta quibus poſſum moveri ad incedendum in itinere mandatorum tuorum, vel non moveri. Quis credetet vel ſanctos orare, ut non obedirent, vel Deum jubere ut ſancti id orent? At vero ſi ſancti petunt id quod moraliter ſtimulet voluntatem ad obediendum, petunt, vel ut obediant, vel ut non obediant. Nam ſcimus illis quicquid ſtimulet voluntatem

 ad o-

ad obediendum, petunt vel ut obediant vel non obediant. Nam ſcimus illis quicquid ſtimulet voluntatem ad obediendum relinquere voluntatem tam non-actui, quã actui At dicunt dari illa auxilia ex Dei intentione ut obediant: quod vero non obediant ex ipſorum nequitia eſſe: ſed quid hoc ad inſtitutum? Imo negant Deum per ulla auxilia intendere abſolute & præciſe noſtram obedientiam, ſed conditionate vel obedientiam, vel ſin minus, ut voluntate conſeq. nos puniat. At ſcire percupio quid hiſce petatur: Amove viam mendaciorum, aperi oculos &c. & hujuſmodi quibus petimus à Deo ut ipſas mentis tenebras & cordis malitiam & duritiem qua fit ut poſſimus non obedire Deo, amoveat. Hic enim oratur ut ipſa Dei actio terminetur realiter & phyſice, in ipſam nequitiam & perverſitatem. An Deus nequitiã amovet ex hypoth., quod nos non ponamus obicẽ? atqui maxima eſt nequitia obicem ponere Deo amoventi nequitiam. Ergo petimus ut Deus actu efficiat ne ponamus obicem: & non ponere obicem actu eſt actu Deo obedire: alioqui non petimus apertionẽ oculorum & amotionẽ viæ mendaciorũ.

11. Et in omnibus omnino actibus tum naturæ tum gratiæ voluntatem determinari ait *Salomon, Prov.* 21. 1. *Cor regis in manu Iehovæ, ſicuti rivi aquarum, quocunque vult; illud inflectit.* Vox נטה eſt dirigere, inclinare, flectere, & ſignificat actum divinæ omnipotentiæ *Exod.* 15. 12. *Zach.* 1. 12. *Pſal.* 116. 2. & omnipotentiæ conjungitur voluntas, ideoque *Augu-*

Auguſtinus ita explicat: *Deus cor regis ocultiſſima & efficaciſſimâ poteſtate convertit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt, de voluntate lædendi ad facultatem favendi.* Si Deus cor regis, qui inter mortales liberrimus videtur, inflectit quocunque vult; multo magis omnium hominum. Hic locus unicus, ſi nulli alii forent, mihi videtur invictiſſime non tantum probare noſtram aſſertionem, ſed eſſe ipſiſſima theſis noſtra. *lib contr. duas epiſt. Peleg c 20. lib. de grat. Chriſ. c. 24.*

Multa hic replicant adverſarii. Nam 1. *Corvinus. Non negamus* (inquit) *regum corda ita eſſe in manu Dei, ut quo vult ea poſſit inflectere, etiam neceſſitando (neceſſitari enim poſſe corda ultro concedimus) fatemur vero etiam ſæpe à Deo corda ad quæ vult inclinari, ſed cum Deus aliquò inclinat corda, id aut ita fieri ut ea determinet ordinarie ſaltem, aut quod ita fiat neceſſariò eſſe ſtatuendum nego. Poteſt ea inclinare, cum per objecta externa, tum per internũ auxilium, ut integram tamen ſervet libertatis rationem.* *Corv. contr Molin c. 5. f. 14. p. 87.*

R. 1. Deũ extraordinarie poſſe neceſſitare corda regum concedit, ſed an locus hic de tali neceſſitatione loquatur, non dicit, quod eſt declinare ictum argumenti, non reſpondere. Locus enim eſt de ordinaria providentia, qua Deus aquas per ſuos alveos dirigit, & eodem modo prout vult, inflectit voluntatem regis. 2. Deum neceſſitare poſſe corda regum ait: at locus hic ait eum neceſſitare & flectere, quocunque vult: at (inquit) per objecta externa: eſto quocunque modo inflectit, nobis ſufficit, ſi ita circumagat voluntates, quocunque vult, at ſi ſuaſoriè, non quocunque vult,

ſed voluntatem actui vel non-actui relinquit. 3. Si in manibus *Iehovæ* eſt cor regis, quoniam ictui ſuaſionis moralis per objecta externa ſubjicitur, tum cor regis eſt in manibus Diaboli, & ſic Diabolo ſua erit providentia, & in manibus *Ariſtotelis*, qui probaret mudum eſſe æternum, imò in manibus cujuſlibet hæretici, ut ejus ſuaſu falſa & heterodoxa crederet.

Grevinch p. 361.

2. Reſpondet *Grevinchovius*, ſenſum non eſſe quod *Deus* prædeterminante influxu moveat libertatem, *ſed quod* (hominem) *jam volentem dirigat conſequenter in finem & objectum, quod vult; ſive homo eundem finem & objectum velit, ſive nolit, imò & in finem quandoque prorſus ei contrarium, quem homo vult.* Reſp. 1. Si Deus non applicat prævià motione voluntatem ad nolle, potius quam ad velle, ſed collaterali jam influxu comitatur voluntatem jam volentem, tum voluntas non eſt in Dei manibus, ut inflectat ipſum, quocunque vult. Si pòteſt abſolute voluntas velle vel a vel b vel c & intendat Deus ipſam moraliter inflectere ad volendum c, non vero a & b, quippe prohibuit has vòlitiones lege ſua, fieri tum poteſt, ut voluntas vellet a aut b, & non c, (indifferenter enim & libere poteſt velle vel a, vel b, vel c,) tum Deus non poſſet inflectere voluntatem quocunque vult, quia non ad volitionem τȣ̃ c. Et ſic voluntas regis eſt in manibus ipſius regis, non Dei hoc modo, quippe rex inflectit ſuam voluntatem, quocunque vult. 2. Quando duo trahunt navim viribus collateralibus, unus vult

vult verſus ortum, alter verſus occaſum navim volvere, non poteſt de utroque ſimul volvente dici, quod uterque inflectat navim, quocunque vult. Jam *Arminiani* & *Ieſuitæ* dicunt regem flectere ſuam voluntatem quocunque vult, & *Arminiani* & *Ieſuitæ* concedunt etiam Deum inflectere voluntatem, quocunque vult. Ergo hominis voluntas ſemper conſpirabit in idem objectum,in quod à Deo moraliter flectitur. Atqui ſemper à Deo moraliter flectitur ad bonum nunquam ad malum: homo igitur nunquam peccabit. 3. Hoc vult *Grevinchovius* quod vult *Bellarminus*, non agi hic de actibus voluntatis internis, ſed de imperatis, ideoque ex *Merceri*, *Toſſani* & *Calvini* expoſitionibus, hoc tatum velle ſapientem, Deum ſæpe impedire, quo minus reges, quæ volunt & intendunt, exequantur, nec penes fuiſſe malam *Iudæorum* voluntatem, crucifixionem ſalvatoris, in hunc optimum finem dirigere, generis humani redemptionem, id enim Deum ad tam excellentem finem direxiſſe. Sed quamvis *Mercerus* & *Toſſanus*, cum *Calvino* locum hunc applicent externis eventibus rerum, qui ſpeciali Dei providentiæ ſubjiciuntur, locum tamen de actibus voluntatis elicitis interpretantur: quin ipſe textus clariſſime loquitur de internis volitionibus cordis humani, quo ab ira & odio in gratiam & favorem, à nolle & velle, à Deo pro libitu ſuo circumagitur, non ſecus ac rivi aquarum per ſuos alveos, hâc vel illâ viâ ab agricolâ ad ſata vel hortos irrigandum

Bellarm. de grat & lib. arb. l. 4. c. 11.

dum deductos, defluunt. Deus enim bonum eventum ex malis voluntatis actibus elicit, ſed tum nullo modo agit in voluntatem, aut ipſam, quocunque vult, inflectit, ſed tantum externos eventus, præter humanæ voluntatis intentum dirigit, voluntate ſeſe, quocunque vult, inflectente, & hoc etiam eſſet manus pro corde ponere, & à textus genuino ſenſu plane alienum. 4. Negari etiam haud poteſt, *Iudæos* Domini crucifixionis cauſas liberas & contingentes fuiſſe, ideoque ex *Arminianâ* ſectâ, abſolute potuiſſe non crucifixiſſe: quo caſu ne quidem penes Deum eſſet redemptionem humani generis elicuiſſe. Nam ex non ente quis eventus extraheretur? Imo ſic ne quidem per tale medium redimeretur genus humanum, ideoque ne quidem externi eventus penes Deum eruut. Qui enim penes Deum ex venditione *Ioſephi* & miſſione in *Ægyptum* eſſet cibationem eccleſiæ fame contabeſcentis extrahere, ſi venditio, & in *Ægyptum* miſſio non eſſet in determinatione Dei, ſed in arbitrio plane indifferenti cauſarum liberarum nempe fratrum *Ioſephi* & *Iſmaëlitarum*? Sic enim penes homines erit Deum omnibus eventibus bonis, quos intendit per media contingentia excutere. 5. Si nulla hic erit Dei determinatio voluntatis, tum ſic flueret textus. *Voluntas Iehovæ in manibus regis: quocunque vult Rex inflectit voluntatem, tum ſuam, tum Iehovæ.* Probatur: *Iudæi* libere crucifigunt Dominum gloriæ: ergo non obſtante qualibet Dei motione poſſunt crucifigere, vel

re, vel non crucifigere. Si crucifigant, inclinant Dei voluntatem ad concurſum illum generalem & collateralem, ne daretur actio cauſæ ſecundæ, citra influentiam cauſæ primæ, quod eſt omnino impoſſibile. Si non crucifigunt, ſed piâ moti numinis reverentiâ abſtineant, trahunt tum Dei actionem ad illud pium nolle, & ſic ex utraque actione vel nolendi vel volendi trahent Dei decretum ad aliquem eventum bonum eliciendum, ne hic vacaret providentia & ſapientia Dei. Dicit ibid. *Bellarmin.* & cum eo *Arminiani*, Deum hic non pendere à nutu voluntatis creatæ, ſed à libero ſuo decreto, quo ſe obligavit ſemper cum cauſa ſecunda concurrere. Sed Reſp. Dependentia Dei à ſuo decreto non tollit ipſius dependentiam à nutu cauſæ contingentis, penes quam eſt abſolute agere, vel non agere, quicquid decretum & voluntas Dei in contrarium ſtatuerit, ideoque invitiſſimo Deo fiunt volitiones & nolitiones, tum humanæ tum angelicæ, omneſque actus contingentes. 3. Reſp. *Gregorius Valentinus*, cor regis auxilio ſpecialiſſimo corroboratum à Deo flecti, quocunque vult. Sed occurro. 1. Si intelligit auxilium ſpecialis gratiæ, textui contradicit, qui eſt de communi Dei providentia in regum, & ſynecdochice, in omnium hominum voluntates. 2. Tale auxilium ſolis in gratia confirmatis tribuitur à Ieſuitis. 4. Reſpond. *Suarez*, Deum inflectere cor moraliter inſpirationibus. At vero *Suarez*, *Valent*. *Vaſqu*. motionem congruam

Gregor Val. tom. 1. diſp. 8. q. 3. punct. 3. ſ. 1.

Suar. in opuſc. lib. de concur. Dei volunt. cum l. hum lib. 1. c. 11. ſig. 3.

guam Dei in voluntates humanas aſtruunt: ſed & hoc figmentum cum bono Deo poſtea refutabitur. Motio enim congrua (ut obſervat *Fonſeca*) in ſuo conceptu includit conſenſum congrue moti, & tum dicunt nobis quorum voluntates Deus movet, quo vult, eorum voluntates movet, quo vult. 2. Notum eſt nolle & velle in motione congruâ præcedere in ſuâ futuritione ſcientiam mediam, ideoque nolle & velle indifferenter eſt in libero arbitrio, & non in manibus *Iehovæ*.

2. *Daniel.* 5, 3. *Deum, in cujus manu eſt anima tua & penes quem eſt totum iter tuum, non glorificaſti*: viæ & itinera illius *Tyranni Babylonici* erant omnino actus liberi, ita ut non penes illum eſſet contra hanc gentem potius, quam contra illam, *Iſraëlitas* potius, quam *Ammonitas* bellum gerere, vel non gerere, ſed penes Deum. Deus etiam *Prov.* 3. 1,2,3,4. mandata ipſius obſervantibus gratiam apud homines promittit: at vero ſi homines ſeſe ab odio ad favorem a favore ad odium ergo obſervantem mandata determinent & inflectant, etiam poſita motione Dei efficaciſſimâ, penes homines erit, ut Deus in promiſſis ſit verax. At dicunt promiſſiones ejuſmodi conditionales eſſe ex hypotheſi, quod homines velint. At vero nulla eſt hæc juſtitia, nulla Dei varacitas, quod *Danieli*, *Ieremiæ*, *Sadrecho*, *Meſacho* & *Abednagoni* obnixe Domini mandata cum ſummo vitæ, rei, patriæ, famæ, & pacis diſpendio & extremo diſcrimine obſervantibus Deus gra-

gratiam conciliet ex promiſſo ſpeciali apud *Chaldæos*, ex hypotheſi, ſi forte *Chaldæi* ipſos gratia proſequi velint. At forte nolunt non odio ipſos proſequi, an culpa *Chaldæorum* mercede fraudabantur Deum colentes, præſertim cum nec ſanguine, nec ullo neceſſitudinis vinculo *Chaldæis* ſint conjuncti? An hic Deus juſtus & verax erit ſiquidem *Chaldæi* voluerint, & Deus ſervis ſuis nullo ſuo merito promiſſa non præſtabit?

Prov. 16. *v.* 7. *Quando hominis viæ Deo placent, ei pacem apud inimicos conciliat. Ierem.* 15. *v.* 11. *An non pro te intervenirem tempore mali & tempore anguſtiæ apud inimicum? Eſai.* 14. *v.* 27. *Nam Iehova exercituum inivit conſilium, & quis irritum faciat? & manum ejus extentam quis avertet?* At ſi Deus non indeclinabiliter determinet voluntatem, tum *Medi*, *Perſæ*, *Macedones*, *Parthi*, aliique qui libere vaſtarunt *Babylonios*, poterant non vaſtaſſe, & ſic non ratum foret Dei decretum de ipſorum vaſtatione. Imo (inquiunt *Arminiani*) manus tua extenta erat gladius *Medorum* & *Perſarum*, quem illi in alias gentes & non in *Babylonios* ſtrinxiſſe poterant. *Arminiani* reſpondent Deum decreviſſe illam vaſtationem ex præviſione animorum *Medorum* & *Perſarum* malevolorum erga *Babylonios*, & ex hac prævision e, decretum non potuit eſſe irritum. R. At vero animus ille malevolus an decretus à Deo, an non? Et ſi decretus, an abſolute, an conditionate? Si conditionate; qua conditione? Silebunt

 hic

hic *Arminiani.* 2. *Sam.* 15. 31. *Converte quæſo Iehovah* (inquit *David*) *conſilium Achitophelis* in ſtultitiam. At ſciebat *Abſolomum* & ipſius conſilium libere amplecti vel reſpuere potuiſſe: quorſum ergo orat Deum, ſi penes *Abſolomum* abſolute fuit ſequi vel non ſequi illud conſilium? Certe ſine fide oraſſet, quod patet eſſe falſum. *Iob.* 12. *v.* 17. *Facit (Deus) ut conſulti deveniant in amentiam, & judices ſtultos reddit.* *v.* 20. *Amovet ſermonem eloquentibus & judicium ſenum recipit.* *v.* 24. *Amovet animum primoribus populi terræ.* Eccleſ. 9. 1. *Iuſti & ſapientes & facta eorum in manu Dei.* *Ier.* 10. *v.* 23. *Novi Iehova non eſſe penes hominem viam ejus, neque eſſe viri dirigere greſſus ſuos.* *Prov.* 16. 9. *Animus hominis excogitat viam ſuam, ſed Iehova ſtatuit greſſus ejus.* *Prov.* 20. *v.* 24. *Multitudo cogitationum in homine, ſed reſponſum linguæ à Iehova.* *Iac c.* 4. 15. *Pro eo quod dicere debuiſtis, ſi Dominus voluerit & vivamus, faciemus hoc aut illud.* Quid magis liberum quam proficiſci in civitatem & mercari? & tamen non eſt liberi arbitrii, ſed Dei voluntatis hoc, An non *Arminianis* in promptu erit dicere? imo mercator proficiſcitur in urbem, ſi ipſe vult; Deus concurrit influxu collaterali: ſi vero mercatori non arrideat iter, Deus non concurrit. 2. *Cor.* 8. *verſ.* 16. *Sed gratia Deo, qui Tito indiderat eandem ſolicitudinem pro vobis.* Infinita ſunt alia in ſcripturis, quæ nunc allegare ſuperſedeo.

Rationes & teſtimonia, quoniam etiam probant

bant efficaciam divinæ gratiæ non à libero arbitrio, ſed ab actuali Dei determinatione pendere, ideo capiti de efficacia gratiæ ſubjiciam.

Exer. 3. Cap. II.
De efficaciâ divinæ gratiæ.

1. QUando quæritur an à gratia, an vero à libero arbitrio pendeat efficacia gratiæ, ſtatus quæſtionis diligenter figendus eſt. Nam varios admittit ſenſus. 1. Senſus eſſe poteſt, an à libero arbitrio gratia habeat ſuam intrinſecam virtutem operandi ad modum gratiæ & agentis ſupernaturalis? Omninò negativè jam reſpondendum eſt. Nam à libero arbitrio gratia nec habet eſſendi, nec operandi modum naturalem & congenitum. Hinc *Grevinchovius*: *Voluntas* (inquit) *nullam vim confert gratiæ, ſed potius gratia vim & propenſionem voluntati ad conſenſum.* Ita *Suarez* & addit rationem. *Vnde* (inquit) *nec proprie dicitur, gratiam pendere à libero arbitrio in ſua efficacitate, quia dicit cauſalitatem vel ſubordinationem inferioris à ſuperiore.* Quæro tamen obiter, quam propenſionem tribuat gratia libero arbitrio? Nam vel determinativam conſenſus tribuit, quod non admittent, vel indifferentem. At propenſionem indifferentem habuit voluntas naturaliter à ſe. Si propenſionem indifferentem ſupernaturalem, tum à gratia erit quod voluntas ſit indifferens ad credendum, vel non credendum, & ſic

Grevinch. p. 205.

Suarez in opuſc. lib 3. de auxil, c. 14. ſig. 2.

& ſic gratia diſponit voluntatem ad τὸ non credere, & ad τὸ peccare. O theologi ubi animus, ubi ſal? At forte propenſionem tribuit inclinativam duntaxat. At dent ruditati meæ veniam: neſcio quomodo gratia inclinet voluntatem ad actum vitalem & intrinſecum, cujuſmodi eſt electio, repudiatio, & ſuſpenſio, non auferendo indifferentiam: ſiquidem quis ſanus neget, inclinationem propenſionis indifferentis ad agendum, eſſe oblationem quandam graduum ſaltem indifferentiæ, & ſic inclinatio illa quæ à gratia eſt minuat libertatem *Arminiani*, neceſſe eſt. Sin voluntatem omnino indifferentem relinquat, quomodo inclinet, quæro: nam inclinare eſt pondus diſpoſitionis ad τὸ velle potius, quam ad τὸ nolle addere. 2. Senſus eſt utrum actualis gratiæ efficientia ſecundum ſpecificationem ſit à libero arbitrio? nec hoc dici poteſt. Nam actualis actio vitalis, & intrinſeca, quæ eſt liberi arbitrii, & gratiæ, quæ non eſt vitalis, ſed omnino externa & non-vitalis, omnino ſunt actus heterogenei & impermixti. 3. Proprius ſenſus quæſtionis eſt utrum, à gratia, an à libero arbitrio ſit, quod hic & nunc eliciatur aſſenſus divinæ actioni in converſionis negotio, potius quam diſſenſus, ita ut penes gratiam ſit, quod exiſtat in natura talis actus, quoad exercitium. *Arminiani* volunt à libero arbitrio, non ab actuali Dei motione eſſe, quod aſſentiamur potius, quam ut diſſentiamus. Nos à gratiæ natura, & ab actuali Spiritus

ritus Sancti motione id pendere aſſerimus, & à decreto electionis, quo fit, ut credant, quotquot ordinati ſunt ad vitam æternam, quoniam ordinati ſunt *Act.* 13. Itaque non ſimpliciter quæritur, an à gratiâ ſit actualis gratiæ efficientia, ſed cur gratia efficax ſit actu ſecundo ad productionem converſionis in *Petro* potius quam in *Iuda*: id nos in ſolidum à gratia eſſe profitemur, illi negant, & libertati humanæ adſcribunt. Huic lis theologica.

2. Jeſuitæ volunt videri inter ſe diſſentiri, & tamen ſatis ſunt concordes. Nam *Fonſeca & Bellarminus* dicunt, ſi efficacia gratiæ, non à Dei congrua motione ſed à liberi arbitrii cooperatione pendere dicatur, tum contra ſcripturas homo ſeipſum diſcernet, quæ fuit *Pelagij & Maſſilienſium* ſententia. Nemo congruæ vocationis propugnator vehementior eſt *Suarezio* qui tamen ita loquitur. *Si efficacia gratiæ nihil aliud ſit, quam actio ſeu efficientia gratiæ, aut denominatio inde ſumpta, etiam concedi poteſt efficaciam gratiæ pendere à libero arbitrio.* Ergo judicio *Bellarmini & Fonſecæ, Suarez* aperte pelagianizat. Ita *Valentia*: *Si* (inquit) *itaque quæratur, cur ex duobus, qui parem omnino gratiam vocantem habent, hic convertitur, ille non convertitur, reſpondendum eſt, quia cum hic eſſet liber, ut à Deo efficaciter vocante converteretur, eamque ipſam gratiam ab eodem adjutus per converſionem ſuam tanquam per aliquid prius in alio genere* (*ſcilicet cauſæ materialis*) *acceptaret, ita plane converſus eſt, & eam gratiam acceptavit, ſcilicet ab eadem adjutus,*

Fonſec. me-taph. l. 6. c. 2. q. 5. ſ 14. Bellar tom. 4 de grat & l. arbit l. 1. c. 12.

Suarez. l. 3. de auxil. c. 14. ſi. 2.

Val. tom. 2. d. 8. q. 3. p. 8.

adjutus, alter autem, cùm ad id faciendum liber erat, id non fecit. Ita *Becan.*: *Si ergo quæratur prima radix, quare hæc gratia ſit efficax, illa inefficax, recurrendum erit ad liberam cooperationem voluntatis, non autem ad præſcientiam Dei, quâ prævidet hanc & illam gratiam congruam fore.* Ita etiam *Leonard. Leſſius.* Ita *Lod. Molina*: *Locus* (inquit) *relinquendus libero arbitrio in converſione, à quo pendet quod peccator convertatur vel non convertatur, & ob id converſio laudi ipſimet peccatori tribuitur, imo etiam in meritum vitæ æternæ ipſi cedit, ſi ſemel in gratia reponatur. Quare converſio non in ſolum influxum gratiæ prævenientis referenda eſt, ſed etiam in liberum arbitrium & in externa auxilia, & circumſtantias.* Eodem modo *Arminiani*, ſed pro ſuo more, aſtutius *Remonſtr. Synodiſtæ Dordrac. Si quæratur* (inquiunt) *quæ cauſa, cur hic convertatur, ille non, reſpondemus quoniam Deus hunc non opponentem novam contumaciam non convertit; ille non convertitur, quia novam contumaciam, opponit. Quæres, cur hic opponat novam contumaciam, alter non? Reſpondemus hic opponit, quia opponere vult; ille non opponit, quia à gratia movetur ne opponere velit. Quæres an non ille, qui non opponit novam contumaciam, & per conſequens, convertitur, majorem habet gratiam, quam qui opponit & per conſequens, non convertitur. Reſpondemus antecedentem & prævenientem gratiam æqualem eſſe poſſe, ſed cooperantem habet prior, non poſterior.* Bone Deus quam callidè! 1. Non opponentem contumaciam volunt moveri à gratia ne opponere velit: ſed alter movebatur etiam,

Becan. p. 3. theol. c. 3. theſ. 7.

Leſſ. de effic. grat. c. 2.

Molin q. 14. ar. 13. diſp. 12.

In ſcript. ſynodicis arts 4. p. 21.

&c

& tamen oppoſuit: Ergo ille qui convertitur non opponit contumaciam, quia movetur à gratia, ſed quia vult. Atqui non opponere contumaciam eſt libere convertere ſe: ergo convertitur quia vult. Candidius multo *Grevinchovius*: *Totius autem hujus complexi* (*quare ſcilicet in Paulo*, *& in Petro*, *totius quam in Iuda gratia ſit efficax?*) *cauſa communis alia dari non poteſt*, *quam libertas voluntatis*. *Iacob. Arminium* deſerunt *Arminiani*: ipſe enim gratiam congruam, quam illi reſpuunt, arripit. *Hoc tantum verbulo annoto*, *gratiam efficacem non dici illam*, *quæ neceſſario accipitur*, *ſed quæ certo accipitur*, *& à nullo*, *cui applicatur*, *rejicitur*. Ipſe vero *Suarez* licet congruam gratiam admittat, tamen ita reſolvit. *Huic vero cooperanti gratiæ adjungendam dicimus cooperationem liberam noſtræ voluntatis, in cujus poteſtate eſt impedire effectum gratiæ* (hoc eſt ut ſit inefficax, præſtat voluntas) *& illum efficere*, (hoc eſt ut ſit efficax, facit) *ſi voluntas reſiſtat gratiæ*, *digna eſt pœnâ*: *ſi vero illi cooperatur*, *digna eſt laude & & gloriâ*. Hic Jeſuitæ omnes, judicio *Fonſecæ & Bellarmini* aperte ſunt in hæreſi *Pelagianâ*, & cum illis etiam *Arminiani*, qui nolunt ita videri, imo magis immerguntur, quam Jeſuitæ, qui gratiam congruam ab *Arminianis* rejectam, ſaltem commenti ſunt, ut invidiam hæreſeos pelagianæ declinarent, licet revera non declinent. *Arminiani* verò nullo velo ſe tegi volunt, rem profitentur, nomen pernegant Pelagianorum.

Grev. p. 214

Armin. Antiperk. p. 770. 771.

Suarez in brevi reſolut. controv. de efficac. grat. ſ. 55.

3. *Ie-*

3. *Ieſuitæ & Arminiani* hic maxime innituntur gratiæ ſufficientis & efficacis diſtinctioni. Volunt enim omnibus dari gratiam ſufficientem, quâ poſſunt, ſiquidem vellent, converti, non vero efficacem, quâ convertuntur. At quæres quare non detur efficax gratia omnibus? Reſpondent *Arminiani*, ſufficientem & efficacem non natura, non ſpecie, imo ſæpe nec gradu diſtingui. Nam qui ponunt obicem gratiæ ſufficienti per liberum arbitrium, impediunt quo minus gratia ſufficiens efficax fiat, ideoque ex Dei juſtitiâ dari efficacem non ponentibus obicem, ex juſtitia negari ponentibus; Deum vero paratum & propenſum eſſe omnibus dare gratiam efficacem, ſiquidem liberum arbitrium Deo dandum propenſo, haud deeſſet. Nos vero gratiam ſufficientem, uti non omnino negamus: ita etiam ab efficaci ſpecie, & naturâ diſtingui volumus, & efficacem negari & dari, quibus datur & negatur non ex juſtitia Dei formaliter, ſed ex abſoluto Dei beneplacito. Itaque gratiam ſufficientem ſex modis agnoſco. 1. Sufficientem ad τὸ poſſe in *Adamo*: poterat enim per ſe: at vero talem ad τὸ poſſe in converſione hominis negamus, niſi eademmet gratia, quæ & efficax eſt, intelligatur. 2. Sufficientem in genere mediorum externorum, ſive legis naturæ, ſive euangelii revelati, quibus filius Dei vult. 3. Sufficientem ad æternam Dei intentionem de manifeſtanda gloria juſtitiæ, addo etiam efficacem Deus enim talem reprobis indul-

dulget gratiam, ex quâ repudiatâ manifeſtò refulget gloria divinæ juſtitiæ in ipſorum perditione. 4. Sufficientem ad ἀναπολογίαν. 5. Sufficientem in electis regenitis ad poſſe non ad velle: opus itaque eſt ut actuationem ſuperaddat Deus gratiæ habituali. 6. Sufficientem in non electis ad externam diſciplinam, quantum humanæ ſocietati conſervandæ par eſt, & æquum Deo ita ſtatuenti ex admirandâ ſua libertate. 2. Quin imo vox ſufficientiæ ex ſcripturæ phraſiologia ab efficaci non diſtinguitur. 2. *Cor.* 12. 9. Ἀρκεῖ σοι ἡ χάρις μου, polliceri Deum illic *Paulo* gratiam ſufficientem, quâ tamen poſitâ poterat *Paulus* tentationi obedire, adeoque deficere, ridiculum eſt. Nam ſic tam non exauditæ, quam exauditæ eſſent preces *Pauli*, quod nemo ſanus diceret. *Matt.* 25. 9. Prudentes vero virgines fatuis dixerunt, non ita *ne nobis & vobis*, οὐκ ἀρκέσῃ *non ſufficiat*, nempe actu, adveniente ſponſo quo tempore neceſſaria fuit tanta gratia efficax, quanta glorificatis convenit: ea vero non eſt tantum ſufficiens, ut ab efficaci contradiſtinguitur. Illa enim certe non ſatis fuiſſet ſponſo recipiendo. *Ioh.* 6. 7. Dixit *Philippus*: ducentorum denariorum panes non ſufficerent iis, ut ſinguli paululum quiddam accipiant. *Philippus* ignarus futuri miraculi intellexit procul dubio tantum panis actu non ſufficere tot alendis. *Ioh.* 14. 8. *Philippus* dixit ei. *Domine, oſtende mihi patrem* καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν, ita ſonat vox ἱκανὸς 2. *Cor.* 3. 5.

4. Videamus an hæc diſtinctio ferat limam

examimis Scholaſtici. Dico itaque à ratione omnino alienum eſſe, ut medicina novem graduum applicata debitè vulneri octo graduum, id vulnus non curet. Si enim non curet, plures gradus humorum fortiorum vulneri inerant, quam medicinæ, ideoque medicina non erat ſufficiens, ſed vulneri impar & minus ſufficiens, & eodem plane modo res habet in operatione gratiæ ſufficientis. Jam cauſa alia eſt in potentia, ut medicina non applicata poteſt curare morbum; alia in actu, quæ nempe actu cauſatur: ideoque vana eſt conſequentia à cauſa in potentiâ, ad effectum in actu, ut omnes norunt.

Tria jam hic ſuppono, 1. ut ſit cauſa. 2. ut ſic ſufficiens ſit gratia ſufficiens ut octo, corruptio ut ſeptem. 3. ſit cauſa actu, non in potentia. Jam præſentibus omnibus debitis requiſitis gratia naturam morbidam ſanat, alioqui gratia erat minus ſufficiens. At clamant *Arminiani*: quia voluntas eſt cauſa libera & moraliter agens, male comparatur cum cauſa phyſica, cujuſmodi eſt medicina: quia eſto, quod gratia ſit ſufficiens, ut octo, & corruptio ut ſeptem; ea tamen eſt libertatis natura, ut applicationem gratiæ impedire poſſit, quia voluntas libera ita agit, ut poſſit non agere, ideoque fieri poteſt ut reſiſtat corruptio ut ſeptem, gratiæ ut 8. *Reſp.* 1. Non male à me inſtitui ejuſmodi collationem qualem inſtituunt oracula ſacra, ſecundum virtuales gradus agendi in gratia & in corruptione. Applicatio

etiam gratiæ eſt à Dei gratia, non à libero arbitrio. Si ergo corrupta voluntas impedierit applicationem gratiæ, gratia ſic impedita non erat ſufficiens contra hypotheſin: & corruptio ei prædominans, & impediens gratiæ applicationem erat gratiâ fortior. *Rom.* 7. 5. *Cum enim eſſemus in carne, affectus peccatorum per legem vigebant in membris noſtris ad fructum ferendum morti.* 1. *Ioh.* 2. 14. *Scribo vobis adoleſcentes; quia fortes eſtis, & verbum Dei habitat in vobis, & improbum illum viciſtis.* 1. *Ioh.* 4. 4. *Vos autem ex Deo eſtis filii, & viciſtis eos, quoniam major eſt is qui in vobis eſt, quam qui in mundo. Epheſ.* 3. 16. *Vt det vobis ſecundum divitias gloriæ ſuæ, ut fortiter corroboremini per ſpiritum ſuum in interiori homine.* 17. *Vt inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* 18. *Vt in charitate radicati & fundati valeatis aſſequi cum omnibus ſanctis, quæ ſit illa latitudo &c.* 1. *Cor.* 10. 13. *Fidelis autem Deus qui non ſinet vos tentari, ſupra id quod poteſtis, ſed una cum tentatione præſtabit exitum, ut poſſitis eam ſufferre.* Si tentatio itaque ad peccandum ſit viribus impar gratiæ qua reſiſtitur, & ſi gratia ſit major, neceſſe eſt corruptionem vincat. Alioqui *Ioannes* non adſcriberet fortitudini & robori, quod fideles dæmonem qui per noſtræ corruptionis vires certet nobiſcum, devincant. 2. Quæro enim, qui fit ut peccatum vincamus, an non per gratiam Dei? Et tum quæro, in quo ſita ſit prævalentia virium gratiæ ſupra vires corruptionis. Reſpondent *Arminiani* in hoc, quod gratia eliciat

conſenſum ad bonum: At vero hæc eſt tantum actualis exuberantia, quæ tam poteſt non eſſe, ſiquidem liberum arbitrium vellet, quam eſſe. At vero robur gratiæ prævalentis ſitum eſt in hoc quód rebellionem, contumaciam, & duritiem auferat, juxta illud, *Ezech.* 36. 26. *Auferam è medio veſtri cor lapideum.* 3. Quod dicant eam eſſe naturam libertatis, quod poſſit impedire gatiæ effectum, occurro ſic: quæſtio eſt, an non corruptio ſit maxima pars cordis lapidei, quod poſſit opponere contumaciam, & quod opponat? Certe cæcus ſit oportet, qui hoc neget: quid enim eſt opponere poſſe contumaciam, & actu opponere, niſi voluntatis perverſitas, & durities? ergo ſi gratia hoc tollat, uti ait ſcriptura, tum ubi non tollitur, gratia non eſt ſufficiens. Ea enim eſt cauſa ſufficiens, quæ virtutem habet exuberantem ad effectum producendum, ſi ſecundum omnes virtutis gradus actu applicetur: at talis eſt illa actio Spiritus Sancti, quâ removetur cor lapideum. Nam gratia removet nullos gradus duritiei, vel aliquos tantum, vel omnes. Si nullos, non igitur removet cor lapideum, contra quod aſſerit ſcriptura. *Ezech.* 36 26. 2.*Cor.* 13: 1. Quando revertetur cor ad Dominum, auferetur velum. 2. *Cor.* 13. 7. *Nunc autem Deum precor, ne quid mali faciatis.* *Act.* 16. 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ.* Si gratia removet aliquos gradus duritiei, per eandem rationem removebit omnes. Nam eadem eſt ratio, cur enim tres gradus removeret & non

ſe-

ſeptem? dicent, quoniam ſemper poteſt voluntas nolle, etiam poſitâ gratiâ ſufficientiſſimâ. Reſp. 1. Tum etiam in remotione trium graduum duritei, poteſt voluntas nolle. Ergo gratia nullos omnino gradus removebit, contra ſcripturas adhuc. 2. Eſto, remaneat potentia puræ naturæ, gratia potentiæ adhærentem contumaciam & duritiem removeat oportet: ea enim eſt cordis (ut ſic loquar) lapidoſitas. Quo caſu ſi illa potentia puræ naturæ exercebit actum purum naturalem nolendi, tum fieri poteſt, ut homo reſiſtat Deo vocanti, & non peccet, quod abſurdum eſt. 3. Poſſe ponere obicem Deo vocanti, vel eſt corruptio: & ſic actus ponendi obicem, per eandem rationem erit peccatum, vel non eſt corruptio poſſe Deo reluctari vocanti: ſed tum quæro an lapideum cor nihil ſit niſi actualis reſiſtentia, & non curvitas potentiæ. Si ſit tantum actualis reſiſtentia, tum Deus auferendo cor lapideum aufert τὸ actu reſiſtere, quod *Arminiani* negabunt. Si dixerint Deum auferre τὸ actu reſiſtere ex hypotheſi, cedo hypotheſin, nempe quod actu non reſtiterint: ſi vel malleo cerebra contuderint, hypotheſin non dabunt. 4. Nihil vitioſitatis ineſſe potentiæ voluntatis, aut nihil vitioſitatis habitualis nobis poſt lapſum ineſſe, nemo niſi *Pelagius* diceret. At ſi aliquid inſit, an non removetur, quando removetur cor lapideum? 5. Si natura libertatis talis ſit

ut poſſit impedire ne gratia ſufficiens ſecundum omnes gradus applicetur, tum gratia non eſt ſufficiens cauſa in actu. Cauſa n. non appllicata, non eſt cauſa in actu, ſed tantum in potentiâ, & ſic non eſt formaliter cauſa. Abſurdiſſimè itaque appellatur cauſa ſufficiens, ſi Deo auferenti cor lapideum reſiſtit voluntas noſtra: ergo cor lapideum reſiſtet Deo auferenti cor lapideum, non ergo aufertur tale cor, ſed remanet contra *Ezech.* 36. Itaque ex *Arminianorum* ſententiâ male dicitur reprobos reſiſtere gratiæ ſufficienti non applicatæ, imo ſic non eſſent rei ſpretæ vocationis internæ. 6. At dicent eſſe reos quoniam ipſi impediunt applicationem gratiæ ſufficientis; ſed ſemper recurret in ipſos hoc ſaxum, impedire applicationem gratiæ ſufficientis eſſe cordis lapidei non exiguam partem. At promittit Deus ſe electis ſuis cor lapideum ablaturum, id quod non præſtat, quoniam impedit voluntas libera, quominus applicetur gratia ſufficiens. 7. Quæritur an non impeditio applicationis gratiæ ſufficientis ſit peccatum. Si ſit, eſt evitabile per aliam gratiam ſufficientem, quæ vel operatur declinabiliter, quoniam libertas etiam impedit applicationem illius gratiæ, vel indeclinabiliter. Si prius, impeditio illa eſt peccatum evitabile per aliam gratiam ſufficientem, & dabitur progreſſus in infinitum: en vertiginoſos ſpiritus; ſi poſterius, habemus inſtitutum.

5. Quicquid argumentorum ab adverſariis adfertur, eſt abſurda petitio principii. Nunquam

quam enim dabunt cauſam ſufficientem, quæ ab efficaci contradiſtinguatur ſenſu *Arminiano.* Dicunt medicinam eſſe ſufficientem cauſam ſanandi morbi, ſed non efficacem, quoniam æger ex contumace intemperie bibere recuſat: fontem aquæ frigidæ eſſe ſufficientem extinguendæ ſiti, eſſe non efficacem, quia ſitiens bibere recuſat: Deum eſſe cauſam pluribus mundis creandis ſufficientem, non vero efficacem, quoniam decrevit non creare plures: orator ſufficienter ſuadet pacem inter *Thebanos & Athenienſes*, at non efficaciter perſuadentur: rationes tamen *Demoſthenis* ſunt in ſe validiſſimæ. Reſp. 1. Qui medicinam morbi ſanandi cauſâm ſtatuunt, næ illis opus eſt hellebori medicinâ. Quis tum non curaretur, qui morbo laborat, ſi cauſa in potentia eſſet cauſa? at puto medicinam ſumptam & applicatam eſſe cauſam ſufficientem morbi ſanandi, & tum ſi non ſanet, erat medicina inſufficiens; nec aqua eſt ſufficiens cauſa extinguendæ ſiti, niſi intelligatur cauſa potens, ſumpta & hauſta aqua eſt ſufficiens cauſa. Qui Deum ſimpliciter volunt mundi creatorem, hallucinantur: ſic enim, quoniam Deus ab æterno fuit, mundus ab æterno fuiſſet. At vero Deus ut agens liberum eſt ſufficiens cauſa mundi creati: alioqui ipſe Deus eſt cauſa potens mundi: hoc niſi dicatur, neceſſe eſt Dei libera voluntas nullam ſufficientiam cauſativam habeat ad actualem creationem mundi. Denique nulla oratio eſt per ſe ſufficiens cauſa effectus liberi, quoniam ne-

neceſſe eſt ad actualem cauſationem interveniat libera determinatio voluntatis, omnes hæ cauſæ ſunt cauſæ potentes, non ſufficientes, quoniam ad ſufficientiam requiritur vis cauſativa ulterior ad productionem effectus. 2. Ad totius rei enodationem, notandum in eo maxime hallucinari adverſarios, quod non animadvertant cauſam ſufficientem bifariam dici: 1. phyſicè. 2. moraliter: phyſicè, talis homo, qui metaphyſicæ peritus eſt, ſufficiens eſt cauſa erudiendæ juventutis in ea facultate; at moraliter non ſtatim eſt ſufficiens, quia ut ſupponimus, non vult ipſos erudire. Sic medicus eſt ſanandis morbis multorum egenorum cauſa ſufficiens phyſica: at vero in genere cauſæ moralis, non eſt ſufficiens, quia curare non poteſt abſque mercede, neque vult. At vero ars medendi ſolitariè ſumpta non agit, ſed ars adhibita per liberum arbitrium medici. Deus eſt cauſa ſufficiens ſufficientiâ phyſicâ duobus aut tribus mundis creandis, ſed in genere cauſæ moralis non eſt ſufficiens: ſanctiſſimum enim ſuum arbitrium non determinavit, niſi ad unum mundum creandum. Sic itaque argumentantur *Arminiani* cum *Ieſuitis*: gratia eſt ſufficiens convertendis reprobis: ergo ipſis vitio verti debet, quod non convertantur. Quamvis conſequens ſit veriſſimum, attamen conſequentia eſt vana & nulla. Si enim gratia ſit ſufficiens phyſicè tantum, uti revera eſt, ſic mihi licebit arguere: hic medicus cauſa eſt ſufficiens huic egeno febricitanti curando: ergo

vitio verti debet febricitanti egeno, quod non curetur: conſequentiâ nihil ineptius. Non enim poteſt operam & artem medici pecuniis redimere præ egeſtate. Ita hic gratia illa Arminiana ſufficiens hoc ipſo moraliter non eſt ſufficiens, quod vel non applicetur, & ſic eſt càuſa in potentia tantum, vel hoc dato, quod applicaretur, ſi non ſit uno ſaltem gradu, nempe ut octo, actuoſior & validior, voluntate rebelli ut ſeptem, cauſa ſufficiens non eſt, & ſi ſit hoc gradu actuoſior & à Deo debitè applicata, procul dubio eſt etiam cauſa efficax. Non igitur datur ſufficiens gratia ſimpliciter, quæ non ſit efficax. Nam ſufficiens illa gratia, vel poteſt duritiem omnem expellere, & ſic erit efficax: non enim reſiſtit Deo vocanti cor niſi durum contumax & rebelle; vel non poteſt omnem duritiem expellere. Quilibet videre poteſt *Arminianos* nihil cauſativæ ſufficientiæ tribuere gratiæ ſuæ ſufficienti qua voluntatem applicet ad opus. Id enim illi puræ naturæ libertatis tribuunt, & ſic uſus gratiæ illis eſt à pura natura libertatis, non à Dei gratia. Ea enim, ex eorum mente, poteſt eſſe ſufficiens, etſi voluntas nunquam applicetur ad opus. Atqui omnibus ſane philoſophantibus hactenus vulgo creditum ſemper, cauſam quæ effectum producere non poteſt, cauſam inſufficientem eſſe. Sed dicunt eſſe inſufficientem non ex defectu virtutis in ipsâ gratiâ, ſed eo quod ſemper agat gratia ut non auferat τὸ nolle vel velle Deo vocanti conſentire. Sed

occurro: defectus hic maximus eſt virtutis gratiæ, quod non poſſit peccaminoſum τὸ nolle conſentire, auferre, atque adeo rebellionem expugnare, præſertim cum victoria noſtra, & de peccato, mundo, & diabolo triumphus expreſſè tribuatur divinæ gratiæ robori in ſcripturis. 1. *Pet.* 1. 5. *Phil. c.* 4. *v.* 13. 1. *Ioh.* 4. 4. *Epheſ.* 3. 16. Juxta enim *Arminianos*, ſi poſitâ ſufficienti gratiâ ejuſque actione, manet in me τὸ nolle conſentire Deo vocanti, procul dubio non vinco Diabolum & peccatum, ut ait *Ioannes*, quoniam ſpiritus ſanctus per gratiam inhabitans in me eſt fortior Diabolo & peccato, quippe poſito robore ſpiritus gratioſi, fieri poteſt ut vincat Diabolus qui eſt in mundo, & non ſpiritus qui eſt in nobis. Si enim non ſit ex virtute & robore gratiæ, quod non ſit in me non τὸ nolle conſentire Deo vocanti, potius quam in *Iuda*, tum erit à purâ naturâ liberi arbitrii, ideoque victoria naturæ, non gratiæ debebitur: dent adverſarii tertium, & cauſa volens excidam.

6. Ut jam gratiæ efficacia & actualis prædeterminatio magis appareat, notari velim. Quando nos docemus gratiam prædeterminantem ex vi ſuâ intrinſecâ inclinare voluntatem ad τὸ conſentire potius quam ad diſſentire, id tripliciter intelligitur. 1. Quod gratia efficax impediat impetum & motum obliquitatis & irrectitudinis vitioſæ, quæ libertati extrinſecè adhæreat, & hunc ſenſum lubens admitto. Niſi enim Deus actualem duritiem in a-

ctibus

ctibus gratiæ præpediat & præoccupet, non video quomodo Deus auferat cor lapideum. *Ezech.* 36. 17. 2. Senſus hic eſt, quod gratia prædeterminans vi ſua intrinſecâ penetret quaſi ad profunditatem vitalis inclinationis & impetuoſitatis electivæ, atque ita primam ὁρμὴν & impetum naturæ in libertate cohibeat, & voluntatem inclinantem ad angulum, (ut ſic loquar) borealem talis volitionis, & Dei prædeterminatio torqueat ad angulum auſtralem: hunc ſenſum falſiſſimè nobis affingunt adverſarii, 3. Quod Dei gratia prædeterminans non vi ita penetrans, ſed inſidens impetuoſitati naturæ, ita indeclinabiliter flectat voluntatem, ut modo admirando gratia fortiter & voluntas vitaliter & electivè conſpirent in idem objectum numero, eodem tempore, loco, & intenſione, & voluntas ſub illa Dei motione non in aliud tenderet objectum, quam in illud idem in quod liberè ſe inclinaſſet, hoc dato quod per impoſſibile, nulla fuiſſet in Deo prædeterminatio, ita tamen ut gratia primo & principaliter id objectum non aliud prædeterminet, & voluntas ſubordinatè & dependenter, ex vi interna, vitali, & imperiali, & electivâ libertatis in illud idem objectum tenderet. Hic etiam eſt verus ſenſus.

7. Ita enim diſtinguimus efficacem à prædeterminatione, quod tota gratiæ efficacia ſita ſit in prædeterminatione hac. Nos vero non ab eventu aut à libera cooperatione voluntatis gra-

gratiam efficacem eſſe volumus, ſed tum à natura gratiæ prædeterminantis, tum etiam à Dei vocantis intentione. Hiſce ſcripturis probamus *Deut.* 29. 4. *Vidiſtis ſigna, virtutes, & tentationes &c.* Cur ergo non ſunt converſi? Certe ſi *Moſes* Arminianæ fidei fuiſſet, ſatis habuit, brevi reſpondiſſe, quoniam vos præfracti *Iudæi* noluiſtis obedire: atqui non ab iis, ſed ab ipſo Deo rationem altiſſimi myſterii reddit. *Sed* (inquit) *Deus non dedit vobis cor ad intelligendum.* Reſp. *Corv.* Deus non potuit à vobis impetrare, ut daret cor ad intelligendum; præfracti enim fuiſtis. Reſp. 1. Quid coactius? Imo impetravit ut daret, & quantum potuit, illæſa juſtitiâ, ad actualem dationem fecit, ut alii *Arminiani* docent. 2. Quam diſtorta reſponſio? Deus non dedit vobis, id eſt, vos non recepiſtis: hoccine eſt exponere, an potius ponere, *Dare* pro *accipere*, *relatum* pro *correlato*? non eſt pater, id eſt, non eſt filius.

Apol. c. 17. fol. 165. 2. Remonſtrantes Reſp. Dedit, *quia ea omnia fecit, quæ ad cor intelligens in ipſis efficiendum longe erant aptiſſima, niſi velimus Deum de ſeipſo conqueri.* Reſp 1. At dicite quæ ſint longe aptiſſima ad efficiendum cor intelligens: Signa, & miracula, & verbum? at ſic dedit *Pharaoni* cor novum. 2. Nec hæc ſunt longe aptiſſima, quia tantum externe & ſuaſorie excitant, non addunt novas vires læſæ & debili libertati, imo gratia interna longe aptius eſt, ſed vultis altum ſilentium eſſe de tantâ gratiâ, 3. Non ſequitur Deum de ſeipſo conqueri, ſed de *Iu-*

dæis,

dæis, qui mediis externis abuſi ſunt, niſi velitis Deum ex juſtitia obligari ad dandum cor intelligens. At qua lege? Vos hoc docete.

8. *Eſai.* 44. 3. *Effundam aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam, effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper pregnatos tuos; & efflorescent veluti gramen, & veluti ſalices inter progreſſus aquarum.* Ratio cur efflorescant in operibus ſanctitatis, uti exponitur in ſequentibus? eſt effuſio Spiritus Sancti ſuper ipſos, ideoque gratia determinans ejuſque efficacia probatur. Reſp. Remonſtr. *Apol. f.* 18 1 *Reſp. Remonſt.*
Conſtat quod eo loco agatur de benedictionibus temporariis. Reſp. Conſtat eos cæcutire: (effundam ſpiritum meum) aliud clamat. Unus dicet. *Ego ſum Iehovæ, alius vocabit ſe non Iacobi*, id eſt, adjunget ſe veræ eccleſiæ: ergo de gratia ſpirituali agitur. 2. Reſp. Remonſtr. 2. *Reſp. Remonſt.*
Alloquitur Iſraëlem rectum, ergo non agitur de gratiâ ad converſionem neceſſariâ. Reſp. non ſequens promiſſio facta eſt ſemini *Iacobi*, quid? an ſemen nondum natum rectum eſt? an accidens prius ſubjecto? par eſt ratio gratiæ converſionis, & gratiæ converſionem ſubſequentis. Utraque enim determinat indeclinabiliter voluntatem populi Dei ad vegetationem inſtar plantarum irriguarum in bonis operibus, & ad *ſubſcribendum manu Iehovæ*, & ad euangelio credendum, ut eſt v. 5. ſecus promittit Deus, quod penes ſe præſtare non eſt. 3. Reſp. 3. *Reſp. Remonſt.*
Remonſtr. Non promittitur gratia determinans, quia gratia hæc promittitur *Iſraëli* recto, quia

quia tum eâ carebat *Iſraël* & indigebat eâ? At gratia determinans iſta, jam tum locum habebat in *Iſraële* recto. *Iſraël* enim rectus non erat ſine ea gratia. Reſp. 1. Fumo leviora omnia: non tantum *Iſraëli* recto, ſed & ſemini nondum nato, nedum recto fit promiſſio. 2. Gratia determinans parcior non deerat tum *Iſraëli*: ergo auctior ſub *Meſſia* non promittitur quæ voluntatem determinet. non ſequitur: veteri populo non defuit fides in *Chriſtum*. *Heb.* 11. An ſequitur nuſquam in prophetis auctiorem & copioſiorem promitti? Tollatur igitur totum vetus teſtamentum. 4.

4. *Reſp. Remonſtr.*

Reſp. Remonſt. Nec juvat, ſi dicas vocationem gentium hic promitti, gentes non ſunt ſemen *Iſraëlis*: deinde quæ ratio eſſet iſtius præcedentis hortationis? *Ne timeto ſerve mi Iacob: nam aliquando ego vocabo gentes etiam ad fidem, puta poſt octingentos annos aut* 100. *annos*. Quid? Timebat *Iſraël* ne hoc fieret &c. Reſp. Pudetne nugarum tantos magiſtratos? Gentes ſunt ſpirituale ſemen *Iſraëlis*. *Rom.* 2. 29. *Sed is eſt Iudæus qui in occulto eſt &c.* *Rom.* 9. *v.* 8. *Non qui filii carnis, ii filii Dei, ſed qui ſunt filii promiſſionis cenſentur in ſemine.* Quin & *Philippenſes qui ſpiritu colunt Deum ſunt circumciſio. Phil.* 3. *v.* 3. Obliti eſtis ſcripturarum? 2. Hortationis appoſita admodum eſt ratio, & ſolamen non mediocre *Iudæis* tantum non ab hoſtibus pene devoratis. Nam cap. 43. 28. Dederat Deus *Iacobum* execrationi, & *Iſraëlem* opprobriis; ita poterant plane animos deſpondere,

& ec-

& eccleſiam Dei pene deficere, pro ea, quâ erant fidei infirmitate, putare: ſolatur Deus fideles, eo quod ipſorum ſemen ramos extenſurum per progreſſus aquarum, gentium vocatione eſſet. Ita *Iſai.* 54. 1, 2, 3. *&c. Gal.* 4. 27. *Eſai.* 2. *v.* 1, 2, 3. dixerim vix legiſſe ſcripturas qui aſſereret non eſſe vocationem gentium, judæis ſolatio. 5. Reſp. Remon. lib. *Promiſſio ad totum populum dirigitur: at gratia iſta peculiaris non ad totum populum pertinet: deniqueſi ad paucos tantum quoſdam, ex gentibus nominatum à Deo ab æterno electos promiſſio pertinere dicatur, quænam erat ſolatio hæc qua Iſraelem Deus vult erigere contra metum &c.* R. 1. Communi hâc cantilenâ nihil frigidius: an ex Dei intentione & decreto promiſſiones euangelicæ ad reprobos ſpectent, vos dicite, id nos negamus. 2. Solamen non mediocre eſt electis promiſſio gratiæ determinantis: reprobis nihil in ſcripturis ſolatio eſſe dicimus: quid illis cum pace, cum ſolatio, cum ſpiritus ſancti gaudio? 3. Dicite ex conſcientiis ecquid ſolatii ſit ullis filiis *Adami*, ex promiſſione illius gratiæ, adverſus omnes hujus vitæ, mundi, peccati, Diaboli, ærumnarum omnium, mortis, & infernalis terroris, inſultus & tentationes, quâ poſitâ fieri poteſt ut omnes in æternum exitium ruant, & illis omnes tentationes cedant in extremum malum, ſiquidem ipſi, uti liberè poſſent, voluntatem flectant ad aſſentiendum tentationi. Certe hic in libero arbitrio ſive in nova Dea contingentiâ aut fortunâ,

5. Reſp. Remonſt.

tunâ, non in Deo, gratiâ, providentiâ ſolatia quærant neceſſe eſt: vos ſolamen Chriſtianorum hoc eſſe vultis? ut ait *Arminius*. *Non poſſe nos de Petra deturbari, niſi volentes ſtationem deſeramus*, quaſi præcipue timendum foret, ne vi cogamur à fide deficere, velle cedere, tentationibus compulſi, quod eſt timere ne cœlum ruat, aut ne Deus non ſit Deus. Nam velle coacte eſt velle & non velle, hoc eſt timendum ne deficiamus, ſi defecerimus. Imo par dæmonum & hominum conſolatio, cuſtodia par à Deo, ne peccent ſi modo nolint peccare ita dæmones, ita qui jam delapſi ſunt in peccatũ in Spiritum S., conſolatione Arminianâ non deſtituuntur: addo e. damnatis ad inferos affatim ſolationis eſſe hoc modo. Vereminine quæſo doctores, ne damnati velint aliquid coacti, nempe ne deſperent, niſi velint deſperare?

Antiperk. pag. 758.

9. *Deut.* 30. *v.* 9. *Circumcidet Iehova cor tuum, & cor ſeminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo.* Quid ſit circumcidere, ſi non præputium cordis, & callum obdurationis, quo Deo reſiſtimus, amputare, cupimus, ut doceant *Arminiani*. Reſp. 1. Promittitur circumciſio ex hypotheſi quod ad Deum fuerint converſi v. 1. & 10. & audierint vocem *Iehovæ*. R. 1. At circumciſio ipſa eſt converſio; ergo promittitur converſio ex hypotheſi quod converſi fuerunt, hoc eſt circumcidam, ſi circumcidero. Nam *Col.* 2. 11. circumciſio eſt amotio corporis peccati. 2. Dicit v. 2. *Si auſcultaveris voci Iehovæ, tu*

&

& liberi tui, in omnibus quæ præcipio tibi, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ. Quid hic ad perfectam circumciſionem deſideratur? Certe nihil; Ergo erant circumciſi, antequam eſſent circumciſi. 3. Si converſio illa antecedanea ſit actus liber, quod negari non poteſt, tum poſito uno actu libero determinatur voluntas ad alium actum liberum indeclinabiliter. Alioqui fieri poteſt, ut homo impleret conditionem perficiendo illam converſionem antecedaneam, & Deus non circumcidat cor uti promittit, quod veracitati Dei plane repugnat. Ergo agnoſcant gratiam determinantem, neceſſe eſt. 2. Reſp. *Arminiani* per cor, affectus, non voluntatem deſignari. Reſp. Per cor intelligitur id quo homines obediunt voci *Iehovæ* in omnibus v. 2. per quod diligunt Deum ſupra omnia, ut vivant in æternum, quæ legis eſt impletio. Nam ſi volunt *Arminiani* homines præſtare perfectam obedientiam mente & affectibus voci *Iehovæ*, ut vivant v. 6. *ut Iehovah iis benefacere tanquam dilecto populo gaudeat, ut eſt* v. 9. & quidem excluſa voluntate; tum homines coacti obediunt voci *Iehovæ*, & ad vitam æternam vi pertrahuntur, nonne ſatius fuiſſet hoc tacuiſſe?

10. *Ezech. 36. 23. Cor novum etiam dabo vobis, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri.* Duo hic dubia Arminiana diluit. Prius eſt hoc, imo Domine, paratus es voluntate antecedente dare cor carneum, modo nos tibi danti non opponamus cor lapideum. Reſp. Imo non

penes vos erit opponere, & danti reſiſtere. *Ego enim auferam à vobis cor lapideum*, ut non velitis mihi danti reluctari: quid clarius? 2. Dub. *Armini.* Poſtquam, Domine, nobis cor novum indideris, quo bene velle poſſumus, fieri poteſt, ut actu non obediamus, quippe non determinata eſt libertas ad actus bonos, ita diluit v. 27. *Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut ambuletis in præceptis meis.* Reſp. Remonſtrantes, & *Corvinus.* Deus non indeclinabiliter movet voluntatem & abſolutè, populus enim *Novum Teſtamentum* in quo impleta eſt promiſſio, incircumciſi cervice & corde manſerunt *Act.* 7. Diem ſalutis non acceptaverunt &c. Sed tantum hoc facit iis, quorum cor poſt res abhorrendas non ambulat. Reſp. 1. Gloſſa textui repugnat, quoniam Deus aufert illud ipſum cor lapideum, quod poſt res abominandas ambulat: & dicant illi, quid diſcriminis ſit inter cor lapideum & cor incircumciſum, & cor non acceptans diem ſalutis. Certe hæc iidem ſunt: Deus autem & abſtulit cor lapideum & non abſtulit. Nec idem eſt populus incircumciſus *Act.* 7. & hic *Ezech.* 36. petunt inſulſe principium. Nam probare debebant in eodem populo, hoc eſt, in iiſdem numero hominibus, in quibus Deus promittit ſe effecturum cor novum, manſiſſe cor lapideum & incircumciſum, hoc dictatoriè ponunt, non probant. 2. Cor circumciſum & non ambulans poſt abominationes eſt res promiſſa. Ergo non eſt conditio antecedanea

Remonſtr. in ſcript ſynod. ar. 4. p. 165. & Apol. fol. 164.

Corv. contr. Mol. c. 33. ſ. 22.

nea promiſſionis implendæ. Idem enim non eſt & conditio rei promiſſæ, & res promiſſa: res promiſſa eſt futurum. Deus enim non jam promittit mundi creationem, & *Noachi* in arca liberationem. Antecedanea vero conditio prius habet eſſe & impleta eſt, quam Deus rem promiſſam actu exiſtere efficiat. 3. Facta eſt hæc promiſſio iis qui ſanguinem fuderunt in ſua terra *v.* 18. *& Dei nomen inter gentes profanarunt. v.* 20. *& v.* 32. ait. *Non propter vos iſta facio, ait Iehovah Deus, notum ſit vobis, erubeſcite & confundamini domus Iſraelis propter vias veſtras non bonas.* Imò (inquiunt *Arminiani*) non eſt quod vitam anteactam erubeſcant. Nam prius res abominandas abjecerunt, quam Deus cor novum in ipſis creârit. Hæc res profecto eſt laudi, non pudori. Itaque *Arminiani* ſic; propter vos, & vias veſtras bonas, ut pote qui res abominandas abjeciſtis, iſta facio, hoc eſt, cor novum indo, lapideum aufero; quorum vero cor poſt res abominandas ambulat, in iis non pono cor novum: quid ſpiritui ſancto contradicentius? 4. Pollicetur Deus eos purgatum iri ab omnibus pollutionibus: Ergo vel reſiſtere Deo danti novum cor, nulla eſt pollutio, vel ab illâ duritie purgantur. 5. Quod *Arminiani* vocant cordis novi antecedaneam conditionem, id Deus effectum novi cordis vocat. v. 31. Tunc (nempe poſtquam indiderim vobis cor novum) recordabimini viarum malarum & voſmet faſtidietis, id eſt, res veſtras deteſtandas abjicietis.

2. Reſp. Remonſtr. Apol. c. 17 p. 164. Eodem modo reſpondet Suarez. l. 3. de auxil. div. grat. c. 15. ſ. 8.

2. Reſp. Remonſt. Promiſſio hæc fit toti populo: at promiſſio gratiæ determinantis tantum paucis abſolute electis fit, non toti populo quoniam *Ier.* 31. & *Heb.* 8. *fit domui Iſraëlis & Iehudæ.* Nam per utramq; domũ notantur ii in quibus cor & ſpiritus vetus erat: in quibus cor non carneum, ſed lapideũ erat: per quos ſi notentur electi, tum nulli in populo tum erant, qui cor novũ & carneum habebãt, quo tempore hæc promiſſio fiebat: præter electos autem non fuerunt in populo, niſi reprobi: at nec reprobi habuerunt cor carneum, nec electi, quia alioqui id dari iis opus non fuiſſet: ergo nulli. R. 1. Meræ conjecturæ, & falſa omnia. Hæc promiſſio non fit toti populo ex intentione Dei, ſed proponitur eccleſiæ viſibili, & ex intentione Dei fit & præſtatur in ſolis electis: & domum veri *Iſraëlis* & *Iehudæ* corde circumciſorum ſolos electos notare quis dubitaverit? *Rom.* 11. 26. 27. *Totus Iſraël ſervabitur*: fit enim *Ier.* 31. 33. promiſſio iis in quibus Deus legem cordi inſculpturus erat, & quorum peccata Deus eſt remiſſurus, ita ut peccatorum eorum non ſit amplius recordaturus & *cap.* 36. *Ezech.* de eccleſia electorum planiſſime loquitur. 2. Deinde ſi fit toti populo ex intentione Dei, omnes & ſinguli aquâ purâ aſpergẽtur, remiſſionem peccatorum conſequentur, ſe ipſos faſtidio habebunt propter peccata, & v. 29. ab omnibus immunditiis liberabuntur, ac proinde à ponendo Deo vocanti obicem, quæ non eſt mediocris immunditia: quod abſurdum

dum. 3. Fieri promiſſionem iis in quibus cor vetus erat & lapideum ſimpliciter, ita ut non omnino regeniti eſſent falſum eſt. Cor novum enim cor novum habentibus ſæpius promittitur, & præſenti iſti populo ex parte fiebat. *Chriſtus* enim ait habenti dari ſic, *Luc.* 11. 9. Deus dat Spiritũ S. potentibus; quæro, an quis poſſit petere Spiritum S. ſine fide, ac proinde ſine Spiritu S.? Non poteſt: ergo ſi Deus Spiritum S. habenti Spiritum S. dat, promittere poteſt novum cor habenti novum cor. 2. Reſp. Remonſtr. Cum promiſſio hæc effectum ſortitura dicatur poſt multos dies, adeoque non niſi temporibus *Meſſiæ*, uti ſcriptor ad *Heb.* non obſcure indicat, tum nemo converteretur uſque ad iſta tempora. Reſp. Puerilius nihil. Non negant Remonſtrantes cor novum effici ſuaſorie & reſiſtibiliter, & hoc eo loci promitti: ergo ex *Arminiana* ſententia ſequitur neminem converſum fuiſſe uſque ad tempora *Meſſiæ*. Nam temporibus *Meſſiæ*, ſuaſorio modo datur novum: hoc dubium ipſos itaque premet. 2. Qamvis plenarium effectum ſortitura ſit hæc promiſſio temporibus *Meſſiæ* ut eſt *Heb.* 8. non ſequitur Deum quotidie in eccleſiâ judaicâ eam promiſſionem non impleviſſe, ſed parcius pro menſurâ gratiæ, cujus plenitudo ad *Meſſiæ* tempora reſervanda fuit *Eſai.* 40. 4. *Luc.* 3. 6. *Ioel.* 2. 28. *Act.* 2. 16. 17. At quis adeo rudis eſt, qui aſſereret non fuiſſe Spiritum Sanctum & cor novum in Sanctis, ante adventum *Chriſti*, quoniam largior effu-

2. Reſp. Remonſtr.

ſio ſpiritus promittitur ſub *Meſſia*? 3. Remonſt.
3. Reſp. Remonſt. Addunt ex noſtra oppoſitione ſequi id promitti temporibus *Meſſiæ*, quod ſemper antea factum fuerat: gratia enim Phyſice determinans ſemper Phyſicè determinat. Reſp. Retorqueo: ſequitur promitti gratiam ſuaſoriè & declinabiliter operantem cor novum, ideoque promitti temporibus *Meſſiæ* id fore, quod ſemper ab initio mundi fiebat. Gratia enim declinabiliter operans ſemper declinabiliter operatur. 2. Sequitur bene promitti largiorem & copioſiorem gratiam determinantem utpote ad plures extenſam, ad juvenes, ſenes, virgines, ſervos &c. *Ioel.* 2. 28. Non ergo promittitur id quod ſemper fiebat ab initio mundi? 4. Reſp. Remonſt. fol. 165. apol. Tum
4. Reſp. Remonſt. neceſſe eſt ut dicas omnes eos qui tum vivebant, & inter tempora iſta morituri erant, non tantum fuiſſe reprobos, ſed ſciviſſe etiam, aut ſcire ſaltem, ex hujus promiſſionis ſenſu, potuiſſe ſe æternum omnes & ſingulos reprobatos fuiſſe, atque à privilegio iſtius gratiæ, decreto peremtorio, ſecluſos. Reſp. 1. Nullo modo ſequitur: inter eos enim qui tum vivebant multi habuerunt cor novum, & ſpiritum novum, licet plenaria promiſſio Chriſto reſervanda foret. Supponunt enim falſum, Deum nullis ante adventum Chriſti cor novum dediſſe, quod falſiſſimum eſt. 2. Ex dogmate *Arminiano* de ſcientiâ mediâ ſequitur non plures nec pauciores potuiſſe cor novum libere recipere, quam qui actu recipiunt. Hoc dato

quod

quod Deus intenſiſſime id voluiſſet, ideo poſitis peremptoriis volitionibus humanis, quarum futuritio antecedit Dei tum ſcientiam, tum decretum, ſequitur Deum peremptorie excluſum eſſe ab omni poſſibilitate ſalvandi *Iudam*, aut ullos alios, qui damnantur, aut perdendi *Petrum* aut alios ullos, qui ſalvantur, niſi velit juſtitiæ & veracitati ſuæ renunciare. Quî enim enim poteſt *Iudam* ſalvare, aut velle peremptoriè ut ſalvetur, quando futuritio omnium flagitioſorum actuum *Iudæ* prior ſit Dei tum ſcientia, tum decreto, quod vere horrendum eſt.

5. Reſp. Remonſtr. & *Corvinus*. Intelligendam dicunt promiſſionem de tali operationis modo, qui ſingularem, & admirabilem vim habiturus erat ad corda populi totius, licet alioqui valde à divinorum præceptorum obſervatione alienata, amore Dei & legum divinarum de novo accendendum & inflammandum, adeoque in officio & fide ſemper retinendum, ſic tamen ut res, quanquam non veriſimiliter, adhuc aliter cadere poſſet, id eſt, ut vel non inflammaretur amore iſto vel inflammatus ſemel iterum refrigeſceret, & ad ingenium rediret. Hæc illi. *Corvinus* ait promiſſionem hanc reſpicere congeriem beneficiorum Dei quæ non poſſunt non permovere eos ad obedientiam, niſi omnem Dei timorem exuiſſent & particulam ל non ſemper notare eventum & effectum, ſed ſæpe finem & intentionem *Ezech*. 24. 13. *Mundavi te, & non es*

5. Reſp. Remonſtr. Remonſtr. in ſcript. ſyn. art. 4 v. 113. & in apol f. 165. 166. Corv. cont. Molinæ c. 46. f. 13.

 mun-

mundata. Ier. 15. 9. *Curavimus Babylonem, & non eſt curata:* ita falſi doctores dicuntur facere confidere mendacio. *Ier.* 29. 31. *& Cananæi avocaturi filios Iſraëlitarum poſt ſe Deut.* 7. 4. Reſp. 1. Dant nobis ſingularem modum, quo Deus corda ad obediendum inflammat, licet contrarium cadere poſſit, quanquam non veriſimiliter: quid illud [non veriſimiliter] ſit, quis ſcit? Nempe non probaliter, ſcilicet, quia Deus movet voluntatem, ignarus futuri actus liberi, probabili tamen aut veriſimili conjecturâ opinatur Deus, ni fallat augurium, fore ut perſuadeantur: nempe hic *Arminiani* volunt Deum ſtruere ſyllogiſmos tropicos, quaſi rudis eſſet tyro in logica. Ah blaſphemiæ orco relegandæ. 2. Sic tamen ut res aliter cadere poſſet, id eſt, ut non inflammaretur iſto amore: ſic totam vim ſingularem & admirabilem enervant, dum vis illa nihil præſtat, ſed cor non inflammatum relinquit, ideoque poſitâ illâ promiſſione Deus tam non dat cor novum, quam dat. Imo *Arminianis* figmentis ſtantibus, tam eſt hæc comminatio graviſſima, quam promiſſio gratioſa, tam à juſtitiâ quam à miſericordiâ profecta. Si enim Deus tali admirabili vi utitur in affectione cordis novi: ex qua tam ſequitur cor lapideum, & prava & contumax Deo regeneranti reluctatio facta, quam cor novum & ſpiritus novus, tum Deus æque minatur iis cor lapideum, quam promittit cor novum, & tum ridiculæ & verè hypocriticæ ſunt hæ promiſſiones, & tum illud

illud v. 32. non propter vos iſta facio, nempe propter vos & vias malas, cor lapideum vobis aufero, huc certè redeat ſenſus neceſſe eſt, ideoque non indurabuntur propter peccata, ſed propter nomen Dei glorioſum. Hoc non audent aſſerere Remonſtrantes, At vero multa beneficia gratioſa hic promiſſa, ut quod Deus ſanctificari ſe velit. v. 23. quod pax conſcientiæ & vera tranquillitas v. 28. promittatur, & dolor ſecundum Deum v. 31. remiſſio peccatorum v. 28. & 33. preces ipſorum exaudiendæ v. 37. & gentes agnituræ ſint, Deum eſſe ipſorum Deum v. 36. & quod id certo fore prædicat v. 36. *Quia* (inquit) *ego Iehovah loquutus ſum & id præſtabo.* Omnia (inquam) hæc certiſſime notant, non veriſimiliter & probabiliter ſed certiſſime fore, ut ipſis indatur novum cor & novus ſpiritus, & ſi cetriſſime, tum indeclinabiliter. Omnis enim ſcientiæ divinæ certitudo ſupponit objectum neceſſarium. 3. Ex *Arminianâ* ſententiâ quam ridiculæ & hiſtrionicæ eſſent hæ conſolationes, dulciſſimæ? nempe ita vobiſcum acturus ſum, ut fieri poſſit ut non ſanctificetur, ſed profanetur nomen meum, ut non purgemini ab immunditiis, ut maneat in vobis cor lapideum, ut non ſit in vobis cor novum, ut ambuletis non in meis præceptis, ſed in viis veſtris malis, ut non tangamini dolore & faſtidio male anteactæ vitæ, ut gentibus ſitis prædæ, ut terra deſolationi ſit. Qualis hæc, & quam jejuna conſolatio? Quis inter Deum

conſolantem, & judicia tonantem, inter ipſum gratioſè & euangelicè promittentem, & dira comminationum legalium fulmina vibrantem diſcernere poſſet? 4. Quod dicunt [ſic tamen, ut res aliter cadere poſſet,] ſatis innuunt Deum dare tantum potentiam faciendi ſibi cor novum & potentiam ambulandi in præceptis Dei. At quid contradicentius textui [*faciam ambuletis &c.*?] nempe hoc eſt actum, per potentiam, & ambulare per ejus contradictorium, non ambulare exponere, quod eſt invertere Sacras Scripturas. Atqui quæro, an non liceat populo Dei orare cor novum hic promiſſum? Non negabunt, opinor. Et tum ſequitur fideles orare potentiam obediendi, quod ſupra ipſos negaſſe audivimus. 5. *Corvinus* hoc per congeriem beneficiorum effici, & Remonſtrantes, vi ſingulari & admirabili fieri docent. At hic nihil de infuſione ſupernaturalis potentiæ, nihil de gratia interna: tota res per beneficia, morali ſuaſione moventia tranſigitur. At vero tum quando populum ex *Ægypto* deduxit, quo beneficio quid præſtantius? Quando ad ipſos liberandos, ſpoliis hoſtium ditandos, naturam toties miraculis permultis commutavit, mare rubrum diviſit, luce & igne cælitus lucente deduxit, hoſtes ſubmerſit, ipſis novum cor dederat, & legem cordi inſcripſerat, quod aperte negat Deus. *Ier.* 31. *v.* 31. 32. An non ſic *Moabitis*, *Ammonitis* & *Chaldæis* novum cor dedit? 6. Dicit *Corvinus* hæc benefi-

cia

cia ipſos permovere potuiſſe, niſi omnem Dei timorem exuiſſent. At eos quibus ineſt cor ſaxeum, uti eſt in irregenitis, omnem Dei timorem exuiſſe, quis dubitat? At quid eſt exuere omnem Dei timorem? nempe ego credo nihil aliud eſſe, quam ita ſaxeos eſſe homines, ut nolint permoveri ad obedientiam, nolint ambulare in Dei præceptis. Huc ergo redit *Corvini* ſophiſticatio, ipſos potuiſſe non exuiſſe omnem Dei timorem, & potuiſſe permoveri ad obediendum, ſi non exuiſſent omnem Dei timorem, & non permoti non fuiſſent ad obediendum, & potuiſſe ipſos cor lapideum abjeciſſe, niſi retinuiſſent, & Deum ipſis cor novum dediſſe, ſi non negaverit: quæ vertigo eſt hæc maleſani cerebri? 7. Particulam ל non notare eventum, ſed finem, quo Deus poteſt excidere, eſt Deum veracem eſſe in promiſſis; ſiquidem homines velint: quo quid abſurdius? Nec ſufficit ſi dixerint promiſſiones has eſſe conditionales, nempe Deus promittit dare cor novum, ſiquidem velint recipere: at vero an corde lapideo cor novum recipiunt? Monſtroſum hoc eſſet dictu: ſi corde novo recipiunt cor novum, tum habent cor novum, antequam habeant (loquor de hominibus in primo converſionis momento) quod abſurdum eſt; vel purâ naturâ cor novum recipiunt, qui Pelagianiſmus eſt: dent illi quartum. At quæro conditionem poſtulatam à nobis, nempe ſi velimus, hoc eſt, Deus efficit in nobis novum velle, ſi efficiat in nobis

novum velle. 8. Loca ſcripturæ citata ſunt plane heteroclita, quaſi vero non efficacius Deus efficeret cor novũ in electis, quam comminationibus & externis beneficiis curata fuit *Babylon*, aut pari efficaciâ, qua *Cananæi* & *Diabolus* avocat homines à Deo: valde ſapit hoc gratiam pelagianam. 9. Quæro an unquam Dei populo dubium tale in mentem venire potuit: Deum daturum cor novum ipſis, ſiquidem non reluctarentur, ſed ſi ipſi velint habere: quaſi vero timuiſſent, ne reluctantibus & invitis novum cor dediſſet, imo ſic Diabolis, quos multâ patientiâ tolerat, & omnibus nationibus cor novum dat.

11. Addunt Remonſtr. in apol. Hæc promiſſio eodem cap. 11. 17 *Dabo vobis cor carneum*, allegatur tanquam ratio, qua futurum dicitur, ut amoverent omnia deteſtabilia, & tamen ſubjicitur, & quorum cor ambulat poſt abominationes ſuas, viam eorum in caput eorũ dabo. At ridiculæ comminationes ſunt, ſi efficacia talis promiſſa ſtatuatur, quæ voluntatem eorum ad amovendum abominationes determinatura erat. R. 1. Manifeſta eſt diſtinctio inter electos v. 17. & reprobos de qvibus v. 21. & illa promiſſio eſt non tantum ratio, ſed & cauſa efficax quare amoveant deteſtabilia. Comminationes optimè conſiſtunt cum tali efficacia, ut & præcepta, quoniam ii, quibus deeſt talis efficacia, liberrime defectui talis efficaciæ ſubſcribunt, vel potius abſentiam ipſius amant, ideoque jure puniuntur, & optime

manet

manet locus præceptis, quoniam electi liberrimè tali efficaciæ ſubſcribunt: nec pugnat aliquem non poſſe non obedire, & tamen ei præcipi ut obediatur, quod in Chriſto clarum eſt, qui non potuit non ponere animam pro ovibus ſuis, & tamen hoc mandatum ponendi animam ſe à Patre accepiſſe teſtatur, *Ioh* 10. 17. 18. & in *Paulo* qui mandato obedivit ut *Act.* 26. 19. *collat. cum Act.* 9. 11. & 20. & tamen *Ieſuitæ* & *Arminiani* volunt eum non potuiſſe non obedire, propter motionem extraordinariam, quâ eum actum fuiſſe docent.

12. *Ier.* 24. 7. *Indam cor iis ad me cognoſcendum, & revertentur ad me toto corde ſuo.* *Ier.* 32. 40. *Diſponam cum iis fœdus ſempiternum, non recedam ab eis, ut benefaciam iis.* At *Arminiani* clamant, penes nos eſſe (utpote cum indeclinabiliter non flectatur à Deo libera voluntas) à Deo recedere. Mihi videtur Spiritus Sanctus hiſce explicatiſſime contradixiſſe, quando ib. addit ad aſtruendam fœderis, ex utraque parte contrahente, ſempiternitatem. *Et indam timorem meum in cordibus eorum, ut à me non recedant.* *Ita Ier.* 31. 33. 37. 39 *Ieſai.* 54. 10. *Ieſai.* 50. 20. 21. Imo & fœdus Dei juramento ſtabilitum *Heb* 6 13 luculentiſſime demonſtrant fieri non poſſe, quin violetur hoc novum fœdus, ſi non Deus ad obediendum & libere perſeverandum in gratia ita moveat & flectat voluntates hominem, ut non poſſint eo non permoveri, & illuc ſuaviter trahi & duci quo Deus velit & intendat.

Putant

Putant ſe expediiſſe nodum hunc Herculeum, quando dicunt fœdus novum eſſe æternum, quoniam Deus juravit ſe promiſſa præſtiturum, ſiquidem nos non deerimus cooperando, hoc eſt, ſi nos velimus obedire. At vero ſic fœdus operum erat æternum: Deus enim ſanctè dicit, qui faciet hæc vivet in illis, & præſtantibus legem non minus vitam reddit operibus promiſſam, quam implentibus fœdus novum: ſic & fœdus operum cum angelis qui lapſi ſunt, eo ſenſu eſſet æternum. Imo ſic illud *Cajino* dictum à *Iehovah Geneſ.* 4. *Nonne ſi benefeceris, eris acceptus?* eſſet fœdus æternum, quod tamen ſtatim violavit *Cajin* homicidio & miſerâ conſcientiæ deſperatione, & merces non manducationi fructuum arboris vetitæ promiſſa, eſſet æternum fœdus: quo quid abſurdius dici poteſt? At *Ieremias* ſtatuit diſcrimen eſſentiale inter fœdus cum patribus à diſceſſu ex *Ægypto* ictum, nempe quatenus erat legale, & fœdus hoc novum, quod illud ruptum eſſet à patribus, ideoque æternum non erat; hoc vero æternum erit, ideoque à fœderatis non magis poſſet rumpi, quam fœdus Dei naturale, cum nocte & die, quam latitudo cœli, ut terræ profunditas indagari poſſet. *Ier.* 31. *v.* 34. 35, 36, 37.

Antipeth. 2. Aliud effugium innuit *Arminius. Inter alia* (inquit) *ille ſtatus* (*Adami ſub fœdere operum*) *non habuit promiſſionem remiſſionis peccatorum, ſi contingeret Adamum vel ſemel peccare: fidelium vero* (ſtatus) *iſta promiſſione fit beatior: peccatorum illo-*

illorum non recordabor amplius. *Vnde accidit ut fides Dei non reddatur irrita, etiamſi fœderati ipſius peccent.* *Rom.* 3. *Eſt enim fœdus gratiæ, fidei &c.* *Pone tamen quaſcunque voles differentias, neceſſe ſemper fatearis perſeverantiam (ac proinde omnem obedientiam: eſt enim par ratio & eadem) voluntariam, liberam & mutabilem in utroque ſtatu ad ſalutem.* R. 1. At non tantum Deus *Ier.* 31. vult fœdus novum ornari beatitudine remiſſionis promiſſæ, ſed & indeclinabilitatis in ſtatu illo beato, ſicut conſiſtunt, immotâ & fixâ lege, nox & dies, ſolis, lunæ, & aſtrorum revolutiones conſtantiſſimæ, imo ſicut montes in ſuis ſedibus ſtabiliſſime conſiſtentes *Eſai.* 54. 10. uti textus dicit, & *Arminio* aperte contradicit. 2. Concedit *Arminius* peccatis fidelium non irritam reddi Dei fidem, at ambiguè & falſò; quid? An peccato *Adami* Deus fide & veracitate excidit? Quid tibi vis *Iacobe*? debebas dixiſſe peccatis fidelium non irritum eſſe fœdus Dei: ita enim vult *Apoſtolus. Rom.* 3. Hoc non audes dicere: tum enim cum omnibus apoſtatis & finali impœnitentia diem ſuum claudentibus, ratum ſtaret fœdus novum, præſertim ſi fide exciderent, uti tu doces. Vis igitur per peccata quæ Dei fidem irritam non faciunt, omnia peccata notari præter impœnitentiam. At quare exciperes impœnitentiam? Impœnitentiæ enim promittitur remiſſio, & data fuit *Paulo*, *Zachæo*, *Mariæ Magdalenæ*, Latroni reſipiſcenti in cruce. Nam *Ezech.* 36. 33. ubi eadem eſt promiſſio; teſtibus Remonſtrantibus

bus illa apologia, promittitur in illo fœdere purgatio ab omnibus iniquitatibus. Ergo vel impœnitentia non eſt iniquitas, quod eſt dictu iniquum, vel certe promittitur remiſſio impœnitentiæ. Ergo neceſſe eſt Deus tandem aliquando graviſſimum apoſtatam fœderatum reſipiſcentiâ indeclinabiliter donet, vel non manebit fides Dei rata; etiam peccantibus fœderatis. At cur peccatorum & non impœnitentiæ venia promittatur, non concipio. 3. Quomodo rata manet fides Dei, ſi fœderati gratiâ excidere & perire poſſunt, non minus quam pereunt, qui fœdus operum violârunt? quia nempe Deus præſtat fidem credentibus & reſipiſcentibus. At ſic manet rata Dei fides in fœdere operum, Deus etiam fidem præſtat operantibus. 4. Si in utroque fœdere ſemper eſt par & naturalis illa indifferentia peccandi vel non peccandi, tum fœdus operum erit tam ſtabile, atque montes, atque Dei fœdus naturale cum die & nocte, quod elogium æternitatis ſcripturæ adimit primo fœderi aperte. *Ier.* 31. 32. *Non ſecundum fœdus quod pepigi cum patribus eorum, eo die quo ipſos manu prehendi, & ex terra Ægypti eduxi, quod fœdus meum violârunt.* Atqui violari poteſt novum fœdus, ſi ſit talis indifferentia peccandi vel non peccandi in voluntate. At vero fortius aſtruitur ſtabilitas & perpetuitas hujus fœderis. *Ier.* 32. 40. *Faciam cum iis fœdus ſempiternum, non recedam ab iis ut ipſis benefaciam: & indam timorem meum in cordibus ipſorum, quo minus à me reci-*

recedant. 5. Huc inclinat *Arminius*, quod fœdus legale hoc nomine ſit æternum, quod poſtquam ſemel violatum eſt, ceſſat eſſe via ordinaria perveniendi ad ſalutem, & vero etſi homines peccent in fœdus novum, non ceſſat eſſe via ordinaria ad ſalutem, quoniam ſemper reſipiſcentibus vitam promittit: at vero nec ſic ſatisfacit. Non ceſſat fœdus legale ſimpliciter, ſed ſecundum quid, eſſe via perveniendi ad ſalutem, nempe propter carnis impotentiam. *Rom.* 8. Quo ſenſu fœdus novum præfractis non magis eſt via ad ſalutem quam fœdus operum; imo adhuc fœdus operum dicit (*fac hoc & vives Rom.* 10.) at ſi non promittatur in fœdere novo gratia determinans, nullo modo eſt fœdus ſtabile, uti dicit ſcriptura, ſed tam inſtabile, atque fœdus operum, quando aperte contradicit ſcripturæ.

13. *Matth.* 11. 25. *Gratias ago tibi Pater* (inquit *Chriſtus,*) *Domine cœli & terræ, quoniam hæc abſcondideris à ſapientibus, & parvulis detexeris.* 26. *Ita eſt ò Pater, quoniam ita eſt beneplacitum coram te.* Hinc arguo ſic: cauſa efficax cur illuminentur parvuli, & non ſapientes eſt Dei εὐδοκία, cujus nomine Chriſtus ſoli Deo gratias agit, tanquam ei à quo pendet τὸ actu illuminari, potius quam non illuminari. Alioqui, ſi ex libera hominis cooperatione pendeat, quod hic illuminetur, & alter pari gratiâ præveniente inſtructus, non illuminetur; homini non Deo, agendæ eſſent gratiæ. *Arminiani* dicunt ex humili-

mititate hujus eſſe, quod illuminetur, ex faſtuoſâ ſapientiæ affectatione eſſe, quod hic non illuminetur, & decretum Dei eſſe illam *εὐδοκίαν*. R. 1. Certum eſt *Caſſianum* & *Fauſtum* hanc interpretationem à *Pelagio* hauſtam tradidiſſe. *Arminiani* vero vocem meriti declinant, rem ipſam vero tradunt. Imo illi ſicut & Pontificii, ad meriti quidditatem gratiam Dei requiri docuerunt, ut obſervârunt *Proſper* & *Fulgentius*. 2. Sit hoc igitur decretum & *εὐδοκία* Dei; Decerno ut omnes convertantur, ſiquidem parvuli ſint. Et hujus contrarium erit (decerno ut nulli convertantur ſi ſapientes ſint) non extat tale decretum in tota ſcriptura. Sic enim omnes humiles converterentur & nulli ſapientes: at hoc poſterius falſum. *1. Cor.* 1. *Nonmultos nobiles, non multos ſapientes Deus elegit.* Ergo quidam, licet non multi, ſapientes convertuntur, & ſic Deus ipſe hoc decretum reſcinderet, quod abſurdum. 3. Si per parvulos, hic intelligit habitu humiles, ſic non poteſt non reſcindi decretum hoc, quoniam habitualis humilitas non indeclinabiliter determinat voluntatem ad converſionem, & ſic multi humiles non convertuntur. Si vero per τὸ parvulum eſſe, intelligitur τὸ actu aſſentiri Deo revelanti, hoc certe non eſt aliud, quam τὸ actu converti. Aqui actu converti non poteſt eſſe conditio prærequiſita in convertendo, & ſic hoc dato, quod τὸ eſſe parvulum determinaret Dei voluntatem ad hunc convertendum, non illum, Deus neceſſitate juſtitiæ & veracitatis

ſuæ

ſuæ hunc indeclinabiliter converteret, nòn illum, & ſic efficacia gratiæ reducenda foret in Dei voluntatem determnantem, non in liberum arbitrium humanum. 4. Hæc ἐυδοκία diſcriminat non tantum faſtuoſos ab humilibus, ſed & totum genus humanum in duas claſſes dividit *v* 27. *Neque cognoſcit quis Patrem, prater filium*, καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. Diſcriminatio itaque hæc directe refertur, non in voluntates ſapientum & parvulorum, ſed in Dei voluntatem revelantem patrem, cui vult. 5. Nullo colore Chriſtus gratias agit Patri propter nudum decretum, ſed eo quod ſuis diſcipulis & parvulis, non principibus hujus mundi dignitate & ſapientia præclaris Chriſtum revelaret. 6. *Grevinchovius* negat hic agi de revelatione fidei (niſi (inquit) forte fidem pro objecto fidei acceperis. Atqui doctrina fidei non tantum parvulis, ſed & ſapientibus revelata fuit. Alioqui quomodo fieri potuit ut ſapientes hanc doctrinam odio & faſtidio haberent? non revelata quis odio haberet? Si vero per τὸ revelare hic notent actu ſecundo illuminare, loquaturtū neceſſe eſt hic Salvator de fidei ingeneratione, & ſic humilitas habitualis erit cauſa efficaciæ hujus revelationis, quod abſurdum eſt. 7. Si ſapientes & parvuli ſunt objectnm formale hujus decreti, tum ii quibus revelatur hoc myſterium ſemper erunt indigniores & deteriores hiſce, quibus non revelatur. Hoc autem *Arminius* gravatè concedet, qui fatetur Deum paribus præſtare im-

Contr. Ameſium pag. 52.

Armin. diſ. 16. *th.* 7.

parem, imparibus vero parem gratiam, imò vero & pejoribus majorem adhibere gratiam, ac proinde minus bonis revelat myſterium hoc, & melioribus & humilioribus non revelat: hoc itaque decretum reſcinderetur adhuc.

14. *Quoſcunque mihi dedit Pater, ii veniunt ad me Ioh. 6. 37.* Item, *omnes qui audiverunt, & didicerunt à Patre veniunt ad me.* Jam norunt omnes logici propoſitiones κατὰ παντὸς eſſe neceſſarias: hinc neceſſario dati à Patre, & neceſſari ò docti à Patre veniunt ad Chriſtum, hoc eſt, credunt: atqui neceſſitatio nulla provenit ex libero arbitrio; ergo ex Deo ejuſque gratia. Neceſſitas enim cum ſit modus entis, ab iis cauſis oritur, à quibus ipſum ens: nullæ verò hic ſunt cauſæ, niſi gratia, verbum, & creata libertas: non dicent neceſſitatem ab hiſce duobus ultimis fluere: ergo à Deo gratioſè movente fluat, neceſſe eſt. Si dati & docti à Patre, ita veniant ad *Chriſtum*, uti ex indifferente humanæ libertatis determinatione poſſint non venire, tum poſſet hæc contradicens eſſe vera (quidam dati, & docti à Patre, non veniunt ad Chriſtum:) & ſic Chriſtus (abſint blaſphemiæ) falſum dixiſſet. Subtilius eſt hic effugium *Corvini*, per [audire] (inquit) & [diſcere] notatur certa diſpoſitio in nobis effecta per gratiam, qua fiat ut faciamus id quod jubetur, hoc eſt, ut veniamus ad Chriſtum. Reſp. 1. Si notetur gratia qua fiat ut faciamus quod jubetur, indeclniabiliter habeo in-

Corv. contr. Mol. c. 46. ſ. 18.

inſtitutum, gratiam nempe indeclinabiliter movere voluntatem: ſi declinabiliter, adhuc infero hoc eſſe verum: | Quidam qui audiverunt & didicerunt à Patre non veniunt ad Chriſtum. | Sed latere voluit Sophiſta & vult hic notari certam diſpoſitionem per gratiam effectam, qua fiat ut faciamus, quod jubetur. Sed an per hanc gratiam fiat, ut faciaciamus neceſſariò, an contingenter, declinabiliter an indeclinabiliter, lectori, quem ludificari ſatagit, relinquit conjiciendum, ne cauſam malam proderet. 2. *Corvinus* ſubtilius quam ſolidè, per eos, qui audiverunt & didicerunt à Patre, intelligi vult eos qui ita audiverunt & didicerunt ut actu veniant ad Chriſtum, & ſic dixiſſet Salvator: omnes qui actu veniunt ad Chriſtum, ii actu veniunt ad Chriſtum: quæ inſulſa quæſtio inter *Chriſtum* & *Capernaitas* nunquam agebatur, ſed quæſtio erat, cur quidam veniant ad *Chriſtum*, quidam non? quaſi vero mortales ulli Chriſto moverent quæſtionem, an qui ita moventur à Patre ut actu veniant ad Chriſtum, ii actu veniant ad Chriſtum? An cauſa cur frigus aëris intenſum ut actu cauſatur glaciem, actu cauſatur glaciem? An *Corvinus* actu errans cum *Arminio* ſit cauſa cur erroribus *Arminianis* pertinaciter patrocinetur, quid ſtultius dici potuit? 3. Hæc eſt Salvatoris conſequentia: omnes docti erunt à Deo, ut ſcriptum eſt *Ier.* 31.34. *Eſai.* 54. 13. Ergo venient ad me. Atqui ex *Arminio* & *Corvino* Chriſtus ſophiſtam (domi-

nus meliora) egiſſet. Omnes qui ita docti erant à Patre, ii veniant ad me, ergo venient ad me: hoc ita habe. Omnes venient ad me: ergo omnes venient ad me. At ſi antecedens Chriſti ſtet ſenſu *Arminiano*, omnes erunt docti à Deo, nempe manente libertate indifferente, quâ fieri poteſt, ut vel veniant, ad Chriſtum vel non veniant, conſeq. Chriſti nihil falſius. Imo mihi tum licebit cū illis ſic rhetoricari: omnes erunt docti à Deo: ergo non venient ad Chriſtū.

Antiperk. p. 177. 15 *Arminius* vero naufragi more ſic: *Spiritus Sanctus* (inquit) *ita agit in liberum arbitrium, prout aptum & congruum novit, ut certò & infallibiliter moveatur. Idem de tractu patris intelligi velim.* Ita *Fonſeca*, *Suarez*, *Valentia*. Sed Reſp. *Fonſeca ib. ſig.* 9. *ait vocationem congruam ſuo conceptu quidditativo includere obedientiam vocati.* Et *Suarez, ib. ſ.* 9. ait *diſcere, idem eſſe quod credere, atqui venire ad Chriſtum & credere proſus idem ſunt* Itaque adhuc ii omnes veniunt ad *Chriſtum & credent, qui veniunt & credunt. Suarez* vero ait *Deum reſpectu moralis infallibilitatis prævidentem omnes capacitatis liberæ angulos, infallibiliter determinare libertatem: at negat determinari à Deo, reſpectu infallibilitatis Metaphyſicæ, ita ut repugnet deficere, quia ſemper manet potentia Phyſica reſiſtendi.* Reſp. 1. At quid tum poſtea? ea potentia vel eſt ſopita, & ſic ex tua philoſophandi via tollitur libertas, & impeditur uſus & exercitium, quod non eſt dicendum: vel non eſt ſopita, & ſic determinatio antecedens ſtat cum libertate quod in noſtrâ doctrinâ, tu redar-

Fonſec. Metaph. l. 6 c. q 5 ſect 19. Suarez in opuſc. de div. grat l. 3. c. 11. ſ. 10 Valent. tom 2. diſp 8. q. 3. p. 14 Suar. de auxil. l 3 c. 10. ſ. 7.

redarguis. 2. Ex *Ieſuitæ* principiis inclinatio æqualiter indifferens ad nolle & velle, non eſt objectum infallibilis ſcientiæ, nec poteſt ſciri determinatus actus ab illa inclinatione fluens, niſi in decreto Dei determinante; quod nunquam admittet *Suarez*. Scientia enim infallibilis in ſe præ requirit objectum ſcibile, quod ſit neceſſarium vel in ſe, vel in alio determinante. Nam certitudinem mentis abſque omni entis certitudine & neceſſitate, omnes metaphyſici docent eſſe impoſſibilem, ideoque contra negantes principia non eſt diſputandum. 3. Si metaphyſicæ potentia libertatis deficere poteſt, nihil abſurdi ponetur, ſi actu deficeret, ut alibi *Suarez* & *Vaſquez* contra decreta abſoluta philoſophantur, ac proinde moralis illa ſvaſio fallibiliter, non infallibiliter, determinet voluntatem, neceſſe eſt. Si vero vult, uti certe *Ieſuitæ* mens eſt, moralem hanc determinationem includere præſcientiam liberæ cooperationis arbitrii humani, pueriliter ludit, non diſputat: quaſi vero Deus dicendus eſſet moraliter determinare libertatem humanam, quoniam præſcit ipſam ſeſe determinaturam libere. Quis Deo determinationem tribueret, aut rationi à Deo moraliter adhibitæ, quando tota cauſalitas determinativa, quanta eſt, nec à Deo, nec quanta à ratione (quippe uterque libertatem indifferentiæ metaphyſicæ relinquit) ſed ab ipſa libertate humanâ, proficiſcatur? dignus certe diſputator, qui ex Academiâ *Conymbricenſi* & è ſcholâ peripateti-

câ, mihi crede, exſibiletur. Rotundè tamen *Bellarminus* efficaciam converſionis ex *Ioan.* 6. 44. 45. tribuit excellentiæ doctoris, non ſtudio & induſtriæ diſcipuli, ſed non convenienter ſuæ doctrinæ: ſi hoc verum ſit, *Bellarmini* vocatio congrua è theologia exterminabitur.

16. 1. *Corint.* 4. 7. *Quis te ſeparavit? aut quid habes, quod non recepiſti? Si autem receperis, quid gloriaris, quaſi non receperis?* Si vero ex duobus gratia præveniente ut 7. inſtructis, hic credit & efficit gratiam actu ſecundo & eventu efficacem, ille vero non credit, reſiſtit, tum homo ſe ſeparavit, & gloriari poteſt hic, præ illo, in ſuo actu libero, nec eſt neceſſe, ut hic gratias Deo ſuæ converſionis potius tribuat, quam non converſus. Contra *Paulus* ſuæ converſionis laudes tribuit. 1. *Tim.* 1. 17. *Regi æterno immortali, & inviſibili.* *Apoc.* 5. 9. *Glorificati deferunt laudes Agno, quoniam* (inquiunt) *tu mactatus eras, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu & lingua, & populo, & gente.* Iam ſi aliæ gentes & populi pari gratiâ præveniente donatæ noluerunt credere, hi vero eâdem tantum gratiâ liberè crediderunt, & ſepârarunt ſe ab aliis, libero arbitrio faciente gratiam redemptionis & vocationis efficacem eventu & actu ſecundo, tum ſuæ ſalutis gratias ſibi, quam Chriſto potius deberent. Nam norunt omnes logici, effectus productos in hoc objecto, & non in illo, non tribuendos eſſe cauſæ communiter agenti,

tam

tam in hoc quam in illo objecto. Suppono ſolem omnes flores in horto æqualiter luce & calore ſuo imbuere, hic flos vegetat aliis areſcentibus, num recte dicerem flori vegetanti? o tu reliquis beatior, plus debes ſoli, quam reliqui. Sic enim ſubinnuerem, ſolem reliquos flores luce & calore non illuſtrare, hunc vero tantum beare, quod patet eſſe falſum.

R. 1. *Suarez* ait: *non expedit de ſuis gloriari.* *Valentia, gloriari* (inquit) *poteſt* (converſus) *non in Domino ſolo, ſed tum in Domino, tum deinde in ſe. Fonſeca* ait, *poſſe homines in ſe gloriari, ſed tutius eſſe* (ut dicunt *Chryſoſtomus* & *Ambroſius*) *non gloriari ob periculum ſuperbiæ & inanis gloriæ. Arminiani collat. hag. p.* 333. Negant omnem gloriationem eſſe malam. *Corvinus contr. Tilen. c.* 5. *p.* 136. hominem tam ſe ſeparare dici poſſe, quam ait ſcriptura, hominem ſe ſanctificare, purgare, vivificare, ſalvare. Reſp 1. An homines in Domino gloriari poſſint, inſanit qui in quæſtionem aut ad partes vocet, ut ait ſcriptura, 1. *Cor.* 1. 30. 11. Sed quæritur an liceat gloriari in eo quod recepimus, quaſi non recepiſſemus. Ex adverſariorum vero doctrinâ converſus, gratia præveniente, ut octo, inſtructus, ſicut & inſtruitur non converſus, poteſt gloriari in actu libero ſuæ converſionis activæ, quam à Deo non magis habet, quam non-converſus. 2. Quod in nobis & Domino velint gloriari, ſuperbia eſt intolerabilis, nos

Suar. in opuſc de auxil. l 3. c. 20. ſig. 14.

Valent tom. 2. d. 8. q. 3. p. 4.

Fonſec. lib. 6 metaph. c 2. q. 5. ſect. 9.

cum Deo gloriam dividere contra ſcripturas. *Pſal.* 115. 1. *Non nobis, non nobis, ſed tibi, Iehova, gloria.* 3. Quod non tutum eſſe velint in nobis gloriari, fateantur neceſſe eſt, ſe viam ad gloriam æternam minus tutam, nos vero tutiorem incedere: fruantur per nos eâ periculoſâ viâ. 4. Scriptura ait homines ſe ſanctificare, purgare, liberare, ut Dei inſtrumenta & agentia libera gratiæ prædeterminanti ſubordinata, ſed hominem eſſe cauſam ſeparantem ſe è numero reproborum pariter ſecum externe vocatorum, nuſquam dicit Scriptura.

2. Reſp. Suar de auxil lib. 3. c. 15. ſ. 8. 2. Reſp. *Suarez* & cum eo ſervilis ille declamator *Grevinchovius*, ſic *Greci*. Quis enim te diſcernit? id eſt, quis te dijudicat, aut unde te majore laude aut honore dignum cenſes, cum fallax ſit humanum judicium? Reſp. At ſic Apoſtoli ratio contra vanam gloriationem, nec caput, nec caudam habet. Sive n. homo, ſive Deus judex ſit donorũ, quibus aliis alii antecellunt, ſi homo à ſe habeat dona, in ſe poteſt gloriari, quod Apoſtolus illic reprehendit.

3. Reſp. Ideoque 3. addit *Suarez ib* admittendo receptam expoſitionem, apoſtolum nempe loqui de cauſa diſcretionis & differentiæ inter *Ib. ſ. 9.* ſanctum & non ſanctum. Id autem fit duobus « modis. Uno modo ut referatur in Deum ſolum: « alio modo, ut referatur in Deum, ut in prin« cipalem authorem, non tamen ſolum. Priore « modo id eſt ſecundum ordinem intentionis ſeu « prædeſtinationis divinæ, non tamen ſecundum « executionem. Quod enim ita Deus inter duos

diſcre-

diſcreverit, ut hunc elegerit, & non illum, ,
& huic præparaverit congruam vocationem,& ,
non illi, ſolius divinæ voluntatis fuit. Quod ,
vero in re iſte aſſequatur gloriam, & ſan- ,
ctificetur, & non ille, non eſt ſolius volun- ,
tatis divinæ, ſed etiam & voluntatis & coo- ,
perationis humanæ, ut dixit *Concil. Trident.* ,
Hæcille. Reſp. 1. Senſus igitur Apoſtoli erit: ,
qu s te diſcrevit in electione æterna? Quid coactius? An ſyllabam habet *Apoſtolus* de prædeſtinatione? An *Corinthiis* prætumidis in mentem venit ſe ab æterno ſeſe prædeſtinaſſe? Erubuiſtine *Ieſuita*, talia ſcripturiiſſe commenta? 2. Apoſtolus agit de donis & chariſmatis à Deo in homine formaliter receptis, non tangit quæſtionem illam, de cauſa cur Deus prædeſtinet & efficaciter vocet. Quid multis? Quæſtio eſt de actibus & donis in homine: Jeſuita ſomniat quæri de actibus Dei. 3. Si liberum arbitrium una cum Deo diſcrevit hunc ab illo reſpectu executionis decreti, quare dicit *Apoſtolus*, quare gloriaris? Imo licet in libero arbitrio formaliter *Petrum* à *Iuda* diſcernente gloriari.

4, Addit Jeſuita: ſi illa, [quis te diſcernit?] dicta eſſent, quia Deus per phyſicam prædeterminationem hunc movet ad actum ſupernaturalem & non alium, eadem ratione in quocunq; bono actu morali æq; dicendum eſſet ſolum Deum diſcernere operantẽ à non operante: item & in malis actibus, idem eſſet dicendũ. R. 1. Nihil hoc eſt abſurdi, imo & neceſ-

ſarium

ſarium eſt hunc velle, quoniam Deus ipſum ad volendum determinat, hunc non velle, etiam in actibus naturæ peccato ſubſtratis, quia Deus ipſum non determinat. Nam Deus flectit cor Regis, quocunq; vult; greſſus hominis, reſponſum linguæ, occiſio viatoris à ſecuri caſu, ut videtur, delapſa, egreſſus fortium ſunt à Deo abſolute iſta determinante. 2. At vero alio longe modo in actibus ſupernatuarlibus ſeparat operantem à non operante, quoniam hiſce actibus Deus & habitum ſupernatutalem & ſpecialem influxum gratiæ determinantis contribuit: in actibus vero naturæ aut in malis actibus tantum communem prædeterminationem potentiis in creatione inditis tribuit, ideoque nullo modo eſt par ſeparatio in his, & in illis. Nam ex ſpeciali gratia & beneplacito quo prædeſtinamnr ad gloriam, Deus in actibus ſupernaturalibus nos ſeparat ab aliis: at in actibus natutæ ex communi providentia fit ſeparatio, ideoque Jeſuita falſo ſupponit nos ſtatuere eandem prædeterminationem Phyſicam in actibus ſupernaturalibus & in naturalibus, quod non docemus. 3. Hoc abſurdum vere gravabit *Ieſuitam*, qui motionem congruam & non congruam in omnibus actibus liberis ſtatuit, præſertim quoniam Dei influxum phyſicum parem in omnibus, hoc eſt, collateralem & indifferentem & generalem ſtatuit.

Corv. contr. Moli c. 33. ſ. 46 25. p. 501.
Grevinch p 219.

4. Reſp. *Corvinus*, *Grevinchov*. *Marc. Antonius* de Dominis *Archiepiſcop. Spalatenſis* dicunt non agi hic de fide, aut de converſione (verba ſunt

Marc. Ant. de rep. eccl. l. 7. c. 11. nu. 121.

ſunt *Corvini*)ſed de talibus donis,ob quæ doctores inter ſe gloriabantur, puta linguarum, eloquentiæ, ſapientiæ, quæ ſimpliciter pendebant à purâ Dei donatione, & quod aliquis vel careat iſtis donis, vel ea parcius habeat, ad id nullum momentum adfert libertas voluntatis, cum contra in diſcretione fidelis ab infideli, iſta libertas momentum afferat. R. 1. *Auguſt. Chryſoſt. Cyprian. Concil. Aranſi. can.* 6. 3. *Concili. Melivita* temporibus *Honorii* & *Arcadii* in *Africa* habitum, ita expoſuerunt. 2. Non ſtamus hominum authoritate, verum quidem eſt κατ' ἄρσιν non agi ib. de converſione hominis, neque nos eo ſenſu textum urgemus, ſed *Apoſtolus* ex majore univerſali, [Quis te diſcernit? quid gloriaris?] infert concluſionem, non gloriandum in donis divinitus collatis, & univerſaliter verum vult, neminem ſe diſcernere, ne in donis gratiæ collatis. Hinc nos inferimus, multo minus gloriandum in nobis, de dono longè omnium excellentiſſimo & electorum proprio, nempe ſalutari ad Deum converſione in qua major laus, & gloria longe eminentior Deo debetur, quam in collatione donorum, quæ Deus reprobis etiam gratificari nonnunquam ſolet. 3. Ad hoc nullum momentum afferre libertatem humanam, quod careat, vel parcius habeat hæc dona, falſiſſimum eſt. Quod enim Apollos eloquentiâ & ſcripturarum peritiâ polleret, libertas ipſius in ſcripturarum lectione valebat,

bat. Alioqui fruſtra *Paulus Timotheum* hortaretur ad lectionem ſcripturarum. 1. *Tim* 4. 13. & *v.* 14. non vult illum negligere donum, quod ei per prophetiam conferebatur. 4. De illis donis vel tantum loqui Apoſtolum, vel de nullis aliis, nihil falſius, imo de omnibus donis apoſtolicis, quibus alli aliis antecellebant, & *Corinthiis* admirationi vanæ eſſent, ita ut alii *Paulum*, alii *Cepham*, alii *Apollinem* magiſtrum fidei ſuſpicerent, loquitur uti patet ex *cap.* 1. *v.* 13. 14. & *cap.* 2. *v.* 1, 2, 3. & *cap.* 3. *v.* 20. 21. 22. 23. & *cap.* 4. 1, 2, 3, 4. Et Apoſtolus omnem materiam gloriandi in libero donorum apoſtolicorum exercitio plane adimit, quando reqvirit ut ipſos habeant loco diſpenſatorum Dei, & fidelitatem requirit, in qua uſum libertatis eſſe nemo non videt, & Apoſtolos à multarum afflictionum nempe infamiæ, famis, ſitis, nuditatis perpeſſione *v.* 10. 11, 12. falſis apoſtolis anteponit. In his autem perpeſſionibus relucebat libertas gratiâ divinâ ipſos à falſis doctoribus ſeparante inſtructa. 5. Falſum etiam eſt ex *Arminiana* ſchola humanam libertatem nihil conferre ad hoc, ut qvis parcius iſta dona habeat. Qvis enim neget *Apoſtolis* ſegneſcentibus Deum ſapientiam, eloquentiam, donum prophetiarum vel diminuturum, vel prorſus ablaturum, ſicut ſervo deſidi & ignavo aufert talentum, & Deum dona iſta gnaviter laborantibus augere, ſiquidem *Paulus* per Dei gratiam diligentius reliquis omnibus laboravit 1. *Cor.* 15. 10.

5. Re-

5. Reſponſio honeſtior longe reliqvis eſt *M. Antonii* de Dominis *Archiepiſco. Spalatenſis*: in ordinariis hominibus (inquit) nihil eſt abſurdi, qvod ſalvati nihil plus debeant Deo, quam damnati. R. Hoc reliqvi coguntur admittere: hoc vero qvi ſcripſerit, equus an theologus dici mereatur, divinare mihi haud eſt in proclivi. Et tum, qui jam cruciatibus infernalibus ſunt adjudicati agno, qvi ipſos ex omnibus nationibus redemerit, gratias agere poſſunt, non minus quam qui ante thronum Dei ſtant. Hem theologiam damnatorum & novum canticum *Archiepiſc. Spalatenſ. de repub. eccleſ lib. 7. c. 11. num. 122.*

6. Reſp. Eſt *Corvini*. *exactam* (inquit) *rationem cauſarum diſparis iſtius eventus* (converſionis, & non-converſionis) *nobis eſſe incognitam fateor: in ſolo libero arbitrio eandem diverſitatem quærendam non eſſe ſimiliter agnoſco*. R. 1. Agnoſce igitur errorem Arminianum, exactam rationem electionis & reprobationis, non eſſe fidem hujus & infidelitatem illius. Atqui *Arminio* tuo hæc prædeſtinatio eſt fundamentum chriſtianiſmi (heu fragile fundamentum vel *Corvino* judice!) materies euangelii eſt, imo ipſum euangelium eſt. Atqui fluctuans & dubium eſt hoc *Corvino Arminianorum*, meo judicio, facile doctiſſimo, euangelium. Atqvi ſemper rationem ante hac ex parte Dei, à juſtitia Dei convertente volentem, non convertente obicem ponentem, & ex parte noſtri ab humano arbitrio accerſendam conſultiſſimum duxerunt Arminiani: nunc vero *Contr. Molin. c. 45. ſ. 13.* *Armin. in declarat. ſentent. ſuæ p. 119 edit. Bert.*

hæc

hæc ratio non eſt exacta: quam anceps & pendula fides *Arminianorum* eſt? 2. Ratio cur ex duobus pari gratia præveniente inſtructis hic convertatnr, ille non, non eſt in ſolo libero arbitrio: ergo vel id in libero arbitrio & in Deo ſimul, vel in ſolo Deo. Si in Deo, tum quoniam non converſio activa *Iudæ* eſt peccatum, qværenda erit ratio & cauſa peccati aliquo modo in Deo, hoc non ferent *Arminiani*, & ſi ratio ullo modo ſit alibi quam in ſolo libero arbitrio, num in fortunâ? num in fato? num in conſtellatione? Abſurda, bone Deus, omnia. Si in Deo, vel in juſtitiâ. At hoc dici non poteſt: ſic enim cauſa ex parte hominis eſſet in ſolo libero arbitrio, quod negat *Corvinus*. Non in Dei miſericordia, aut in bonitate. Quæ enim bonitas; quæ miſericordia, aut bonitas, quæ miſericordia, quod *Iudas* non convertatur? Si in Dei libertate, cur cauſam diſparis iſtius eventus incognitam eſſe velis? At fare quæſo, an non cognita ſatis hæc cauſa? Miſeror quorum volo miſereri. Convictus eſt, & non audet ſe convictum fateri, nobiſcum ſentit, ſed erubeſcit.

Grevinch. P.211. p. 329.

7. Reſp. Duo hic *Grevinchovius* dicit 1. Nihil hic eſſe, in qvo arbitrium gloriari poſſet. Duo enim ſunt in arbitrio. 1. Quod effective ſuum actum producat. 2. Qvod ſe ad actus determinet, & utrumque eſt a Deo. 3. Dicit vocationem eſſe converſionis fontem & fidei noſtræ, & hanc eſſe a ſolo Deo:

Deo: actualem vero applicationem remiſſionis peccatorum ad *Petrum* potius quam ad *Iudam* eſſe converſionis conſummationem. Reſp. Quod voluntas effective actum producat, quod ſe ad actum determinet, vult eſſe à Deo; at quomodo? à Deo ut creatore; mi bone vir. Atqui hoc dixit *Pelagius*, qui naturam & gratiam confundebat: at ſic τὸ velle erit à Deo, ſicut τὸ currere in equo, & moveri ad centrum in lapide. Hæccine tua gratia? Si vis à Deo eſſe, quod voluntas ſe ad opus determinet, conſcientia tua hoc dictitat eſſe falſum. Quid eſt determinare? nonne eſt removere indifferentiam ad nolle & velle? atqui vis Deum ſemper relinquere voluntatem ſuæ indifferentiæ: alioqui everteret libertatem, ſi tolleret indifferentiam. At vis hoc, Deum efficere ut ipſa voluntas tollat indifferentiam? atqui dico voluntatem tollere indifferentiam ad nolle vel velle, eſſe voluntatem velle & non nolle, vel nolle & non velle. Sed ſi Deus non efficit velle, niſi hoc modo, quoniam efficit ut voluntas poſſit nolle vel velle, ſic Deus diceretur tollere indifferentiam, quoniam non tollit, ſed voluntatem indifferentiæ relinquit. 2. Converſio ut eſt actus ſupernaturalis in nobis, (quo ſenſu jam de eâ diſputamus) ex *Arminianis* eſt effectus divinæ vocationis, & cauſa converſionis comparativæ, *Petri* potius quam *Iudæ*, eſt merum arbitrium *Petri*, non Dei vocatio, non gratia præveniens, non cooperans. 3. Idem docuit *Pelagius*,

gius, principium converſionis eſſe à ſola gratia Dei, quoniam lex & divina eloquia ſunt à ſolo Deo. *Auguſt. de geſtis Pelag. l.* 1 *c* 11. Objicitur in tertio capitulo ſcripſiſſe Cœleſtium gratiam Dei & adjutorium non dari ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrina. *Grevinchov.* in vocatione per legem & euangelium ponit gratiam. *Auguſt. l. de grat.* Chriſti contra *Pelag.* & *Cœleſt. c.* 7. *Adjuvat enim nos* (inquit *Pelag.*) *Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœleſtis illuminat. Et ibid. c.* 41. *Ipſum vero auxilium, quo poſſibilitatem naturalem perhibet, adjuvari in lege conſtituit, atque doctrinâ, quam nobis fatetur ſpiritu ſancto revelari, propter quod adorandum eſſe concedit.*

17. Antequam vero ad alia loca vindicanda progrediar, hic oſtendam *Arminianos*, non minus quam *Pelagianos*, divinæ gratiæ inimicos haberi & poſſe, & debere. Docent enim actum fidei, & liberæ ad Deum converſionis eſſe actum liberum contingentem, reſiſtibilem, à ſuaſoria verbi actione productum. Ita loqvitur *Grevinchovius*: *Forma* (inquit) *fidei eſt aſſenſus, & aſſenſus eſt à libera voluntate.* Ita *Corvinus*: *Nam ſicut* (inquit) *voluntas ſuâ naturâ eſt libera, ita fides eſt actus obedientialis, de cujus naturâ etiam eſt eſſe liberum.* Ideoque actus fidei & converſionis conſideratur vel ut ſupernatu-

Grevinch. pag 544. *Corv contr. Molina c.* 32 *ſ.* 27. *p* 530.

naturalis, vel ut liber. Priore modo, nempe ut eſt ſupernaturalis, non eſt actus liber obedientialis à Deo mandatus, laude vel præmio dignus. Nam illis, quod non eſt liberum, non eſt obedientia, non eſt laude vel vituperio dignum, non cadit ſub præceptum. Ideoque actus fidei, ut eſt liber, hoc eſt, ut eſt à puro arbitrio, ut à principio activo libero, eſt laude dignus, & tale quid, cui debeatur corona gloriæ, merces, & bravium. Et id quod Deum moveat ad eligendum hunc, non illum, *Petrum*, non *Iudam*, quid craſſius à *Pelagio*, à *Cœleſtio*, ab hæreticis gratiæ Dei inimiciſſimis docetur? Nam actus converſionis qua ſupernaturalis, nullo modo eſt à libero arbitrio, ac proinde nullo modo obedientia, neque ſupernaturalitas actus ullo modo eſt ab influxu arbitrii creati, ſed à Dei gratiæ influxu, & eſt qualitas poſterior & ſuperaddita actui, qua libero ſeu contingenti, & à Deo mandato. Itaque à libero arbitrio eſt, quod ſit aſſenſus & converſio, potius quam diſſenſus & non converſio, & à gratia quod aſſenſus ſit ſupranaturalis & gratioſus. Id quod *Grevinchovius* ita probat, id lex Dei immediatè jubet & vetat, quod eſt in poteſtate hominis facere, vel non facere. Sed bonitas & malitia actus non ſunt in poteſtate hominis, niſi ratione actus. Vult itaque actum proprie ſub præceptum cadere affirmativum vel negativum, non proprie gratioſitatem aut malitiam actus niſi ſecundario, ideoque actus qua actus liber eſt in noſtra poteſtate, non actus

Grevinch. p. 386.

qua ſupernaturalis. Hinc ſequitur omnem & totam converſionis noſtræ laudē deberi in ſolidum puro puto arbitrio humano, nullo vero modo Deo, quia aliquid in homine eſt laude dignum, quatenus eſt liberum. Atqui ſic converſio, quia eſt eſſentialiter actus liber, & obedientialis, erit ſic laude dignus, & aliquid eſt non laude dignum, quatenus eſt non liberum, ideoque converſio qua ſupernaturalis (quandoquidem ſic non eſt actus liber, ſed à principio non libero nempe Dei gratia agente, determinato, non indifferente) non eſt laude digna in nobis, ideoque hic homo in ſe, non in Deo gloriabitur.

18, Hinc videat lector, quam falsò aſſerat *Corvinus*, liberum arbitrium non ſimpliciter ſed gratia adjutum credere & ſeſe convertere, quoniam nec gratia præveniens, nec concomitans, aliquid contribuunt in actum converſionis, qua liberum, qua obedientialem, quâ laude dignum, quâ à Deo mandatum. Nam influxus gratiæ (uti illi docent) non terminatur in voluntatem, qua eſt principium activum. Sic enim Deus id mandaret, quod ipſe efficeret, quod *Arminiani* plane deridet in confeſſ. Si dicant moralem, & ſuaſorium gratiæ influxum terminari in voluntatem, quam ſtupentem excitat; agnoſco & phraſin & ſtilum *Pelagianum*, quaſi vero is mihi ære alieno obruto debita perſolveret, quoniam ſuadet, ut ipſe perſolvam; is vinculis ferreis me conſtrictum expediret, & abſolveret qui ut memet expedirem, ſuaderet. Suadere eſſe adjuvare

Contr. Molin. c. 32. ſ. 27.

Remonſtr. in confeſſ. c. 17. th. 7.

juvare, vires addendo, quis ſanus vel in ſomniis fingeret? At vero influxus gratiæ prævenientis terminatur non in voluntatem, ſed in converſionem, & non in eam ſimpliciter, ſed in ipſius ſupernaturalitatem, id quod dicit *Grevinchovius. Ratio operandi* (libera) *eſt arbitrii: ratio autem ſic operandi eſt opus pietatis.* At vero nec gratia concomitans aliquid contribuit in actum liberum. Nam illud eſſe cauſativum, vel eſt effectivum, vel materiale, vel formale vel finale: alioqui non eſt cauſa. At vero ſi eſſe contribuat omnino, neceſſe eſt eſſe gratiæ, non eſſe liberum tribuat, quoniam gratia eſt cauſa agens ad modum naturæ, & cauſa non vitalis, ideoque non confert eſſe liberum formaliter. Nam formaliter eſſe liberum à cauſâ liberâ, electivâ, & vitali fluit. Si gratia concomitans effective tribuat eſſe liberum, neceſſe eſt effective determinet. Nam eſſe liberum effectivè tribuere, eſt efficere effective τὸ velle, & ſic removere indifferentiam ad τὸ velle & nolle. Atqui docent illi effectivè gratiã determinare voluntatem, eſſe libertatem evertere; at vero dicent gratiã efficientiâ partiali & collaterali voluntatem determinare, non totali & prævia. Sit ita efficientia hæc collateralis gratiæ: vel eſt prior voluntatis efficientia collaterali, vel ſimul, vel poſterior. Si prior, tum gratia motione præviâ determinabit voluntatem, quod illi negabunt. Si ſimul, nulla erit ratio cur voluntas velit, niſi gratia ſimul influxum contribuat, & ſi gratia non contribuat

Contra Ameſ p. 201. 202.

influxum, non-operatio non imputabitur voluntati humanæ. Ita enim illi arguunt contra noſtram phyſicam prædeterminationem, & ſi ſimul gratia contribuat influxum ſuum, neceſſitabitur voluntas ad ſuum ſimultaneum influxum accommodandum, alioqui daretur actio cauſæ primæ ſine actione ſecundæ, quod abſurdum eſt. Si vero influxus gratiæ concomitantis ſit poſterior influxu voluntatis, tum voluntas determinabit gratiam cooperantem, & gratia cooperans non determinabit voluntatem. Determinans enim in ſuo actu determinandi, non poteſt eſſe poſterior determinato, ſed prior.

Corv contr. Molin. c. 32. ſ. 27 p. 530. 19. At ſcio quid hic *Corvinus* reſpondeat: vult gratiam & liberum arbitrium eſſe cauſas partiales operis boni, non partialitate effectus, quaſi una pars effectus ſit à gratia, altera à libero arbitrio, ſed partialitate cauſæ, ita ut totus effectus ſimul ſit à gratia & libero arbitrio. Ita ille exponit *Grevinchovium*, ſed potius depravat. Nam *Grevinchovius* intelligit partialitatem effectus: ait enim rationem operandi eſſe arbitrii, & ſic operandi, pietatis: quid clarius? *Pag. 201.* 2. Secundum *Arminianam* fidem non poſſunt commiſceri libertas & gratia partialitate cauſæ, quoniam libertas eſt cauſa libera, indifferens, electiva, at gratia cauſa determinata ad unum effectum producendum. Et hæ cauſæ illis diſtinguuntur ut contingens & neceſſarium, quæ *Arminio* infinitâ oppoſitione & contradictoriè diſtant, & *Armin. reſp. ad art. 31. art. 5. p. 140.* quæ-

quoniam dividunt totam entis amplitudinem, non poſſunt hæ inter ſe junctæ unum effectum contingentem producere, cujuſmodi eſt converſio, quoniam tum effectus erit partim neceſſarius, partim contingens, quod novæ metaphyſicæ *Magni Arminii* grave ἀτόπημα erit. Utinam mihi hic ſeſe expedi-
20. Neque eſt à gratiâ Dei, quod ſit in ho-
rent.
mine converſio, potius quam non-converſio. *Nam ut actus voluntatis* (inquit *Armin.*) *hanc potius habeat eſſentiam, quam illam, ſeu potius ſit actus hic, quam alius ut potius actus vetitus, quam non vetitus* (hoc eſt potius ſit converſio, quam non-converſio, vel contra) *potius contra hoc, quam contra illud præceptum, pendet à libertate voluntatis quoad ſpeciem actus,* ideoque quod hic convertatur, ille non, eſt à voluntate pura, qua converſus ſe à non converſo diſcernit. Non tamen verecundatur *Corvinus* *loc. citat.* totam actuoſitatem in ſpiritualibus gratiæ tribuere: quo quid contradicentius *Arminio*? Neque etiam uſus gratiæ dici poteſt eſſe à gratia. Ita enim *Gervinchov. auxilium efficax ordine* p.213. 214 *cauſalitatis non antecedit efficientiam voluntatis, eoque nec prius in voluntatem agit, quam influit in actum ſeu actionem voluntatis, ſed una cum voluntate* (gratia præveniente jam excitatâ) *efficit actum.* Hinc probo uſum gratiæ non eſſe principaliter à gratia, ſed principaliter à libero arbitrio, contra quod ait *Corvinus*: uſus gratiæ eſt actualis gratiæ ad actum applicatio: atqui

Corv. contr. Molin. c. 32. ſ 27.

Quid uſus gratiæ.

non gratia, ſed liberum arbitrium gratiam actu applicat ad actum. Ergo uſus gratiæ eſt principaliter à libero arbitrio, non à gratia. Major eſt clara ex definitione uſus gratiæ. Prob. min. Nec gratia præveniens, nec cooperans applicat gratiam ad opus. Ergo ſolum liberum arbitrium id præſtat. Prob. antecedens: gratia præveniens, quia eſt potentia quædam, indiget alia gratia actuante ſe. Ergo ea non poteſt gratiam ad opus applicare. Nulla enim potentia qua talis ſeſe actuat: ſic enim ſeipſa præſtantior eſſet, nam omne actuans, actuabili eſt præſtantius. Nec gratia cooperans gratiam ad opus applicat, quoniam ſi gratia cooperans non applicat voluntatem ad actum gratioſum, nec ordine cauſalitatis antecedit efficientiam voluntatis, non poteſt gratiam applicare ad opus. Sed prius eſt verum. Ergo & poſterius. Honeſtior hac in parte eſt *Tylenus* reliquis *Arminianis*, qui fatetur rotundè voluntatem uti gratiâ, ideoque gratiam confert gladio, quem miles ignavus rubigine conſumi, & in vagina hebeſcere ſinit; ſtrenuus vero miles utitur ad pugnam. Ita *Molina* Jeſuita: A *propria* (inquit) *induſtriâ, conatuve majore vel minore liberi arbitrii provenit, quod quiſque plus aut minus lucretur ex talentis ſibi datis.* Atqui *Corvinum* & *Arminianos* à doctrina *Ieſuitarum* (ſi vocationem congruam excipies) nec volam, nec veſtigium recedere hac in parte nemini non liqvet. Imo utrique cum *Fauſto* & *Caſſiano* eandem viam tenent,

Tylen. collat. cum Camero. p. 223. ſ. 3.

Molin de concord. q. 14. ar. 13 diſp. 32.

nent. Ita *Fauſtus: Ego arbitror quod libertas arbitrii ſibi ſola ſufficere abſque præſidio gratiæ non poſſet.* Ita & *Caſſianus*, ut ait *Proſper: Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciant, manet in homine liberum ſemper arbitrium, quo gratiam Dei poſſit, vel negligere vel amare*, inquit *Caſſianus*, *& lib.* 13. *c.* 13. *Nonnunquam* (inquit) *gratia Dei ab homine quoſdam conatus bonæ voluntatis vel exigit, vel exſpectat, ne penitus dormienti aut inerti otio diſſoluto, ſua dona conferre videatur.* Eodem plane modo loquitur *Ieſuita Suarez ſtylo Caſſiani: Conſtat* (inquit) *poſt vocationem exſpectare Deum ut homo aperiat & conſentiat.* Et eodem ſtylo utitur *Arminius: Sed ſi* (inquit) *in exſpectatione non tantum illam cognitionem, verum & ſummum deſiderium conſideremus, quo, cui exſpectatio tribuitur, fructuum productionem poſtulat, iſto reſpectu Deo propriiſſime exſpectatio tribuetur.*

Fauſt. lib. 1 *de lib. arb. cap.* 1. *Proſp. cont. collat.* 1, *c.* 12. *Suarez in opuſc. in brev. reſo. de grat. efficac. ſect.* 29. *Armin Antiper p.* 772.

21. Imo in tota hac diſputatione de efficacia gratiæ nihil aliud jam quæritur, quam olim quæſitum eſt inter *Auguſtinum* & *Pelagianos. Ita Proſper con. collat. Magna quæſtio, utrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus, an quia Deus miſeretur, conſequamur bonæ voluntatis initium.* Ita *Proſper*, ita *Hilarius* contendebant cum *Maſſilienſibus* & *Auguſtin. Inter nos agitur, utrum præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem, hoc eſt, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipſum Deus hoc efficiat, ut velimus.* Et *hypogoſt.* 3. *In omni itaque opere*

l. 13. *c.* 11. *Auguſt. epiſt.* 107 *ad Vital.*

ſancto prior eſt voluntas Dei, poſterior liberi arbitrii: id eſt, operatur Deus, cooperatur homo. Quod ſi dicis, ut dicere conſueviſti: quia ego prior volui, Deus voluit, jam meritum facis, ut gratia ex operibus jam non ſit gratia, ſed merces. Et *Auguſt. Si convertuntur homines, quia Deus per gratiam efficit in iis poſſe & velle, nonne homines boni ſunt* (inquit *Iulianus*) *fatali neceſſitate? Nonne hoc idem eſt, quod ait Corvinus? Deus non jungit influxum ſuum, niſi ubi cauſa ſecunda eſt in ipſo momento & inſtanti influxionis, adeoque non influit niſi creatura volente influere.* Hoc eſt *Caſſiani* meritum: Deus nos convertit & miſeretur, ſi nos volumus. *Ita Grevinchovius: Auxilium efficax ordine cauſalitatis efficientiam voluntatis non antecedit &c.*

Aug. contr Iulian. l. 4. c. 8.

Corv. contr. Moli. c. 3. ſ. 15. p. 36.

Pag. 244.

22. Pergo ad alia, *Phil.* 1. 19. *Vobis datum eſt pro Chriſto non ſolum in ipſum credere, ſed etiam pro ipſo pati. Phil. c.* 2. *v.* 13. *Deus enim efficit in vobis, velle & perficere pro ſuo beneplacito.* Hinc qui dat credere, & efficit ipſum τὸ velle, is per gratiam prædeterminat voluntatem ad credendum, patiendum, volendum, perficiendum, & efficacia gratiæ in Deum volentem & determinantem reducetur, & non in liberum arbitrium.

Reſp 1. *Corvin. Deum dare ut credamus*, quia dat credendi potentiam, & quoniam auxilio ſupernaturali concurrit ad actum credendi. Et Remonſtrantes: Deum & morali & Phyſico influxu concurrere: & Collat. Hag. Quamvis tollatur actualis reſiſtentia, manere potentiam reſiſtendi; & ſic volunt Deum ef-

Corv. contr. Bogerman. p. 1. c. 9. p. 249.

Remonſtr. ſcript. ſynod. art. 4. p 15, & Collat. Hag. p. 279.

um efficere in nobis τὸ velle. Reſpond. 1. Quamvis det potentiam volendi, & concurſu collaterali & indifferente concurrat ad actum, non magis hoc pacto dat credere & efficit velle, quam dat non credere & efficit non velle. 2. Hoc pacto dat, ex hypotheſi, quod nos velimus, hoc eſt poſtquam nos effecerimus in nobis velle, ipſe efficit velle. An is eſt cauſa τοῦ εἶναι, qui poſtquam res habet eſſe, dat eſſe? myſterium mirum. 3. Si Deus removeat τὸ actu reſiſtere, finita eſt diſputatio. Potentiam nolendi manere in iis, in quibus Deus efficit velle, ultro concedunt, at minus candidè. Nam volunt tolli actu reſiſtere convenienter naturæ libertatis, hoc eſt, ut maneat indifferentia, & ſic non magis tollitur actu reſiſtere, quam actu non reſiſtere. 4. Si efficit velle & perficere, quoniam efficit potentiam volendi, & actu efficit, ſi nos velimus, efficit tum Deus in nobis velle & perficere, non pro ſuo beneplacito, ſed pro hominis beneplacito, quod docuit *Caſſianus* & *Maſſilienſes*. 2. Reſp. *Suarez* ait. [*Deum operari ut velimus*,] nihil aliud eſſe, quam operari in nobis aliquid, quo diſponamur vel inclinemur ad volendum, & eo animo & intentione ut velimus. Reſp. Illa diſpoſitione vel fit, ut indeclinabiliter velimus, & habemus inſtitutum ſic; vel declinabiliter, & ſic non magis efficit τὸ velle, quam τὸ non velle. Nam intentio Dei cum ſit actus pure immanens, non ponit in nobis velle, vel non velle actu tranſiente. Si vero

Suar. de auxil de grat. l. 3. c. 5. ſ. 6.

vero velit Deum, congruâ motione efficere in nobis velle, quia nempe præſcit quod ex hac non ex illâ motione, tali modo adminiſtratâ, ſequatur velle, ſcilicet poſtquam nos voluimus, & ille præſcit ſcientiâ mediâ nos volituros, tum efficit velle. Fabula Jeſuitis certe digniſſima.

Remonſt. apolo. c. 17. p. 167. 3. Remonſt. Reſp. 1. *Non agitur hic* (inquiunt) *de ea efficacia qua Deus in nobis operatur fidem in mente & voluntate, ſed de efficacia, qua Deus utitur in nobis, qui jam credimus.* Dicitur enim ὁ ἐνεργῶν: non autem ὁ ἐνεργήσας. Reſp. 1. At quæ eſt illa efficacia, qua utitur in credentibus? An non velle, perficere, credere, perſeverare, operari ſalutem cum tremore? qui ſunt actus liberi ejuſdem plane naturæ cum primo actu libero converſionis noſtræ. Utrobique enim manet libertas naturæ, ac proinde utrobique Deus efficit velle. 2. Non agit de ea efficacia quâ Deus operatur fidem. Miſera eſt conjectura ex voce, ἐνεργῶν, quaſi nulli eſſent, qui convertendi forent inter *Philippenſes.* Audax ſomnium. 2. R. ib. *Non dicit: Deus efficit ut bene & recte velitis, ſed ut velitis, ſupponit jam eſſe bonam voluntatem, quia jam fideles erant: ſed dicit Deum, ne illa bona voluntas langueat, & quaſi jaceat, excitare, accendere, inflammare illam à parte ſua, ut eam, quantum in ſe eſt, in perpetuo vigore retineat.* *2. Reſp. Remonſtr.* Reſp. 1. Deus efficit velle indeclinabiliter: ergo & bene & recte velle. Eſt n. par utrobique ratio. 2. Quia jam fideles erant, ſupponere volunt in Philippenſibus

ſibùs bonam voluntatem. Atqui volunt illi hortationem ad omnes & ſingulos dirigi. At an omnes & ſinguli erant fideles? At inter ipſos fuiſſe canes & malos operarios liquet *cap.* 3. 2. *& quorum venter eſſet Deus v.* 19. Ideoque ſomnia hic venditant. 2. Si Deus voluntatem, ne langueat, accendat, an non hoc eſt bene velle efficere & continuare? at negant Deum bene velle, efficere. 3. Deum, quantum in ſe eſt, voluntatem inflammare dicunt ſuaſionibus procul dubio, quibus poſſe velle inflammatur. At plus dicitur à *Paulo*, Deum ipſum velle & perficere, efficere: ipſorum gloſſa textu eſt longe jejunior. 3. Reſp. *Non exprimi volunt modum* 3. *Reſp. Remonſtr.*
quo Deus efficiat velle. Qui enim ſuadet, dicitur velle efficere, & Apoſtoli eos, quibus euangelium annunciant, gignere, regenerare, aperire oculos eorum, convertere &c. & Diabolus ἐνεργεῖν in filiis contumaciæ *Eph.* 2. 2. & euangelium ἐνεργεῖν 1. *Theſſ.* 2. 3. R. 1. Quando Deus dicitur efficere velle pro ſuo beneplacito, ſatis exprimitur modus. Si enim efficit, ita ut ſequatur non velle tum Deus pro ſuo beneplacito, efficit male velle. At nunquam ſic loquitur ſcriptura. 2. Apoſtoli, ut Dei inſtrumenta, indeclinabiliter regenerant, & ſic etiam euangelium, imo ſic Diabolus ut inſtrumentum divinæ juſtitiæ in filiiis contumaciæ; Deus enim non punit contumaces declinabiliter. 3. Solenne eſt *Arminianis*, non fortiorem aut validiorem actionem Deum, per ſpecialem gratiam operanti, tribuere, quam hominibus ſuadentibus, aut Diabolo ten-

lo tentanti. Sic audacter produnt quam minus honorificè ſentiant, de Dei gratiæ operatione.

4. Reſp. Remonſt. 4. Reſp. *Quid ineptius Operamini ſalutem veſtram cum tremore, & ſtatim rationem hanc ſubjicere? Quia Deus in vobis, ut operemini ſalutem veſtram cum timore ac tremore, efficit, eâ efficaciâ qua fieri non poteſt, quin operemini ſalutem veſtram cum timore ac tremore.* R. Ineptum hoc videtur lance humanæ prudentiæ ponderanti Dei ſapientiam. Nam quia fides noſtra languet, ne in tentationibus Deus nos deſerat, opus eſt, confirmetur fides in curſu obedientiæ ſpe, & promiſſione divinæ virtutis & omnipotentiæ, qua ſuos invicte fulcit, & corroborat, ne deficiant: & quoniam nos ſumus hic agentia ethica, non mediocri ſolatio eſt, quod Deus invictâ potentiâ, id in nobis efficiat, quod ex fidei infirmitate, ne minus fiat, ſubinde metuimus. Sic *Eſai. c.* 38. 21 Idem & par plane eſt mandatum, *Ezechiæ applicetur palatha ficuum ulceri*, & tamen promiſerat Deus, ſe eâ efficaciâ curaturum regis morbum, quâ non poterat non ad quindecim annos vitam ulterius prorogare. *Chriſtus* non poterat non ponere animam pro ovibus ſuis, & tamen mandatum ponendi animam à Patre recepit, *Ioh.* 10. 10. Omnipotentia invicta promiſerat Deus ſe expulſurum *Chananæos*, & ita quidem ut non potuerint non expelli. *Deut.* 3. 26, 27, 28. Et tamen Deus hortatur *Ioſhuam*, ut ſit forti & bono animo *Ioſh.* 1. 5, 6. ut ad pugnam ſe accingat. Deus omnipotentia ſua efficit, ut terra fruges producat

ducat, & tamen jubet agricolam, aret, fodiat, metat. *Gen.* 49. *Iacob* vaticinatur de diviſione ſanctæ terræ in tribus, & quam partem Deus unicuique daturum ſe decreverat, ipſe prædicit, & tamen Deus per *Moſem* præceperat ut ſorte divideretur *Ioſh.* 14.2. Vaticinium illud eventum ſortitutum erat indeclinabiliter, & tamen ſortilegium reſpectu cauſæ ſecundæ plane contingens erat. Sic *Iob.* 14. 5. *Dies vitæ cujuſlibet, & limites menſium ita fixi & determinati ſunt, ut ipſos tranſgredi non poſſit*, & tamen preces, & medicina pro longævitate tali determinationi optime ſubordinantur. Petunt itaqve principium, nempe medium contingens non poſſe Dei actioni & intentioni irreſiſtibili ſubordinari, quod eſt falſiſſimum. 2. Ipſos operari ſalutem cum timore neceſſe fuit, quoniam niſi hoc facerent, fruſtra confiderent & ſperarent fore, ut Deus in ipſis velle & perficere effecturus eſſet. Non enim Deus velle & perficere in nobis efficit, ut in truncis & ſtipitibus mere paſſive nos habentibus, ſed efficit Deus efficaciter velle & perficere in nobis volentibus, & per Dei gratiam efficacem perficientibus. At vero ridicula eſſet hortatio, ſi nos nihil ageremus, ut ſupponunt ſophiſtæ. Deus enim ſic vel nobis dormientibus & ſopitis velle & perficere efficeret indeclinabiliter, quod abſurdum: & ſic ſtipites hortaretur, cum ipſe totum faceret irreſiſtibiliter. At Deum hortari ut nos, quod noſtri eſt officii, faceremus

amus libere, quando ipſe nos liberimè agentes efficaciter determinet, non tantum non eſt abſurdum, ſed ita neceſſarium, ut Deo alioquin laus & gloria operum ſupernaturalium minime conſtaret. 5. Reſp. *Deum in ipſis per prædeterminantem gratiam efficere iſtam ipſam ſolicitudinem & curam operandi ſalutem, ad quam eos hortabatur, eſt abſurdum.* R. Ipſos per liberum arbitrium efficere ſolicitudinem illam citra gratiam determinantem, ignominioſum eſt Dei gratiæ. Nam ſic exigi curam & ſolicitudinem per talem gratiam falſum eſt, & ad hoc millies à noſtris reſponſum. Quæro enim an Deus decreverit ut ſancti eſſemus, & an abſolutè, an conditionatè? ſi conditionatè, quando conditionem dederint *Arminiani*, cupio ſcire: hactenus nunquam dederunt: ſi abſolutè, tum ſolicitudo non pugnat cum invicto decreto, & per eandem rationem nec cum gratiæ efficacia irreſiſtibili. 6. Reſp. *Hortatio eſt ad omnes Philippenſes: atqui non omnes eâ efficaciâ ſunt donati. Multi enim multa per contentionem & inanem gloriam agebant c. 3. 18.* Reſp. 1. Contradicunt ſibi: hic volunt multos contentionis & inanis gloriæ ſtudioſos eſſe: ſupra dixerunt, omnes eſſe fideles, & Apoſtolum ſupponere bonam voluntatem in iis omnibus, in quibus Deus efficit velle & operari. Atqui hic Deum in omnibus citra exceptionem volunt efficere, velle, & perficere. 2. Hortatio latius patet illo (Deus efficit in vobis velle & perfice-

In Apolog. ibid.

Apol. fol. 168.

ficere) Nam in eadem epiſtola & in eadem prophetia, ſermonem accommodari ad populum, interdum reſpectu fidelium, interdum reſpectu infidelium, norunt omnes in Dei verbo eſſe vulgatiſſimum. 3. Ut nobis opponerent, debebant probaſſe ipſos illos numero homines in iiſdem actibus, in quibus Deus velle & perficere, quantum eſt à parte ſua effecit, multa tamen feciſſe per contentionem & inanem gloriam: ſed hoc non probant. At vero Deum efficere in *Philippenſibus* velle & perficere reſpectu credentium & electorum, & non efficere velle, & perficere in aliis, qui inani gloriæ dediti eſſent, quis neget? aut quid hoc ad theſeos oppugnationem? Alia loca alibi fortè, cum bono Deo, vindicaturus, hic ſiſto.

23. Iam rationibus hic evinco efficaciam & prædeterminationem gratiæ divinæ. 1. Si non Deus efficaciter prædeterminet voluntatem, fruſtraneæ & falſæ poſſunt omnes promiſſiones eſſe, à Deo Patre filio factæ, quod nempe ſit viſurus ſemen *Eſai.* 53. 10 quod populus ab aquilone, & occidente, ab inſulis. *Eſai.* 49. *v.* 1. 12. ad ipſum acceſſuri ſint, quod hereditario jure gentes & fines terræ, adeoque nos penitus toto diviſos orbe *Britannos*, poſſeſſurus ſit. *Pſ.* 2. 8. quod dominium ipſius futurum ſit a mari ad mare, à fluvio uſque ad fines terræ, quod deſerti incolæ ipſi ſint inſerrvituri. *Pſ.* 72. 8, 9, 10, quod ad eum accurſurus ſit populus voluntarius. *Pſ.* 100. 3.

 quod

quod ipſius diebus ſalvandus ſit *Iudah*, & *Iſraël* *Ier.* 23. 5, 6. quod unum paſtorem *Davidem* gregi ſuo præfecturus ſit, qui ipſos paſceret. *Ezech.* 34. 23. Quid? an omnes hæ promiſſiones falſæ erunt, niſi homines ſeſe determinarunt ad præſtandum liberum Deo cultum? an Dei fœdus cum filio (quod *Arminio* eſt inviolabile & juramento Dei ſancitum) irritum erit? Et Deus non verax, niſi hominis arbitrium efficacem reddiderit Dei promiſſionem? At ſic *Chriſtus*, quod ipſius eſſet in fœdere, nempe animam pro captivis ponere potuerit. Deus vero populum & ſemen non daret: & ſic *Chriſtus* mercede falli potuit. Quid hic *Arminiani*? Deum promittere populum voluntatium filio, non abſolutè, ſed ex præſcientiâ, quod præſciverit fore, ut populus liberè filio inſerviturus eſſet: ſcilicet ſi credere dignum, poſtquam populus inſervierit *Chriſto*, Deus ipſos inſervituros promittit. Næ illi lemas in oculis ſuis habent, qui ſibi talibus figmentis blandiuntur. At vero Chriſto promittitur hoc laborum ſuorum præmium, quod populus ei voluntarius obſequatur, quod ſemen illi miniſtraturum ſit.

Armin. orat. de ſacerdot. Chriſt. p. 16.

24. 2. *Rat.* Si efficacia gratiæ, quoad eventum à libero arbitrio penderet, tum ſalus erit volentis & currentis, non Dei miſerentis, neque Deus ſic miſerebitur, quorum vult. Reſpond. *Tilenus. Miſereor* (inquit) *quorum, nempe miſeriam agnoſcentium, miſereor, & quos volo induro, nempe qui indurationem commerentur, ex* con-

Tilen. collat. cum Cameron. par. 1. p. 13.

ex contemptu communioris gratiæ. Ita & *Corvinus.* Reſp. 1. Ita plane *Fauſtus:* miſerebor *cui voluero, id eſt quem juſtum eſſe cognovero, cujus promptam fidem videro, quem præceptis meis obedire perſpexero, quem meam facere voluntatem probavero.* 2. Nullo modo conſtabit hic Deo ſua miſerendi libertas. Nam ſi hic ſuum arbitrium ad credendum determinârit, tum neceſſitabitur Deus ex ordine juſtitiæ & veracitatis ſuæ, hujus potius, quam alterius miſereri. *Corv. contr. Molin c 15. ſ. 8. Fauſt. l. 1. c. 15.*

25. 3. Si Deus decernit gratiam in hiſce efficacem facere, in illis non item, tum ex Dei, non hominum libertate pependit Dei gratiæ efficacia. Sed prius eſt verum ex ſcripturis. *Epheſ.* 2. 10. *Ipſius conditura ſumus, creati ad bona opera, quæ præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* *Reſp. Arminiani* Deum non peremptoriè decernere, ut vel *Petrus* vel *Iudas* præciſe crederet, ſed tantum conditionate ex prærequiſitâ conditione, quod *Petrus* vellet. *Reſp.* 1. Redibit in infinitum quæſtio, ſi prærequiſita conditio ſit decreta à Deo, & an abſolutè an conditionatè: 2. Fatuum eſt hoc decretum, quo Deus decrevit, ut *Petrus* vellet credere, ſiquidem vellet credere. Nam hic velle credere, non minus eſt actus ſupernaturalis, quam ipſum credere. 3. Inſulſius longe eſt decretum, quo Deus decrevit, ut *Petrus* crederet, vel non, ſiquidem vellet, quando antecedenter ad tale decretum ſcientiâ mediâ Deus præſciverit *Petrum* crediturum *Ita Grevinc. p. 114. 115.*

finaliter, *Iudam finaliter* non crediturum.

26. 4. Tollitur uſus precum & gratiarum actionis pro converſione. *Quid ſtultius* (inquit *Auguſtin.*) *quam Deum orare ut facias, quod in poteſtate habeas?* Quorſum ego Apoſtolus agat Deo gratias propter fidem & charitatem *Theſſaconicenſium?* 2. *Theſſ. c.* 1. *v.* 3. Quid? non debet *Petrus* magis, quam *Iudas* ſuæ converſionis gloriam, & gratias Deo deferre?

Auguſt. de peccator. merit. & remiſſ. l. 2. *c.* 6.

27. 5. Tollitur plane providentia Dei. Nam nullum hic refulget Dei dominium, quo *Iacobum*, aut *Petrum*, potius quam *Eſavum*, & *Iudam* converteret. Si enim pendet efficacia eventus ex hoc, quod *Petrus* velit, & non-eventus, quod *Iudas* non velit, non poteſt vel per Dei providentiam & Dominium fieri, ut *Iudas* convertatur & ſalvetur, & *Petrus* non convertatur & damnetur. Mihi hic vel Ieſuita *Suarez* conſentit. *Nam juxta* (inquit) *illam* (*ſententiam*) *veluti ex accidente contingit reſpectu divinæ voluntatis, quod in uno gratia ſufficiens fiat efficax, & non in alio ſolum, quia alter non vult cooperari, & alius vult. Quod licet non poſſit dici caſu fieri reſpectu Dei, quia fit ex præſcientia, & ex generali voluntate, qua vult creaturam ſinere motus ſuos agere, tamen reſpectu divinæ voluntatis non poterit ea differentia illi peculialiter attribui, etiam quoad actualem efficaciam, quam habet gratia in eo qui convertitur.* Arrigite aures *Arminiani*: magnus ille Doctor *Suarez*, cui vos doctrinam veſtram inprimis debetis, ſententiam veſtam de efficacia gratiæ in Dei providentiam ignominio-

Suar. l. 3. *de auxil. c* 6. *ſ* 8. *p.* 117.

minioſam cenſoriâ virgulâ notat. Imo quoniam efficacia hæc ab eventu, quæ ab arbitrio humano pendet, futuritionem habuit antecedenter ad Dei ſcientiam mediam & decretum, dico Deum ne per omnipotentiam ſuam poſſe plures convertere, quam qui actu convertuntur, aut plures non convertere, quam qui actu non convertuntur. Hinc, 6. pugnat hæc efficacia cum Dei omnipotentia. 7. Cum Dei abſoluta libertate. 8. Cum Dei ſapientia ſimul & libertate. Non enim poteſt Deus alio ordine, modo, aut ſerius, ocius homines convertere quam convertuntur. Nam antecedenter ad Dei ſcientiam mediam & decretum ipſorum converſio, eo, quo fit, modo, ordine, loco, anno, die, hora, momento, futuritionem æternam habuit, & ſic Deus fato longe fataliſſimo ipſius voluntatem antegrediente conſtringitur. O miſera eccleſiæ fata! O tempora!

28 9. Perit tota fidei ratio, adeoque uſus miniſterii. Nemo enim in Deum confidat propter accretionem fidei, patientiæ, charitatis, ſi Deus non efficaciter voluntatem determinet ad hoſce actus. Si enim ipſa voluntas efficaciter diligit, credit, & Deo ſe patienter ſubmittit, homo in ſe potius, quam in Deo, imo nullo modo in Deo fidere poteſt, ſiquidem poſitis omnibus actionibus gratiæ validiſſimis, tam poteſt non credere, ſperare, diligere, quam credere, ſperare vel diligere. At dicunt hominem con-

fidere in Deo debere, quod nempe Deus præſtet, quod ipſius eſt; & ad omnes hos actus, paratum eſſe propenſumque Deum, præſtandos, niſi ipſe ſibi homo deerit. Nugæ vaniſſimæ: quid hoc eſt, niſi homo deerit? At an non credendum, Deum efficere per gratiam, ne homo ſibi ipſi deſit? egregia fides & ſpes; Deus efficiet ut homo in fidei, ſpei, & charitatis actibus perſeveret, ſiquidem ipſe perſeverârit. At ipſaeſt fidei & ſpei vacillatio, ne ego mihi deero: quomodo tum in Deo fiderem & in ipſius potentiſſima gratia, ne mihi deſim? An fidendum Deum adjuvare me, ne mihi deſim, ſi non ipſe mihi deero? Heu vana ſolatia, vana & ludicra ſpes! At hoc eſt myſterium, non eſſe fidendum mihi in Deo & ejus gratia, quâ ad finem perſeverem in data gratia. At contrarium habetur 1. *Cor.* 1. 8. *Philip.* 1. *v.* 6. *Iud. v.* 24.

29. 10. Evertit omnem ſolidam conſolationem & patientiam ſanctorum in illis malis, qvæ ipſis à cauſis liberis eveniunt, ſi à libero arbitrio ſit efficacia determinationis cauſæ liberæ. Fruſtra enim me Deo ſubmitterem ob odia, contumelias, & injurias, qvæ libere inferunt mihi homines, ſi Deus ipſorum voluntates influxu indifferente & collaterali moveat, ita ut tam poſſint homines ea mala non facere, quam facere; & Dei motio nihil momenti afferet ad actualem efficaciam in his malis.

30. 11.

30. 11. Pugnat cum Dei gratiæ naturâ & perfectione, ut ipſius influxus & efficientia actualis pendeat à libero hominis arbitrio, ut ſit, vel non ſit. Sic enim Deus miſeretur, & ſalvat ſecundum opera, quæ nos facimus, & hominum merita, non vero nos convertimur ſecundum divitem miſericordiam, & Dei gratuitam φιλανθρωπίαν, aut quia Deus gratioſe miſeretur, ſed quoniam nos volumus.

31. 12. Pugnat cum vera humilitate. Quis enim in Deum non ſuperbiret, pariter & in homines, qui credat ſe ita credere, & ſemet convertere, ut non Deo, ſed ſibi, ſed ſuo arbitriò imputandnm, quod actu convertatur, & ſeparetur à filiis hujus ſæculi & mancipiis Diaboli?

32. 13. Si omnis effectus dependet à Deo in fieri, qvoniam eſt ens, per eandem rationem omnis cauſa dependet à Deo in facere, quoniam τὸ facere in cauſa eſt æque ens à primo ente dependens, atque τὸ fieri in effectu. Atqui voluntatem ſeſe active determinare eſt ens, non minus quam ipſa volitio. Reſpondent *Molina*, *Fonſeca*, *Grevinchovius*. *Tilen*. Determinationem voluntaris eſſe ipſam volitionem & formalem voluntatis actum, ideoque proprie Deo non magis tribui poſſe, quam τὸ velle. Reſpondetur. primo τὸ velle quo ad fieri tribuitur Deo, tanquam cauſæ efficienti (inſanit enim, qvi Deum cauſam

Molin. de cõcord. q. 23. ar 4
Fonſec. Metaph. l 7 c.2. q 5. ſec. 13.
Grev. p. 291
Tilen. collat. cum Ioan. Camer. p. 89.

volitionis formalem aut vitaliter etiam efficientem velit.) Ergo τὸ velle quoad facere tribuitur Deo. Si enim (ut notat ſolidiſſime *Guilielmus Twiſſus*) efficientia paſſiva immediate dependet à Deo, cur non etiam efficientia activa. Nam facere eſt æque ens in categoria actionis, atque fieri in categoria paſſionis. 2 Determinatio æqvivoca, externa & effectiva Dei, non eſt idem actus cum volitione vitali, quod ſic probo. Determinatio Dei externa, & volitio differunt ut cauſa & effectus. Nam Deus determinatione externâ efficit in nobis τὸ velle: atqui volitionem efficere τὸ velle, eſt abſurdum. 2. Hi actus differunt terminis formalibus. Nam terminus formalis determinationis externæ, quam nos Deo tribuimus eſt voluntas in primo ſui influxus actu conſtituta: at vero terminus formalis in quem fertur determinatio formalis, ſive volitio eſt bonum eligibile, quod voluntas eligit. 3. Deus inflectit cor. hominis, quocunque vult hac determinatione, ut abſolutus dominus actuum liberorum: at ipſa voluntas non ſe ut abſoluta domina inflectit quocunque vult. Sic enim divinæ providentiæ non ſubjiceretur. E. 4. Determinationi opponitur indifferentia: at electioni non opponitur formaliter indifferentia, ſed nolitio, ſeu repudiatio.

14. Sic *Alvarez*, & alii Dominicani. Omnis cauſa principalis determinat inſtrumenta ſibi

ta ſibi ſubordinata ad ſuos actus: atqui omnes creaturæ, adeoque voluntas humana, inſtrumenta Dei ſunt. E. à Deo ad ſuos actus determinantur. Minor eſt ſcripturæ. *Eſai.* 10. *Aſſur* (inquit Deus) *baculus furoris mei & ſecuris in Dei manu. Ib.* dicitur, *Scio Gul. Twiſſum acute admodum* cenſere hoc argumentum *Alvarianum.* Ait enim non poſſe hoc concludi ex peculiari notione inſtrumenti, licet cauſis omnibus ſecundis accommodabili, quia inſtrumenta rationalia movent ſe ipſa, idque tanquam cauſæ principales: non ſic inſtrumenta paſſiva. At vero puto non neceſſe eſſe, ut *Alvarez* & alii rationem ducant ex communi natura inſtrumenti, ſed potius ex ratione talis inſtrumenti. Servus enim heri inſtrumentum eſt, ſed non neceſſe eſt herus determinet ſingulos actus ſervi forte operantis in villa ruſtica 20 milliaribus ab hero. At vero ſic argumentum concludit optime: Omnis cauſa ſubordinata ita Deo, ut quodlibet inſtrumentum paſſivum agenti libero, uti ſecuris fabro lignario, baculus moventi baculum, determinatur à Deo in ſua actione: atqui omnes creaturæ ſic ſubordinantur Deo, ex *Eſai.* 10. Ergo omnes creaturæ ſunt à Deo ad actus ſuos determinatæ. Ratio majoris eſt, quoniam inſtrumenta paſſiva vitæ & ſenſus expertia, motionem non habent cauſalem ullo modo, quoad τὸ facere ab agente libero independentem. Quid? an ſecuris à fabro non flexa

Twiſſ. vind. grat. contr. Armin. Antiperkinſ. l. 2. crim. 3. digreſſ. 7 ſ. 23. p. 10.

& non mota ſcinderet? Ratio vero minoris eſt, quia omnes creaturæ magis Deo in operando propter perfectionem prudentiæ divinæ ſubordinantur, quam quælibet creatura alii creaturæ: alioqui Deus non poſſet abſolute dominari omni actui creaturæ, quod abſurdum eſt.

15. Non poteſt neceſſitari prima cauſa, cum ſit agens liberum ad ſuum concurſum cauſæ ſecundæ contribuendum: Sic enim quilibet flagitioſus Deum ad actum peccandi neceſſitaret, & creatura determinaret influxum creatoris ad omnes actus cauſæ ſecundæ. Atqui cauſæ ſecundæ ſi primo movent, & ſe ad actus ſuos determinant, vel neceſſariò Deus concurreret ad omnes actus cauſæ ſecundæ, ita ut poſſim ego efficere Deum, qui omnia ſecundum conſilium ſuæ voluntatis agit. *Epheſ.* 1. 11. facere omnia, quæ ego, volo ad nutum meæ voluntatis, vel daretur actio cauſæ ſecundæ abſque actione cauſæ primæ.

16. Tandem Patres & Scholaſtici determinationem voluntatis humanæ & gratiæ ef-
Auguſt. de ficaciam Deo, non libertati tribuunt. *Au-*
grat. & lib. *guſt, Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille*
arb. c. 12. *facit, ut velimus, præbendo vires efficaciſſimas qui*
De corrup. *dixit, faciam ut ambuletis &c.* Et idem: *Tan-*
& grat. c, 12 *tum ſpiritu ſancto accenditur voluntas eorum* (qui convertuntur) *ut ideo poſſint, quia ſic volunt, &*
Enech. 103. *ita velint, quia Deus operatur ut velint.* Et idem *Orandus eſt Deus ut velit, nam ſi ille velit, ne-*
Quaſt. 2 ad Simpl. *ceſſe eſt eſſe.* Et idem: *Cum enim alius ſic, a-*

lius

lius ſic moveatur ad fidem, eademque res ſæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis dicat defuiſſe Deo modum vocandi, quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in quo Iacob juſtificatus eſt? Et idem: *Quid eſt, [Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me] niſi nullus eſt, qui audiat, & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit & didicit, venit ad me, profecto omnis qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit. Nam ſi audiviſſet & didiciſſet, veniret.* Et inferius: *Hæc gratia quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur ut cordis durities primitus auferatur.* Et ibid. *Cæteris vero juſtè non dat, quamvis ſi ipſos docere voluiſſet, procul dubio venirent & ipſi Non enim fallit aut fallitur qui ait: omnis qui audivit, & didicit à Patre venit ad me. Abſit ergo ut quiſquam non veniat, qui à Patre audivit & didicit* Idem: *Quamvis dicamus Dei donum eſſe obedientiam, tamen homines exhortamur ad eam ſed illis qui veritatis exhortationem obedienter audiunt, ipſum donum Dei datum eſt hoc obedienter obedire: illis autem, qui non ſic obediunt, non eſt datum. Et ibid. Nam ſi omnis qui didicit, venit, profecto qui non venit, non didicit, hoc dicendi modo, quo per ſpiritus gratiam, ita docet Deus, ut quod quiſque didicerit non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Et idem: *Vocatio illa alta atque ſecreta, ſic agit ſenſum ut accommodet aſſenſum* Videat qui volet *Auguſt. de præ-*

De prædeſt. ſanctor. c. 8.

De bono perſeverant. c. 14.

Epiſt. 107. de prædeſtinat. c. 16. & lib de cor. & grat. c. 11. & de bono perſeverant. c. 6. Concil. Aranſ. Hoc ſalubriter profitemur quod, in omni bono opere nos non incipimus, ſed Deus operatur in nobis velle. Nec loquuntur de actione Dei morali, ut patet ex textu, nec hæretici quos impugnabant, de hoc litem movebant. Synod. Dieſpolyta. c. 2. Victoria noſtra non ex libero arbitrio, ſed ex Dei gratia. Concil. Senonenſ. an. Dom. 1528. Deus prius natura influit in opus, quam liberum arbitrium. Bernard. de lib. arbitr. Deus author meriti voluntatem applicat operi; & opus voluntati. Hieronym. Certe (inquit) fulgor ille & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ſe videntes trahere poterat aſpectu. Si enim in Magnete lapide & Succinis hæc eſſe vis dicitur, ut annulos & ſtipulam & feſtucas ſibi copulet, quanto magis Dominus omnium creaturarum ad ſe trahere poterat, quos volebat? Hic fatetur Suarez gratiam excitantem prædeterminantem moraliter voluntatem: & quamvis Chryſoſtomus minus verſatus ſit in doctrina Pelagiana, tamen certum eſt eum agnoviſſe moralem prædeterminationem. Aquinas, Deus (inquit) non ſolum movet res ad operandum, quaſi applicando formas & virtutes ad operandum, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, ſed etiam dat formas creaturis agentibus. Et ib. art. 4. Proprium eſt Dei voluntatem movere ſufficienter, & efficaciter, imo interius efficaciter inclinando. Scotum, Bellarminum, Bonaventuram, Toletum, Picerium pro hac ſententia citat Guil. Tuiſſ. loco citat. Bannes ait, eos qui contra-

Marginal notes: 7. c. 23. — Concil Aranſ. — Concil. Dieſpol — Concil. Senon. — Bernard — Hieron in Matth. 9. — Suarez l. 3. de auxil. grat. c. 10. — ſ. Aquin. 1. 1. q. 105. in cap. — Bannes in 22. q. 10. art. 1. doc. 3.

trarium ſentiunt, declinare in hæreſin Pelagianam. *Eſtius* multis argumentis contendit efficaciam gratiæ à natura gratiæ, non à libero arbitrio pendere. *Did. Alvarez* ait eſſe doctrinam ſcripturæ, *Auguſtini*, *Thomæ*, & omnium Scholaſticorum. *Eſtius lib. 2. d 24. ſ. 14.* *Alvar de auxil div. grat. l. 3 c. 23.*

CAP. III.

Jeſuitarum & Arminianorum argumentis, contra gratiæ efficaciam prædeterminatricem occurritur.

CAuſa cur hic convertatur non ille, an ſit Dei libertas abſoluta, an vero juſtitia, quâ hunc peccatorem deſerat, illum volentem converti, non deſerat, ſed convertat, quæſtio palmaris hic nobis eſt cum *Arminianis*. Ita loquitur *Arminius*: *Quærat enim quis* (inquit) *cur Deus illum deſerat, illum aſſumat? Reſpondetur, quia vult. Cur autem velit, cauſa extra illum non eſt, at cur velle poſſet. Illa autem cauſa eſt peccatum, non efficiens actualem deſertionem, ſed promerens, & dignum faciens peccatorem deſertione certò deſerendum, ſi Deus ipſum pro merito punire vellet, quod velle ipſius libero arbitratui permittitur.* Et alibi ſic: *Obduratio & excæcatio denunciatur iis, qui Deo vocanti parere recuſarunt.* Hinc non-converſionis hujus potius, quam illius cauſa meritoria ſtatuitur peccatum ex parte hominis, ex parte vero Dei ſtatuitur non Dei abſoluta libertas, ſed juſtitia, ideoque ex noſtrâ ſententiâ ſi efficaca- *Armin. Anti-perkinſ.*

cacia gratiæ ab ipſa gratia non à libero arbitrio proveniat, Deus erit cauſa non-converſionis (uti declamitat *Arminius*) ſicut homo ruinæ ædium cauſa eſt, quibus nutitantibus, & in caſum inclinantibus, fulcra non ſupponit, aut ſuppoſita removet.

De geſtis Pelag. c. 11. Auguſt. ad Aurelium.

2. Sed obſervari velim ſimile objectum fuiſſe *Pelagio: hinc jam objiciuntur Pelagio alia Cœleſtii capitula capitulia. Si enim per gratiam omnia facimus quando vincimur à peccato, non nos vincimur, ſed Dei gratia quæ noluit nos adjuvare omnimodo & non potuit. Et iterum ait: ſi gratia Dei eſt, quando vincimus peccata, ergo ipſe eſt in culpa, quando à peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos non potuit, aut noluit.* R. 1. Ait *Arminius* cauſam, cur Deus velle poteſt peccatorem deſerere, qui converti non vult, eſſe peccatum. At vero peccatum vel eſt cauſa, cur Deus velle poteſt deſerere peccatorem, potentiâ abſolutâ vel potentiâ juſtitiæ reſtrictâ. Primum non dicet *Arminius*, nemo enim dicet peccatum eſſe cauſam, cur Deus abſolute aliquid velle poteſt. Nam abſolutæ Dei volitionis non eſt ulla extra Deum cauſa, & dato, quod non eſſet peccatum, abſolute Deus velle poteſt, quicquid abſolute vult Nec dici poteſt peccatum eſſe cauſam, cur Deus velit voluntate juſtitiæ reſtrictâ aliquem deſerere, quia ſic Deus omnes peccatores deſereret, Nemo enim convertitur à peccato, qui non fuerat peccator, & ſic Deus in juſtitiam ſuam delinqueret, ſi non omnes deſereret. At vide, erudite lector,

impo-

impoſturam *Arminii* lepidam. Vult peccatum eſſe cauſam cur Deus poſſet deſerere peccatorem, cauſam nempe meritoriam, non actu efficientem deſertionem, ſed ipſam promerentem, & certo promerentem certoque efficientem, ſi Deus ,eum pro merito punire vellet. At ſi peccator meretur ex ordine juſtitiæ deſertionem, quæritur cur Deus eum pro merito punire nolit, vel quia non eſt peccator, quod hypotheſin deſtruit, vel quia abſolute nollet. Si quia abſolute non vult deſerere peccatorem, tum non ex juſtitia vult Deus punire, ſed ex abſoluta voluntate, quod *Arminius* vociferabitur (ſat ſcio,) eſſe ἀθεόλογον. At forte dicet Deum nolle, pro merito, punire peccatorem hunc deſertione, quia pro eo punivit Chriſtum. Reſpondeo: dic eum etiam nolle punire illum deſertione, quia pro eo non punivit Chriſtum, & ſic Chriſtus pro eo, qui punitur deſertiones non eſt, mortuus, nec punitus, & Chriſtus ex *Arminio* pro omnibus & ſingulis eſt mortuus. At dicet Deum nolle punire hunc pro merito, quia eſt in Chriſto ut fidelis, velle punire illum deſertione, quia non eſt in Chriſto ut fidelis. Reſp. Tum Deum non poſſe abſoluta voluntate nunc non credentem punire deſertione, imo non erit juſtus niſi puniat non-credentem, nec erit juſtus, ſi vellet credentem in Chriſtum punire deſertione. 2. Vult peccatum non efficere actualem deſertionem, ſed commereri. Eſto, ſed vel indeclinabiliter ſequitur actualis deſer-

tio,

tio, peccatum, & ſic peſſime addit & inſulſe, [*ſi Deus peccatorem pro merito punire vellet.*] Quid ſi punire nollet Deus pro merito? Ergo erit peccator & non deſertus, ideoque converſus? at cum peccare in negotio converſionis ſit ponere obicem Deo convertenti, ſequetur eum converti, qui ponit obicem Deo convertenti, ideoque hominem reluctantem converti, vel declinabiliter, ſequitur actualis deſertio peccatum, & ſic fieri poteſt ut quis peccet, & reſiſtat Deo convertenti, & tamen non deſeratur, ideoq; convertatur, quod eſt abſurdum & *Arminæ* juſtitiæ repugnans. 3. Quod dicit *Arminius* obdurationem & excæcationem denunciari iis, qui Deo vocanti parere recuſant, patet ex *Arminii*, eo loci, ad *Perkinſium*, reponſione, per obdurationem intelligi actum juſtitiæ divinæ, quo non convertitur peccator, & ſic lepidè *Arminius* vult denunciari non converſionem ut pœnam iis, qui non convertuntur. At vero *Arminio* non-converſio non poteſt eſſe & pœna & peccatum. Hinc ſequitur, ut ſolidiſſime obſervavit doctiſſimus vir *Gul. Twiſſus*, quoniam Deo vocanti parere eſt credere & reſipiſcere, Deum denunciare ſe non daturum fidem & reſipiſcentam iis, qui non credunt & reſipiſcunt, quam inſulſa comminatio? ſi vos non credideritis, ego vobis interminor me non daturum vobis, ut credatis.

Twiſſ. vindic. grat. in Armin. Antiperk. l 1. p. ſect. 3. p. 145.

3. Diſtingui hic velim hæc quatuor. 1. Quod ſit, hic naturalis in homine infidelitas & contuma-

tumacia. 2. Non-curatio nativæ contumaciæ. 3. Voluntaria dilectio nativæ infidelitatis, unde fit ut actu quis reſiſtat Deo vocanti. 4. Fides quæ eſt actus ſupernaturalis. Naturalis infidelitas eſt à nobis, & originalem contumaciam docent plerique eſſe cauſam meritoriam non-converſionis, quod quia magnæ tum famæ, tum pariter eruditionis viris dicitur, damnare ſimpliciter non audeo. At vero ſi ſit cauſa meritoria non-converſionis, omnes homines merentur non-converſionem, & ſic Deus quoſdam non convertendo ageret contra demeritum. At vero demeritum proprie eſt malum, quod Deus ex juſtitiæ ordine non tantum poteſt (ut pote qui abſolute omnia poteſt, quæ contradictionem non involvunt) ſed & debet infligere. Unde hic cogentur dicere, Deum convertendo multos, agere contra id quod debet agere: quod abſurdum eſt, ideoque hic videtur eſſe ſenſus eorum, quod τὸ mereri hic ſit homines dignos eſſe non-converſione, ex hypotheſi divini beneplaciti, unde ſenſus eſt Deum jure poſſe nullos convertere, ſiquidem ita ei viſum fuiſſet, ideoque nullo modo eſt ex merito, quod quidam convertantur quidam non. Deus itaque hic non agit, qua juſtus (ſic enim nullos converteret) ſed qua agens ex abſoluto beneplacito. At vero *Arminius Antiperkinſ.* vult Deum non citra injuſtitiam poſſe negare alicui motionem efficacem vel generalem vel ſpecialem, ſi ſit gratiæ morigerus. Sic enim argumentor:

Arminius vel loquitur de gratia efficaci, vel de gratia ſufficiente. Sit igitur aliquis ſolicitus ad ſervandam gratiam datam. Deus enim tum non poteſt ſine injuſtitiâ ei negare gratiam efficacem, & ſic neceſſario ſolicitus erit in illo actu, & per eandem rationem non poteſt ei negare aliam motionem efficacem, & ſic neceſſario adhuc erit ſolicitus, & ſic vel nunquam negare poteſt Deus motionem efficacem, adeoque ſemel ſolicitus nunquam peccabit, quod abſurdum. Vel ſi neget Deus ſolicitò gratiam efficacem, erit injuſtus, & in promiſſis præſtandis fallax, quippe non dat omni ſolicito motionem efficacem. Si vero loquatur de gratia ſufficiente, dico tum Deum ſolicito inique & injuſte negare motionem efficacem, concedendo tantum ſufficientem, quam præſcit effectu cariturам, adeoque periclitatur juſtitia. Nam ratio poſtulat neceſſario, ut ſi Deus motionem ſuam hic ex ordine juſtitiæ contribuat, plus indulgeatur ſolicito, quam inerti & ignavo. Atqui certum eſt Deum interdum ignavo tribuere motionem efficacem, quippe alioqui ex ignavia nunquam reſipiſceret, imo nihil plus ulli ſtudioſo & ſolicito hic indulgebit, quam præfractis & obduratis. Nam obduratis & omnibus ignavis Deus non poteſt ex juſtitia negare motionem ſufficientem; ſive invigilent, ſive non. Alioqui actus peccaminoſus iis jure imputari non poſſet, fatentibus Ieſuitis & *Arminianis*. Si motioni efficaci dixerint reſiſti poſſe, contradicunt

dicunt ſibi ipſis. Nam motionis efficacis conceptu quidditativo includitur actuale obſequium illius, qui efficaciter movetur: alioqui motio illa eſſet ſufficiens, non efficax. 2. Non video, quo jure ex Ieſuitarum & *Arminianorum* placitis, Deus potuerit *Adamo* primum peccatum admittenti tribuiſſe motionem ſufficientem & inefficacem: negaſſe vero motionem efficacem: Si enim Deus negaverit motionem efficacem ex juſtitiâ & ex demerito *Adami*, eam negavit propter peccatum præcedens. At ſic urgebunt eos duo abſurda ineluctabilia, nempe. 1. Dari peccatum prius primo. 2. Importune ſemper recurſare idem dubium de illo præcedente peccato priore. Ac proinde cogentur nobiſcum dicere Deum non ex juſtitiæ debito, ſed ſecundum εὐδοκίαν in nobis efficere velle, & quia ſic eſt ei complacitum *Phil.* 1. 13. *Matth.* 11. 26. 3. Si dixerint ex juſtitiæ debito Deum deſeruiſſe *Adamum* ſe prius deſerentem, hoc videamus. Nam volunt Deum præſto eſſe & motionem ſuam in promptu obtuliſſe *Adamo*, ſi *Adamus* voluiſſet. At quid eſt hoc, ſi *Adamus* voluiſſet? Deus tum efficit velle in *Adamo* efficaciter, ſiquidem ipſe vellet: quam abſurdum? Deinde non poteſt Deus deſertione punire primum actum peccaminoſum, donec prius actu extiterit ille actus peccaminoſus. Nam ex juſtitiæ ordine prius eſt peccatum, quã pœna. Sed ſi in primo pecato non concur-

rebat Dei motio efficax, ſed tantum Deus paratus erat exhibere motionem efficacem, noluit vero actu exhibere, quia homo noluit illam motionem recipere, ſequitur ſimul natura eſſe pœnam cum ipſo actu peccaminoſo, adeoque pœnam non eſſe poſteriorem culpâ, prout poſtulat æquitas & ordo juſtitiæ: imo ſequitur ſimul *Adamum* peccare, & puniri à Deo. At ordo juſtitiæ poſtulat, ut pœna ſequatur tum peccatum, tum ſententiæ dictionem. Dicent forte prius naturâ extitiſſe non-influxum liberum *Adami*, negatione motionis divinæ, ideoque peccatum *Adami* deſerentis Deum prius eſt divinâ deſertione. Sed reſpondeo, non-influxum liberum *Adami*, in eo momento, in quo primum extitit non-motio Dei, non eſſe peccatum in eſſe completo. Si enim actus peccaminoſus *Adami* prius natura eſt Dei non-influxu, tum influxus Dei nullo modo eſt actus boni cauſa. Quis enim adeo eſt obtuſo ingenio, qui diceret cauſam eſſe natura poſteriorem effectu? 4. Certum eſt *Adamum* ad tempus Deo obediviſſe, & actus obedientiæ præſtitiſſe. Quo jure igitur Deus illos actus non potuit efficaci motione in poſterioribus actibus remunerari, juxta illud quod urget *Arminius* tanquam Dei æquitati conſonum? an ex juſtitiâ debuit Deus poſt quoſdam pios obedientiæ actus tribuiſſe *Adamo* motionem ſufficientem tantum? quem minime efficacem fore præſcivit. Hic cogentur dicere Deum ex abſoluta libertate, & non ex juſtitia ne-

tia negaſſe motionem ex præſcientia ſua efficacem propter nullum *Adami* meritum. Idem dicendum de lapſu angelorum, & ad noſtrum inſtitutum, eodem modo philoſophandum eſt de non-converſione hominis, qui probus, pius, & humilis fuit ſemper uſque ad actum non-converſionis. Quo enim jure Deus humili & probo neget motionem efficacem propter non activam converſionem liberam, quæ nondum eſt in actu completo? Deus enim non punit peccatum nondum plene exiſtens, & quare actus pios humilitatis & præviæ probitatis non remuneratur motione efficaci ſecundum præſcientiam? 5. Sed non video adhuc cauſam meritoriam non-converſionis *Judæ*, potius quam *Petri*, nec quomódo contumax poſitio obicis in *Juda* ſit talis cauſa. Nam poſitio contumax impedimenti eſt non converſio activa *Judæ* contumax, & ſic cauſa meritoria non-converſionis *Judæ* erit non converſio. Quid? An idem erit ſui ipſius cauſa? *Alvarez* hic dicit: *quia homo non vult uti gratia excitante vel ſufficiente, ideo non convertitur.* Ideoque non converſionem privativam ſeu peccaminoſam rejicit in voluntatem hominis, qui non vult uti gratia excitante. Atqui uti gratia excitante eſt Deo excitanti moraliter hominem ad converſionem parere, adeoque credere & ſeſe convertere, ideoque cauſa cur homo non convertatur, eſt quia non ſe convertit: quam abſurdum? At vero carentiam converſionis ne-

Alvarez. d. 102.

gativam rejicit in Deum non convertentem, & negantem gratiam efficacem: ſed hoc nomine *Alvarez* jure meritiſſimo largiſſime vapulat à *Gul. Tuiſſo.* 5. Conſcientias *Arminianorum* hic fluctuare, quando ad juſtitiam Dei confugiunt, patet quoniam ſupra audivimus *Corvinum* fatentem cauſam diſparis iſtius eventus cur hic convertatur, & ille eâdem gratiâ præveniente inſtructus non convertatur, ſibi incognitam eſſe, & in ſolo libero arbitrio non eſſe poſitam. Sed & ipſe *Arminius* aliam viam incedere, ſed plane fluctuante & obſtrepente conſcientia ſatagit. *At vero* (inquit) *hæc interna Spiritus Sancti ſuaſio duplex eſt, una ſufficiens, altera efficax. Illa qua poteſt velle & credere & converti, cui adhibetur; iſta quâ vult credit & convertitur, cui accomodatur. Illa adhibetur decreto providentiæ, cum certâ præſcientiâ fore, ut rejiciatur â libero arbitrio hominis. Iſta ex decreto prædeſtinationis, adminiſtratu cum certâ præſcientiâ fore, ut re ipſa velit, credat & convertatur, cui accommodatur & adhibetur, propterea quod ita accommodatur, prout Deus novit congruum eſſe perſuadendo & convertendo, illi, cui adhibetur.* Decreto, reprobationis ib. negat propriè negari gratiam ſufficientem, ſed eo decreto ait negari efficacem, & hæc ait eſſe ex mente *Auguſtini*, forte etiam ex ſcripturæ ſenſu. At ne vel apice vel literula ex *Auguſtino*, vel ex ſcriptura id comprobare nititur *Arminius*, & ſe & lectorem latebris & conjecturis maluit relinquere. At non ita hæſitan-

Tuiſſ in vindict. grat. cont. Armin Antiperk. l. 1 p. 2. dig. 2. p. 149. 150. 151.

Armin. Antiperk. p. 665.

Armin. collat cum Iun. propo. 15. p. 563. 564.

ſitanter aſſerit in collat. cum *D. Iunio* ſed dictatoriè potius. Hic itaque non ſimpliciter vult *Arminius*, ſed fors etiam ex ſenſu ſcripturæ ex libero arbitrio eſſe, quod hic convertatur, non ille, pro vario modo accommodandi gratiam Dei, de quo alibi, ideoque *Arminius* vult forte decretum abſolutum prædeſtinationis & vocationem congruam, non ſecundum regulam juſtitiæ, ſed ſecundum abſolutam Dei voluntatem, non minus ſcripturæ conſentaneum eſſe, quam *Arminianam* ſententiam. 6. Vocatione *Arminianâ* ex Dei voluntate juſtitiæ reſtrictâ ſtante, non poteſt Deus non convertere *Petrum* volentem converti, & non poteſt ex ordine juſtitiæ convertere *Iudam* nolentem converti, præſertim quũ rebellio *Iudæ* finalis Chriſti merito expiata non ſit, ideoque & Deo invito poſſet fieri utrumque. Nec hic miſeretur quorum vult, non magis quam Deus eſt juſtus, quia vult. Nam neceſſitate naturæ eſt juſtus, & neceſſitate naturæ volentes converti, convertet.

4. Iam ad ſecundum venio. Eſt ea non-curatio nativæ contumaciæ: hæc non-curatio eſt à ſolo Deo. Solus enim Deus curat ideoque ex lege affirmationis & negationis, Dei non-curatio erit cauſa adæquata & totalis nativæ contumaciæ non-curatæ, non ſimpliciter nativæ contumaciæ, ſed contumaciæ non-curatæ, ſicut medicus non curans omnes morbos ſanabiles, & quos ex artis peritiâ ſanare poteſt, non eſt morborum cauſa: poteſt

tamen dici cauſa morborum non-curatorum phyſica, non vero moralis, quoniam medicus ex debito & conductus ad curandum, ſi tum non curet, eſt cauſa morbi non ſanati, non tantum phyſica, quia non curavit ipſos, ſed etiam ethica & moralis, quoniam non curavit, & tamen ex officio curare debuit. Itaque Deus hic conſideratur tribus modis. 1. phyſice. 2. ethice, ut agens ex ſolo ſuo beneplacito. 3. ethice, ut agens ex juſtitiæ debito ad agendum obligatus. Primo modo Deus eſt phyſica cauſa non curatæ nativæ contumaciæ, quoniam poteſt in omnibus ipſam curare, & tamen non curat. Ideoque eſt cauſa eo modo, quo ſol per ſui abſentiam dicitur cauſa noctis, quoniam per ſui in noſtro hemiſphærio præſentiam, eſt cauſa diei. In *Arminii* ſimili, de ruinâ ædium ex non appoſitis fulcris ſophiſticatur, à poſitione cauſæ phyſicæ, ad poſitionem effecti non phyſici, ſed moralis, quæ nullâ arte confunduntur. Nam Dei negatio gratiæ prædeterminantis, quæ phyſica eſt cauſa non-converſionis privativæ & culpabilis, nullo modo cauſative terminatur in culpabilem non-converſionem, ſed tantum in negativam non-converſionem, ut cauſa phyſica in effectum phyſicum, & voluntas corrupta quæ cauſa eſt ethica, terminatur in non-converſionem culpabilem, ut cauſa moralis in effectum moralem, nullo vero modo terminatur in negativam non-converſionem, qui eſt effectus phyſicus, non moralis: uti

cauſa

cauſa cur tali chartæ nihil inſcribatur, reſp. eſt à penna non-denigrante: abſentia denigrationis, & abſentia non-denigrationis artificioſæ eſt à ſcribente artem ſuam negante. Ideoque ex hac Dei cauſatione ſequitur nuda non converſio phyſica & negativa, non proprie converſio privativa & culpabilis. Nam ex cauſa præciſe phyſica non ſequitur ullo modo culpa. Culpa enim eſt defectus moralis, ideoque ortum habere non poteſt, niſi ex cauſa morali & deficiente: ideoque ex non appoſitione fulcri phyſice ſequitur ruina ædium phyſica ut habet ſimilitudo Arm. Si dominus teneatur ædes ſervo ſuo ſuppoſitis fulcris ſuſtentare, caſus ædium moraliter imputatur domino non apponenti fulcra, quæ ex pacto aut data fide apponere debuit, & hoc poſteriore ſenſu ſimile Arminianū urget, & tamen nihil concludit. Deus enim ex debito neminem convertit, ſed ex beneplacito ſuo. Secundo modo, ſi conſideretur Deus, ut agens ex beneplacito ſuo, cujuſmodi agens tantum hic eſt Deus, nullo modo imputatur moraliter non-converſio Deo. Non enim pacto, ſtatuto aut ullo officio Deus ſe aſtrinxit ad homines convertendos. Nam non extat ſtatutum aut pactum illud Dei ex promiſſione ulla [hoc fac, & ego te efficaciter vocabo:] [qui hoc fecerit, converſionis mercedem facti in laboris compenſationem reportabit.] Iam quoniam hoc in tota ſcriptura, aut ex ullo Dei attributo *Arminiani*, & *Ieſuitæ* ad hunc uſque

diem nunquam demonſtrârunt, neque poſſunt id oſtendere, Deus neminem tenetur etiam ex hypotheſi volentem converti, convertere: neque vel *Adam* ante lapſum, vel *Angeli* qui lapſi ſunt, aut ullus homo habet in ſua poteſtate Dei motionem præviam, neque ulli imputatur moraliter, carentia Dei motionis efficacis. Neque ulla lex mihi imperet, ut ipſam vel habeam, vel non habeam. Sic enim actus Dei creaturis juberentur, quo quid, bone Deus, inſulſius? Nobis ne imperatur, ut Deum agere vel non agere aſtringamus? Ideoque longe differunt nobis imperari actus ex Dei motione cauſaliter reſultantes, ex motione (inquam) Dei efficaci, & ipſam efficacem motionem nobis imperari. Nam illud æquum eſt, hoc iniquum. Quin imo Deus operatur in nobis velle & perficere *Phil.* 2. 13. ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας: non igitur ex debito: quoniam ita eſt Dei placitum *Math.* 11. 26. Non ergo quoniam eſt debitum. Ideoque tertio modo Deus nullo modo hic poteſt conſiderari, ut agens ex debito juſtitiæ aut æquitatis naturalis.

5. Ad tertium accedo: ea eſt voluntaria nón-curatæ contumaciæ dilectio & volitio, & eſt peccatum & conſequens non-curatæ contumaciæ. Et ex ea eſt non-cónverſio culpabilis, ideoque ex libera & abſoluta Dei non-curatione nativæ contumaciæ & ex liberrima Dei non-converſione, ſequitur non-converſio culpabilis & reſiſtentia facta Deo vocan-

vocanti, non ut effectus ex cauſa, ſed ut conſequens ex antecedente. Duas dico hic eſſe cauſas, cur reſiſtentia & non-converſio culpabilis non rejici debeat in Deum, ut in cauſam moralem. 1. Quoniam non eſt ulla cauſa moraliter rea, eo quod non agat, niſi debito, lege, aut pacto, teneatur agere. Deus autem non tenetur hic agere: & non obligatur non agere, ſed miſeretur quorum vult, indurat, quos vult. 2. Quoniam inter Dei non-converſionem & reſiſtentiam intervenit voluntaria dilectio nativæ contumaciæ, & libera voluntatis corruptæ volitio, qua quis, qui obligatur Deo vocanti parere, ideoque credere & reſipiſcere, non vult credere & reſipiſcere, ideoque *Grevinchov.* male argumentatur. Denegatio (inquit) auxilii prædeterminantis eſt cauſa adæquata carentiæ boni uſus gratiæ, & reſiſtentiæ. At denegatio auxilii prædeterminantis eſt à ſolo Deo. Ergo carentia boni uſus gratiæ adeoque tota reſiſtentia, & non-converſio hominis eſt à ſolo Deo. Nam reſp. 1. Quod denegatio auxilii prædeterminantis non eſt cauſa carentiæ boni uſus gratiæ & reſiſtentiæ, imo non eſt cauſa omnino. Quomodo ergo eſt cauſa adæquata? hoc probet ille, prorſus audiemus altum ſilentium, ubi probationes poſtulamus. Concedimus reſiſtentiam ſequi ex denegatione auxilii prædeterminantis, ut conſequens ex antecedente; ut effectus ex cauſâ negamus. Hoc ſi probaſſet, cauſam noſtram læſiſſet. p. 250.251.

Nam

Nam intervenit inter negationem auxilii prædeterminantis & reſiſtentiam libera volitio voluntatis depravatæ, unde cauſaliter fit reſiſtentia. At vero quoniam reſiſtentia fit ex cauſa ad agendum moraliter obligatâ, & Deus negans auxilium prædeterminans, non eſt cauſa moraliter obligata, nullum (eſſe) effectivum aut cauſativum omnino Deus contribuet reſiſtentiæ. Negamus itaque non uſum gratiæ culpabilem, non converſionem privatam & culpabilem ex Deo eſſe cauſative.

6. Sed in eo hærent, quod dicamus nos, voluntatem non poſſe, aliud neque aliter velle, quam prout prædeterminanti Dei motioni ſubeſt, ideoque quoniam illa prædeterminatio non eſt in noſtra poteſtate, non-converſio imputatur Deo, non nobis, qui aliud & aliter haud poſſumus, quam id, ad quod à grâtia determinante impellimur facere. R. [Voluntatẽ determinationi gratiæ ſubſtratam non poſſe aliud velle, quam vult] æquipollet huic, | voluntatem actu eligentem hoc non illud, non poſſe aliud eligere, quam eligit. | Nam Dei determinatio, & humana determinatio admiranda conſociatione in idem objectum, numero, menſurâ, & intenſione conſpirant, hoc tantum diſcrimine, quod Dei determinatio ſit externa, æquivoca, non vitalis, principalis: humána vero interna, univoca, vitalis, & ſubordinata. Nam ſi carentia divinæ prædeterminationis voluntati non converſi aliud volenti, aut quoad æternam futuritionem volituræ, & inclinaturæ obſtaret,

ſtaret, & vi aliorſum impelleret ipſam, argumentum aliquid probaret. Sed Dei prædeterminatio ad illud flectit voluntatem converſi, ad quod, quoad æternam futuritionem, ipſa vitaliter, electivè, & ſubordinatè ſe flectit. Et quamvis non converſi in ſua poteſtate non habeant Dei prædeterminationem, attamen jure rei ſunt, & culpandi, quoniam eorum prava voluntas in id tendit liberrimè, in quod Dei non prædeterminatio gratioſa, juxta decretum reprobationis, tendit: ideoque hoc ipſo ſunt damnationi obnoxii, quod ipſorum voluntas ſubſcribit conſequenter, interpretativè, & in ipſo effectu, nempe liberâ non-converſione culpabili, non-prædeterminationi gratioſæ, ſeu ſigillum ſuum apponunt, Dei auxilii determinantis negationi liberæ. Quoniam vero & converſio *Iudæ*, & non-converſio *Iudæ* æternam futuritionem habere non poſſunt (hoc enim impoſſibile ſimpliciter) nullo modo Dei prædeterminatio ſuperveniens inclinationi *Iudæ*, ipſamque ſalva libertate determinans, ad id, quod toto libertatis ſuæ vitioſo impetu, de facto eligit, officit vel *Iudæ* reatui, vel libertati. Quando ſuperior cauſa eſt phyſica & à lege ſoluta, & inferior moralis, & legi ſubdita, eſto quod ſuperior phyſice influit in inferiorem, tamen ſi inferior eſt libera, rea eſſe poteſt inferior, & non ſuperior. Sit aliquis abſolutus Monarcha, ſupra legem aliquam humanam poſitivam: conſentiat rex, ut ſubditus eam legem violet.

& ſuppono, quod idem ſubditus, ſit ex ſe & ſua ſponte, eam legem violaturus, hoc dato, quod Monarcha, qui eſt ſupra talem legem, non conſentiret, hic rex non eſt reus, & ſubditus eſt violatæ legis reus. Ratio eſt, quia reatus venit ab obligatione illius, qui cum ſit agens rationale legi ſubditur. At reatus non eſt formaliter ab ullâ influentiâ phyſicâ: alioqui gladius, venenum & alia quæ phyſicam cauſandi influentiam contribuunt homicidio, reatui ſubeſſent, quod eſt ridiculum.

7. Quartum eſt ipſa fides & actus ſupernaturalis, qui ut ſit, & ut ſit ſupernaturalis, non aliunde eſt quam ab actuali efficientiâ ſeu efficaciâ divinæ gratiæ, ideoque, ut notavit *Alvarez*, ſolus Deus eſt cauſa converſionis. Solus enim Deus efficaciter vocat: at non eſt ſolus cauſa actus converſionis liberi. Hic enim humanæ libertati non eſt deneganda ſua activitas ſubordinata, electiva & vitalis.

8. Sed non ſe ſatis explicant *Arminiani* in modo, quo Deus tenetur concurſum ſuum omnibus vocatis præbere. Mihi enim ex eorum ſcriptis nunquam conſtare potuit, utrum hæc Dei obligatio fundetur in Dei æquitate naturali, an vero in libera Dei promiſſione. Vel enim Deus adjuvat nos bene utentes gratia communi efficace gratia, ex libera conſtitutione, & poſitiva promiſſione, vel æquitate naturali. Si ex libera conſtitutione, poteſt tum non tribuere gatiam efficacem, & tamen cul-

culpam nobis imputare, & ſic metet Deus, ubi non jecerit ſementum, quod *Arminiani* naturali Dei æquitati repugnare volunt. Si vero neceſſitate æquitatis naturalis; tum poſt primum actum gratioſum, neceſſario concurret ad ſequentem, & propter illum, ex juſtitiæ debito ad ſequentem, & ſic in infinitum, & poſt primum actum gratioſum, ſequeretur neminem deinceps peccare, cui reclamant quotidiani ſanctorum lapſus, & oracula ſacra; & ſequeretur per eandem rationem, poſt primum actum inobedientiæ, Deum ex debito juſtitiæ negare debere gratiam efficacem, & ad tertium & quartum: & ſic qui ſemel peccavit, non poteſt non ſemper ex ordine juſtitiæ peccare, quod etiam in multis impiis ad ſaniorum vitæ frugem convertentibus ſeſe, patet eſſe falſiſſimum. Sed dicunt ex hypotheſi, quod voluntas prius naturâ ſuam influentiam præſtet, Deum promiſiſſe ſe præſtiturum ſuum etiam efficacem influxum. At vero tum non liberâ conſtitutione, aut liberali promiſſione, præſtat Deus ſuum influxum, ſed æquitate naturali, imo hoc in flagitioſiſſimis apoſtatis, non poteſt non præſtare: ſecus daretur actio cauſæ ſecundæ, abſque influentia cauſæ primæ. At vero quid prodeſt ſancto multos actus obedientiæ elicuiſſe, ſi omnes illi actus compenſentur, motione non efficaci, ſed tantum eâ motione, quâ poſſet, ſi vellet, in poſterum habere in ſua poteſtate motionem Dei efficacem

Arm. Antiger. p. 758. cacem? Memini enim *Arminium* dixiſſe: *vide mihi (inquit) an non iſto Chriſti dicto [habenti dabitur] promiſſio iſta contineatur, qua Deus ſpondet ſe gratia ſupernaturali illuminaturum, qui lumine naturali recte utetur, aut ſaltem utetur, quantum poterit, minus male.* Ex hoc textu *Arminii*, ſequitur Deum ex promiſſo obligari eis, qui probi & humiliores fuerunt, indulgere gratiam converſionis efficacem: nam habenti dabitur. Et ex *Arminio* habenti multos bonos actus naturæ, dabitur actus converſionis. Atqui ſic per hanc promiſſionem ſaltem poſt converſionem, nunquam peccaret. Deus enim verax habenti actum gratioſum præſtaret motionem efficacem ad alium actum gratioſum, & poſt illum ad alium. Scio tamen *Arminianos* reſponſuros, habenti ex Dei promiſſo, dari ſiquidem accipere velit, & ſuum influxum libere contribuere voluit, R. At ſic etiam non habenti dabitur. Chriſtus vero ait, non habenti auferri, quod habuit. Nam habenti nullos actus bonos, dabitur motio Dei efficax, ſiquidem ipſe influxum ſuum libere contribuere volet, imo ſi Diabolus, ſi profligatiſſimi apoſtatæ libere voluerint, nunquid creator & prima cauſa influxum ſuum efficacem denegare poterit? Credo non poſſe; imo ſi poſſet, daretur actus ſecundæ cauſæ, ſine actione primæ. Ita jam, *Arminiani* [habenti dabitur] vobis eſt, non habenti dabitur, & non habenti auferetur, vobis eſt, non habenti dabi-

dabitur, non auferetur. At non impetrabamus tamen ab *Arminianis* hic ut in converſione Deo abſolutam ſuam libertatem relinquamus: & tamen Dei libertatem in miſſione ſalvatoris ad redimendum genus humanum non negant: cum lapſis angelis tale remedium abſolute negârit. *Heb.* 2. 16. & Deum potuiſſe omnes & ſingulos ita vocare, ut illibatâ libertate converterentur, non negabunt.

9. *Ob.* 2. Si ſub hac determinatione manet libertas, aut manet in ordine ad receptionem determinationis extrinſecæ, aut in ordine ad ſuum proprium influxum. Non primum: quia, ut ait *Grevinchovius*, voluntas patitur recipiendo determinationem Dei, & paſſio qua paſſio non eſt actus liber, uti ait *Corvinus*. Nec ſecundum dici poteſt: penna enim non libera dicitur in ſcriptione, quoniam ducitur à libero agente, nec voluntas noſtra erit libera, ſi ita torqueatur à Deo principaliter agente, ut non ita velit, eligat, repudiet, ut poſſet nolle, non eligere, non repudiare. Ita *Marcus Antonius de Dominis*.

Grev. p. 245. 246. *Contr. Molin. c. 3. ſ. 24.* *Marc. Ant. archiep. Spala de repub. eccleſ. l. 7. c. 11. fig. 41.*

R. 1. Non docent noſtri libertatem formaliter cõſiſtere in receptione divinæ determinationis. Non enim lege ullâ injungitur, ut eam determinationem Dei vel habeamus vel non habeamus. 2. Poſtquam voluntas jam recepit Dei determinationem non proprie eſt in potentia ad agendum, quia jam actu libere agit. Hoc enim puerili argumento, non magis Dei determi-

natio evertit libertatem, quam ipſius libertatis actuale exercitium evertit libertatem, & tamen libertas in ordine ad ſuum influxum actu libere agit. 3. Non dicitur voluntas noſtra libera per participationem, quoniam eſt inſtrumentum Dei liberi agentis. Penna enim nullâ ingenitâ electione & judicio ſcribit. Deus vero ita utitur voluntate, ut ipſa voluntas ſeſe electivè, vitaliter, & ex practico rationis judicio agat. Nec aliud nobis hic objiciunt, quam olim *Pelagiani Auguſtino* & *Proſpero*. *Dei opus defendimus, nec ex illius potentia vel in malum vel in bonum aliquem invitum cogi, non reluctanti ſtudium.* *Pelagiani* ſe Dei opus, *Arminani* ſe naturam libertatis defendere contendunt.

lib 1. contr. duas epiſt. Pelag. c. 18. & lib. 2. c. 6.

Ob. 3. Cauſæ naturales habent potentiam non operandi in ſenſu diviſo. Sic enim ceſſare poſſunt à motu, ſi Deus à motione ceſſet, imo paries albus in ſenſu diviſo poteſt eſſe niger, quia ſimul cum albedine retinet potentiam ad nigredinem. Non itaque ſufficit poteſtas in ſenſu diviſo ad poteſtatem activam arbitrii, imo iſta poteſtas in ſenſu diviſo, quid eſt aliud quam poteſtas carendi gratia, ſi non detur, vel carendi conſenſu, ad quem gratia movet ſi gratia data auferatur? hoc modo lapis ſurſum projectus poteſt in ſenſu diviſo carere impulſu quo movetur. *Grevinchov.*

Grevincho. contr. Ameſ. pag. 160.

R. Poſt *Suarezium* doctorem ſuum, delirat *Grevinchovius*. Nam 1. nuda & ſimplex ceſſatio ab actu nolendi & volendi, non ſtatuitur à nobis

acti-

activa potentia libertatis in diviſo ſenſu, ſed ceſſatio ex judicio mentis, & electivâ vi libertatis, quam potentiam, ſi lapidi aut parieti ineſſe velit, fungus & lapis ſit, oportet. 2. Tum etiam abſurdè dicitur poteſtas libertatis in ſenſu diviſo eſſe carentia gratiæ. Non enim eſt penes nos vel habere vel carere gratia efficace. Diſtinctionem illam ſenſus compoſiti & diviſi, prout cauſis naturalibus ſuo modo aptari poteſt, male nobis impingunt. Nam dicimus nos, non poſſe ſimul componi Dei determinationem gratioſam ad talem actum, & actualem diſſenſum libertatis, & tamen manere ſub illa determinatione vim electivam repudiandi, qualis vis ad nigredinem, non manet in pariete albo. Quid?; Quoniam poteſtas paſſiva in ſenſu compoſito & diviſo dari poteſt, an propterea potentia activa & electiva in voluntate dari non poteſt? Imo contrarium plane ſequitur. Quod dicit *Suarez* antecedentem hanc neceſſitatem non minus fortiter aſtringere libertatem, quam ſi eſſet cauſa mere naturalis, hallucinari in re gravi non verecundatur: nam nullo modo ſequitur. Nam quamvis Deus inevitabiliter neceſſitet eventum & effectum libertatis, non ſuper-imponit libertati neceſſitatem inevitabilem, quoniam infinitæ Dei perfectionis & omnipotentiæ eſt, quod neceſſitare poſſet libertatem, & non evertere, non aliter quam libertas in exercitio ſe neceſſitat, & non evertit. Nam quando ipſa

libertas vitaliter ſuam indifferentiam removet, eodem modo prædeterminans gratia illam eandem indifferentiam externe & non vitaliter removet, quoniam Deus non ad alium angulum flectit libertatem principaliter, quam ad illum, ad quem ſe flectit libertas ſubordinatè. Quo pacto, ſi illi dicant Deum neceſſitare libertatem, ego dicam tum libertatem ſeſe neceſſitare pari modo. Hæc vero neceſſitatio non tollit libertatem, ac proinde neque illa. At dicent primo, principaliter, & ab æterno Deum actum liberum determinare, ideoque libertatem humanam non poſſe alium actum elicere. R. Deus primo, principaliter & ab æterno actum liberum determinat, ſed non ad alium. ſed ad eundem numero actum, ad quem voluntas determinavit in tempore ſeſe. Quia Dei determinatio æterna reſpectum habet ad actum illum ut futurum, & libere ponendum, quamvis non ut jam poſitum, cujuſmodi reſpectum & habitudinem dicit decretum cõnditionatum ad actum liberum, non ut ponendum ſed ut poſitum, & quidem poſitum antecedenter ad Dei decretum, quod plane Dei providentiam evertit.

Ob. 4. Si Dei determinatio præcedit volitionem humanam, jam eſt velle, priuſquam homo velit, nec neceſſe eſt ut voluntas velit; tantum patiendo ab omnipotente recipiat velle. Ita Leſſius, Reſp. Eſt homonymia in voce (*jam*) & in voce determinationis. *Iam* pro-

Leſſ de grat. eff.

prie

priè notat ordinem naturæ: & determinatio vel eſt externa & effectiva, quæ eſt ſolius Dei in hoc negotio; vel interna & formalis, quæ eſt voluntatis creatæ. Sic itaque diſtinguo. Si voluntas humana [*jam*] id eſt, prius ordine naturæ, determinetur, nempe externè & effectivè à Deo, non neceſſe eſt, ut voluntas velit, quia jam eſt velle: illud nego. Si velint prius tempore Deum velle efficere in nobis, quam velimus, quærant ſibi larvas, cum quibus dimicandum ſit: nos tale quid non cogitamus. At vero Deus prius natura voluntatem determinat, & quidem ſolus in genere cauſæ efficientis externæ & ſolitudine prædeterminantis. At ipſa voluntas poſterius naturâ, & ſimul tempore ſe determinat in genere cauſæ formalis, & ſola quidem ſolitudine cauſæ formalis & vitaliter eligentis. Ideoque tria hic ſunt diſtinguenda. 1. Vitalis & electiva propenſio voluntatis, quæ eſt & naturalis & à voluntate, vel ſupernaturalis & divinitus infuſa: hic voluntas eſt in ſtatu potentialitatis tantum. 2. Et actuatio illius potentiæ: hæc eſt effective à Deo. Et 3. actualis volitio, hæc formaliter ſine ullo temporis intervallo eſt à voluntate, ſed jam actuata & determinata externe & effective à Deo. Ideoque nullo modo ſequitur, non neceſſe eſſe ut voluntas velit: tantum ſequitur, quod efficientia τȢ velle ſit natura prius τȢ velle, quod eſt neceſſarium: non abſurdum, uti prius natura

eſt efficientia cauſæ, quam effectus eſt.

Ob. 5. Si Deus determinet actus liberos, determinat etiam potentias. Nam potentiæ ſunt cauſæ actuũ. At ſi potentiæ determinētur, nullo modo manet potentia volendi & nolendi. Ita Rem. R. Potentias voluntatis particulares numero actibus futuris commenſurari, & ad laudem glorioſæ providentiæ determinari aſſero, ab eo qui numerat capillos capitis & pluviarum guttulas: at manet potentia voluntatis univerſalis indeterminata. 2. Non ſatis accurate dicunt doctores hi, potentiam eſſe cauſam actuum. Cauſa eſt præſtantior effectu, potentia actu ignobilior poſitâ cauſâ, ponitur effectus, poſitâ vero potentiâ non ponitur actus. Accurate itaq; loquendo cauſa actu liberi eſt potētia determinata, non ſimpliciter potētia.

Remonſtr. in ſcript. Synod. de oper. grat. art. 4. p. 178. 379.

Ob. 6. Si ponatur talis efficacia determinans, tolletur ſtudium & pia bene operandi ſolicitudo. Exſpectabimus enim ſemper efficaciam talem. R. Non poteſt non eſſe ſolicitus aliquis, quamdiu talem efficaciam in converſione non ſentiat, ideoque contrarium potius ſequetur.

Cap. IV.

Suarezij, Fonſecæ, Bellarmini & aliorum de congrua vocatione nova fabula ad partes vocatur.

Efficaciam gratiæ Jeſuitæ, nova monſtra eccleſiæ in vocationis congruitatem reſolvunt.

vunt. Eam in tribus poſuit *Alvarez* hujus congruitatis impugnator 1 in ſuaſione. 2. in tali contemperatione ſuaſionis, tali perſonæ ſic diſpoſitæ, tali loco & tempore. 3 in ſcientiâ mediâ quâ præſcit, quo inclinatura ſit voluntas in tali tempore & occaſionibus locata. Sub judice lis eſt, an efficacia gatiæ in ipſam congruitatem ſuaſionis referenda ſit, ut putant quidam *Ieſuitæ*. Cautius tamen *Suarez*, qui docet conguitatem non ſufficere ad efficaciam gratiæ argumento ſatis valido. *Nam hæc* (inquit) *vocatio eſt medium accommodatum intentioni Dei efficaci: implicat autem contradictionem, voluntatem Dei efficacem non impleri. Ergo non poteſt illa vocatio eſſe proportionatum medium, niſi ſit ita infallibilis, ut prorſus repugnet, & contradictionem implicet non conſequi effectum ſuum. Sed tota illa congruitas ex ſe ſolum inducit moralem quandam certitudinem, cui abſolute non repugnat ut vocationi congruæ ſic liberum arbitrium reſiſtat.* Sapit, mihi crede, *Ieſuita* congruitatem rejiciens & ad ſcientiam mediam confugiens, eam viam incedunt, *Bellarminus*, *Fonſeca*, *Valentia*, *Suarez*. Quid (quæres lector) *Arminiani*. Fluctuat ipſe magnus doctor *Armin*. *Num* ait *fors ex ſenſu ſcripturæ* teneri poſſe. Remonſtr. in collat. Hag. *Nihil eſſet abſurdi* (inquiunt) *ſi Dei operatio dicatur efficax, quia illa pro infinita Dei ſcientia, circiter illud tempus, ejuſmodi hominibus, tali ſtatu, adminiſtratur.* At tum viri fratres, nihil abſurdi eſt tenere *Calvini* decretum abſolutum. *Corvinus* enim hoc nomine rejicit

Alvarez de auxil div. grat. diſp. 83.

Lib 3. *de auxil. c.* 14. *ſ.* 7.

Bellar. 10. 4. *de grat & l. arb. l.* 1. *c.* 12 *&c.* 13 *&c* 14. *Fonſ comment. in Ariſt. Metaph. l.* 6. *c.* 2. *q.* 5. *ſ.* 14. *Valent. tom.* 2. *diſp* 8. *q.* 3. *p.* 3. *Suarez. de auxil l.* 3. *c.* 14. *n.* 9. *Armin. Antiperk p.* 665. *Collat. Hag p.* 311. *Remonſtran. in confeſſ. c.* 13. *th.* 10.

vocationem congruam, quod neceſſe eſt aſſertoribus ejus tenere decretum abſolutum. At exclamant *Arminiani* hoc eſſe fatum, ſed tanta eſt hæreticorum à fide aberrantium fluctuatio, ut hanc vocationem directe rejecerint Remonſtrantes in confeſſione ſua.

2. Fieri itaque poſſe docent, ut ſi ſpectetur ſubſtantia vocationis, par ſit gratia & eadem in converſo, & non-converſo. *Imo* (inquit *Fonſeca ibid.*) *major forte in non-converſo. Eo tamen ſolo* (inquit) *quod talis vocatio applicatur ei qui converſus eſt, quo præſcitur obediturus, ei autem qui converſus non eſt in ea occaſione, qua præſcitur repugnaturus* (*tametſi alia vocari poſſet, quâ obediturus præſciretur*) *illius vocatio eſt efficax, hujus autem non efficax.* Si quæramus unde eſt, quod quidam congruè, quidam vocentur incongruè? reſpondent: electi vocantur congruè ſecundum prædeſtinationis decretum abſolutum, quo adminiſtratur gratia efficax; reprobi incongruè, ſecundum decretum communis providentiæ, quo confertur iis gratia tantum ſufficiens quidem, quia Deus vult omnes ſalvari, & non deficit in neceſſariis (alioqui homines non eſſent inexcuſabiles) ſed tamen non efficax. Nam præſcit Deus ſufficientem nunquam fore efficacem, & tamen reprobis eam Deus dat ſecundum decretum communis providentiæ. Hæc illi.

1. argum. Sic vero primo impugno. Hæc gratia efficax & congrua vel eſt neceſſaria ad ſingulos actus ſupernaturales, adeoque ad converſionem, vel

vel non. Si primum, non congrue vocati carent ſufficiente gratia, quod non fert theologia Ieſuitica. Nam congruitas ad converſionem neceſſaria iis deeſt. At *Fonſeca* Dei providentiæ adverſari vult, quod aliquis adjumentis ad ſalutem neceſſariis careat. Si non eſt neceſſaria, tum non congruè vocati non minus poſſunt converti, quā congrue vocati. Si vero ſit congruitas neceſſaria, quia non eſt in hominis poteſtate, quod Deus vel congrue vel non congrue vocet, non imputabitur non-converſio culpabilis ei, qui non convertitur; quoniam ex carentia congruitatis, quæ eſt in ſola Dei, non hominis poteſtate, reſultat: quod optime ſequi ait *Suarez* diſſerens cöntra determinationem phyſicam. R. *Suarez* nihil deeſſe non-congrue vocato ex parte hominis, aliquid tamen ei deeſſe ex parte Dei. Deeſt enim (inquit) præſcientia effectus in uno & non in alio: tamen hæc ipſa differentia non eſt ex ſolo Deo, ſed etiam ex libero arbitrio. Nam in poteſtate hominis, de quo Deus præſcivit non conſenſurum voanti, eſt, facere ut Deus præſciverit ipſum conſenſurum vocationi. Nam in poteſtate ejus revera eſt conſentire, atque ita eſt in poteſtate ejus habere vocationem efficacem. R. 1. Damnatur Ieſuita verbis *Fonſecæ*: *Pelagius enim* (inquit) *nimium tribuens noſtri arbitrii voluntati efficaciam divinæ vocationis voluntatis libero conſenſui attribuebat.* *Bellarmin.* *Hæc opinio* (inquit) *aliena eſt à ſententia divinarum ſcripturarum.* Sed an credit *Suarez* lectorem eſſe *Me-*

Suarez de auxil. l. 2. c. 14. ſ. 13. reſp. ad 1. objeƈt.

Fonſec. ibid.

duſæo cerebro qui nihil intelligat. Si eſt e-nim in poteſtate non converſi facere, ut Deus præſciverit ipſum conſenſurum vocationi, tum actualis converſio adeoque efficacia gratiæ præcedit Dei præſcientiam. Quod enim facit Deum præſcire hoc non illud, illud prius eſt Dei præſcientia. At quorſum ſe torquet in reductione efficaciæ gratiæ ad Dei præſcientiam, qua præſcit quid infallibiliter moveat libertatem, quando fateatur efficaciam gratiæ eſſe priorem Dei præſcientiâ? an quod eſt prius reduci poteſt in id quod eſt poſterius, ut in cauſam? Quid? Non rides Ieſuita? Et quid aliud *Pelagius*? Ex hoc reſponſo congrua vocatio, ſaltem quando adhibetur, eſt in poteſtate congruè vocati. Fruſtra ergo commenti ſunt congruitatem hanc ad declinandum errorem *Pelagij*. 2. Quia eſt in omnium poteſtate audire concionatores, legere & meditari Dei verbum, quo omnes vocantur, omnes poſſunt congruè vocari ac proinde fruſtra commenti ſunt duo decreta, alterum providentiæ communis, alterum prædeſtinationis, ſecundum quæ vocantur reprobi incongruè, & electi congruè. Si enim poſſunt omnes congrue vocari, expungi poteſt decretum providentiæ, & per eandem rationem, omnes poſſunt incongruè vocari, ideoque inane eſt & alterum. 3. Supra dixit Ieſuita non reducendam efficaciam gratiæ in ipſam incongruitatem, hic negat reduci poſſe in Dei præſcientiam quid ſupereſt?

eſt? Non in gratiam ipſam reſtat ſolum liberum arbitrium.

3. 2. *Arg.* Vocatio non congrua qua Deus vocat multos, eâ occaſione, quâ ſcit non obedituros, pugnat cum voluntate Dei antecedente, qua omnes & ſingulos vult ſalvari, & hoc pugnat cum omnibus Dei votis, deſideriis, ſupplicationibus, obteſtationibus, optationibus quibus Jeſuitæ volunt Deum ſerio teſtari, quam verè deſideret ipſos reprobos ſalvari. Imo ſic id deſideraret naturaliter, & tamen eo modo vocaret, quo præſcit ipſos in longe graviorem pœnam & tormentum incurſuros, quam ſi omnino Deus non vocaret, eſſent in Deo voluntates verè contradictoriæ, & Deus malo dolo & hypocriſi non careret. Multa hic *Suarez* reſpondet. 1. *Quod* (inquit) *ad voluntatem permittentem ſpectat, nihil abſurdi eſt in eo, quod Deus certo ſciens & prævidens fore, ut ſervato tali providentiæ modo, tot homines damnentur, illud permittere voluerit, ſed habet ſolam illam admirationem de qua Paulus. O altitudo &c. Quod vero ſpectat ad voluntatem ordinantem, Deus non eligit hunc modum providentiæ, neque obſervavit ea tempora in quibus homines repugnaturos vocat, ut eos non ſalvet cum efficaciâ. Id enim & indignum eſt bonitate Dei, & ab illa voluntate alienum, qua vult omnes homines ſalvos fieri.* Reſp. 1. Non eſſe abſurdum quod Deus repugnaturos vocet, nos cum Jeſuita dicimus, ſed hoc dato, quod omnes & ſingulos ſalvari velit ut docet Jeſuita, eſt abſurdiſſimum.

Quis

Quis enim pater terrenus naturali amore, impetu impenſiſſimo diligens filium, ipſum ſciens & volens permitteret ruere in cruciatus nunquam finiendos, ideoque, quamvis dicendum ò altitudo, nunquid dicendum ò monſtroſum? ò voluntas permittens Deo indigna? & à naturali Dei amore effuſiſſimo, quo reprobos ſalvari obnixè cupit, aliena qui ipſos ſecundum voluntatem permittentem ſineret ruere in exitium æternum, & eo modo vocet, quum aliter vocare poſſit, ſalvis omnibus Dei attributis, quo ipſorum damnatio, quam ille naturali amore non vult, longe gravior ſit. 2. Non pudet Jeſuitam palam agnoſcere, voluntatem permittentem eſſe indignam Dei bonitate, & alienam à voluntate, qua vult naturaliter omnes ſalvari. Hic contrariæ plane in Deo ſint voluntates, oportet, quin imo nunquam videre potui, quomodo *Ieſuitæ* & *Arminiani* contrarietatem inter Dei voluntatem antecedentem, & voluntatem qua maximam humani generis partem permittat peccare, & in æternum perire, diluere poſſint. 3. Voluntas Dei permittens habet locum tantum in peccatis: atqui incongrue non nullos vocare non eſt peccatum, ſed actus tum juſtitiæ, tum bonitatis. At vero abſurdum eſt Deum actus juſtitiæ & bonitatis permiſſive, non voluntate effectiva facere: nec unquam ſcriptura bonos actus Dei voluntati permittenti tribuit, nec recta ratio id patitur. Secundum (inquit) voluntatem ordinantem Deus non eligit hunc
modum

modum providentiæ. At ſi hæc voluntas ordinans eſt abſoluta, & à creaturis non dependens, tum abſolute voluit Deus interitum reproborum, & antecedenter ad eorum merita. Jam Jeſuita tu ſalva Dei voluntatem naturalem ſalvandi omnes, ſi potes, ſi abſoluta non fuit, ſed à creaturis dependens, idque naturali Dei juſtitia, fato pereunt & ſalvantur omnes.

2. In omni ſententia neceſſario fatendum multos repugnaturos vocanti. R. In Arminiana ſententia fatendum, in Jeſuitica fatendum, at quid tum? Incommodum non tollit argumentum. At vero in noſtrâ, qui ſtatuimus Deũ libere & ex abſoluto decreto, omnes creaturæ actus antecedente, hiſce vitam æternam ad gloriam miſericordiæ, illis mortem æternam ad gloriam juſtitiæ illuſtrandam, vocare repugnaturos non eſt abſurdum, imo digniſſimum eſt Dei libertate, qui miſeretur quorum vult, & de ſuo poteſt facere, prout eſt ei libitum, ut multos repugnaturos vocet. At vero, ut omnibus & ſingulis Deus velit vitam æternam, & interim talem providentiæ modum ordinet, quo præſcit ipſos mortem æternam infallibiliter incurſuros, ponit in Deo contrarias voluntates. 3. R. *Suarez: igitur in toto hoc providentiæ genere, Deus per ſe primo intendit hominum ſalutem, quam cum infinitis modis, quos in theſauro ſapientiæ ſuæ habet reconditos, procurare potuiſſet, ex omnibus illis, hunc eligit ſuâ voluntate & arbitrio & fortaſſe eâdem ſcientiâ, qua prævidit, ſervato hoc providentiæ modo, tot homines fore*

2. Reſp. Suarez.

fore damnandos, prævidit idem accedere debuiſſe vel creando alios homines, vel aliter iis providendo, niſi omnibus & ſingulis ſpecialiſſima dona gratiæ conferret, quod nec tenebatur Deus facere, nec fortaſſe expediebat, ut divina gratia ſimul & juſtitia magis oſtenderetur. Reſp. Deum in toto hoc ordine primo & per ſe intendere hominum ſalutem, falſum eſt ex Jeſuiticâ doctrinâ. Tum enim primo & per ſe intenderet hominum obedientiam, quod falſum eſt. Nam omnium hominum & obedientia libera, & inobedientia futuritionem habuit antecedenter ad Dei intentionem, decretum & ſcientiam conditionatam, ut docet Jeſuita. At Deum intendere ut id ſit, quod eſt antecedenter ad ipſius intentionem, eſt vere abſurdum. Si Deus hominum ſalutem primo & per ſe, & modis quidem infinitæ ſapientiæ infinitis poſſibilibus, cur hoc non fecit? vis igitur ſapientiæ Dei congruum eſſe, ut nulli ſint reprobi? profecto tum, eſſe reprobos, & tot perire, quot pereunt Dei ſapientiæ adverſatur, & inſipiens erit decretum reprobandi & damnandi homines. O blaſphemiæ! imo vis libero hominum pereuntium arbitrio, Deum coactum & depulſum ab omnibus modis ſalvandi omnes & ſingulos, quos impetu naturæ vult ſalvari, uti mater infantes diligit, contra primarium intentum & ſapientiæ infinitæ dictamen, adigi fato; ad plures & non pauciores ſalvandos, quam qui ſalvantur, ideoque liberum arbitrium hominis Deum fine primitus intento excutit,

cutit, & ab omnibus illis modis, in ſapientiæ theſauro, infinitis ſalvandi omnes & ſingulos homines depellit. O providentiam infinitam ſopitam! Dices, Deum ſua voluntate & arbitrio hunc providentiæ modum elegiſſe. Quæro, an arbitrio ab omni conditione in hominibus ſoluto. Si ſic, tum Deus abſolute convertet, & non convertet omnes, & vocatio congrua eſt inutile figmentum. Si arbitrio dependenti ab indifferenti libertate humanâ, tum neceſſitate non voluntate hunc modum eligit. 2. [Deum omnium ſalutem primo & per ſe intendere] hoc ſub ſe habet reconditum, damnationem reproborum, non primo & per ſe à Deo intendi ſed & præter ipſius intentionem, ideoque fortuito evenire. 3. Deum infinitis modis potuiſſe procurare ſalutem omnium & ſingulorum quam primo & per ſe intendit, & tamen eum modum ſapientiæ ſequi, ex quo Deus illa intentione optimâ excideret, & ex quo, maxima humani generis pars intentâ ſalute excidens, rueret in tormenta ineluctabilia nunquam finienda, cum contrarium Deus naturali deſiderio voluiſſet, non arguit ſapientiam, ſed ſubdolum Jeſuitæ ingenium. 4. Vult Deum eâdem ſcientiâ præſciviſſe tot homines damnandos, quot nunc damnantur, ſi alium providentiæ ordinem ſtatuiſſet. At omnem Dei ſapientiam hoc modo & providentiam proſternit, quia nempe ſemper libertas humana ſoluta ab omni prædeterminante Dei pro-

providentia, poterat eadem peccata facere, quæ nunc facit, quo caſu iidem homines, qui nunc damnantur, damnandi fuiſſent, quia nempe antecedenter ad Dei decretum & ſcientiam peccant, & ſic iidem homines poterant etiam finaliter peccare, ſicuti nunc faciunt, & ſic poſſunt iidem damnari, qui nunc damnantur. Nam antecedenter ad Dei ſcientiam & voluntatem, ideoque antecedenter ad omnem Dei providentiam peccârunt. Ludit igitur Jeſuita, quando meminit modorum infinitorum in divinæ ſapientiæ theſauro reconditorum quibus poſſet omnium ſalutem procurare. Nam ſi homines ſint agentes liberi, præmio & pœnâ digni, non patet alius ſapientiſſimo Deo modus providentiæ, quam hic unicus & ſolus (ecce lector numerum infinitum tibi redigam ad non numerum, nempe unitatem miſellam) quod nempe omnes homines, qui nunc peccant finaliter, antecedenter ad providentiam Dei poterant, uti nunc faciunt, finaliter peccare & damnari. Nam ſi alium modum Deus elegiſſet, procul dubio aliud dominium in actus liberos habere neceſſe fuit, quam ut omnes futuritionem haberent antecedenter ad Dei providentiam, & ſic everteretur libertas ex fide Jeſuitica. Alioqui poterant iidem & non plures, vel pauciores damnari, quam nunc damnantur. 5. Ait non forte expediiſſe ad oſtenſionem gratiæ & juſtitiæ ut omnibus conferret dona gratiæ ſpecialiſſima, quia ſic omnes

omnes ſalvati eſſent, & latuiſſet juſtitia vindicatrix. An non Jeſuita innuit Deum negaſſe reprobis gratiam efficacem, qua ſalvarentur, quia nimirum antea ſtatuiſſet abſolute juſtitiam vindicatricem oſtendere in vaſis iræ, quæ noſtra eſt ſententia? certe vini, mulierum, regum, maxima vis, ſed omnia vincit veritas, & Jeſuitam hic vicit. Nam quærenti, cur Deus intendens omnium & ſingulorum ſalutem, non det omnibus & ſingulis gratiam efficacem, reſpondet Ieſuita, quia fortaſſe, ut docet *Calvinus*, antea intendiſſet Deus abſolute juſtitiam vindicatricem oſtendere in multis, quibus non tenebatur (inquit) ſpecialiſſima dona gratiæ conferre. Certe gratias tibi debuiſſet *Calvinus* profuſiſſimas, Jeſuita, ſi vel voculam illam [fortaſſe] obliteraſſes, ideoque fortaſſe tu erras, non *Calvinus*. Et Jeſuita opinatur, Calvinum eſſe probabiliter hic Orthodoxum.

4. 3. *Argum.* Ex libero conſenſu vel diſſenſu facto vocationi congruæ & incongruæ antecedente Dei præſcientiam conditionatam, ſequitur non poſſe Deum convertere ullo modo, quem finaliter diſſenſurum vocanti præſcit, & non poſſe non convertere, quem præſcit ceſſurum, & etiam ad finem pariturum congruæ vocationi. At hoc repugnat omnipotentiæ Dei & dominio in actus creaturæ liberos. Ergo illud ex quo hoc ſequitur non eſt admittendum. Prob. connexio majoris? quoniam objectum præſcientiæ conditionatæ eſt

contingens quod poteſt vel eſſe, vel non eſſe. Ergo poſſunt reprobi, ſiquidem libere obediunt finaliter non obedire, ut & electi etiam poſſunt finaliter non obedire. Ergo Deus non poteſt per omnipotentiam illos convertere, nec poteſt hoſce non convertere. Reſp. *Suarez: poteſt* (inquit) *homo eſſe ita diſpoſitus, ut nullâ ordinariâ vocatione convertendus ſit. Unde non eſt inconveniens, quod potuerit Deus, illâ conditionatâ ſcientia, de aliquo prævidere non eſſe convertendum omnibus ordinariis auxiliis gratiæ. Tamen quia præter hæc auxilia, poteſt Deus infinitis modis adjuvare hominem & vocare, ideo ſimpliciter fieri non poteſt, quin præcognoſcat Deus plures gratias ſeu auxilia, quibus de facto cognoſceret hominem convertendum fore, ſi vellet illa præſtare data illa hypotheſi (de homine probo ſemper reſtituro Dei vocationi) ſequitur Deum non poſſe talem voluntatem efficaciter & libere convertere, quia præſupponitur, cognoviſſe reſtiturum ſemper, ſi liber uſus ei concedatur: poſſet tamen illam convertere, quo vellet, impediendo libertatis uſum, & in hoc divina potentia ſatis oſtenditur: tamen illa hypotheſi, ut dixit, ſimpliciter impoſſibilis eſt.* Reſp. O conſcientiam Ieſuiticam! Si homo antecedenter ad ſcientiam conditionatam eſt pariturus Deo vocanti, & alter nunquam pariturus eſt neceſſitate antecedente Dei decretum, Deus non poteſt efficere, ut futurum non ſit futurum. Hoc fatum fataliſſimum, Deo Ieſuitæ & *Arminiani* nunquam amovebunt, ullis effugiorum machinis. Si enim Deus aliter diſponere poteſt actus hos voluntatis,

tatis, decreto libero hoc faceret. Atqui omnes actus pravi reproborum, omnes actus obedientiales electorum, Jeſuitis, Dei liberum decretum & ſcientiam mediam antecedunt. At Deum libere efficere, ut id, quod eſt futurum antecedenter ad ipſius libertatem, non ſit futurũ, implicat contradictionẽ ſempiternam. 2. Si Deus extraordinarias vocationes cognoſcit, quibus reprobi de facto converterentur, vel liberè convertendi eſſent, vel neceſſariò. Si libere, recurret argumentum idem pari robore. Si neceſſariò, extra oleas diſputatur. Converſio etenim laudabilis & obedientia Ieſuitis erit non obedientialis & non neceſſaria. 3. Reducit totam Dei omnipotentiam ad impeditionem uſus libertatis. Non ergo Dei dominium & omnipotentia facere poſſunt, ut plures libere convertantur, quam qui actu convertantur nec plures, non converterentur & damnarẽtur, quã qui actu convertuntur. At ſi Dei dominium ad actus neceſſarios extenditur, pari etiã ratione ad actus liberos. Sed audi, Iupiter, Ieſuitæ noſtrũ Iehovam tecum catenis fati adamantinis alligarunt. 4 Hanc hypotheſin eſſe impoſſibilem ſtatuit Ieſuita, quando dicit: *Impoſſibile eſt ut ſola voluntate reſiſtat, ſed infallibile erit, ut aliquo modo tentationis cadat.* Satis innuit ad unum ictum tentationis, cor ad duos ſtare poſſe, & per eandem rationem, quia nulla tentatio determinat voluntatem, ſed eam indifferentiæ ſuæ relinquit (alioqui ex Ieſuitis, ſi neceſſitate peccatur, non peccatur omnino)

ideo fieri poteſt, ut non cedat ulli omnino tentationi. Sed quomodo probas? *Id* (inquis *ibid.*) *à fortiore patet: quia Deus ſinat hominem tentari à dæmone omnibus modis quibus ille novit & poteſt ipſum tentare, impoſſibile eſt ut ſola libertate ei reſiſtat. Sed infallibile erit, ut aliquo modo tentationis cadat. Sed multo potentior eſt divina gratia, & plures modos novit Deus inclinandi & trahendi voluntatem, ut bonis conſentiat. Ergo non eſt contingens ut ex tot gratiæ auxiliis & vocationibus non præcognoſcatur aliqua; cui homo conſenſurus ſit.* Reſp. 1. Ait impoſſibile eſſe, ut homo ſola libertate omnibus modis poſſibilibus à Satana impetitus reſiſtat, imo ſi ſola libertate ulli tentationi poſſet non cedere, fruſtra oratur, ne nos inducas in tentationem. 2. Si impoſſibile eſt ut ſola libertate omibus reſiſtat, tum non peccat non reſiſtendo. Jeſuitis enim nihil eſt peccati in impoſſibilibus. 3. Si talis homo ſufficiente gratia inſtruatur, tam poteſt omnibus reſiſtere, quam omnibus ſuccumbere. Alioqui gratia non eſt ſufficiens, & homini ſufficiente gratia inſtructo non eſt contingens peccare vel non peccare. Dic neceſſarium igitur, non audes. Tum enim ego inferam, nec illic peccari, nec non peccari, ſi Jeſuitica non corruerent dogmata. 4. Quia multo potentior eſt Dei gratia tentatione diabolica, non concludit Jeſuita negatum; niſi gratia indeclinabiliter flectat voluntatem, & ſic non manet libertas; ideoque contingit ſemper moveri vel

non

non moveri ad obediendum hominem per illam gratiam potentiorem. 5. Et quid; ſi Deus noverit plures modos trahendi voluntatem ad conſenſum? ſint ter millies milleni modi. Si ſemper ſuaſoriè & reſiſtibiliter, dari poteſt homo qui ad exitum vitæ Deo vocanti reſiſteret, & tum quæro an Deus poſſet talem, ſalvâ libertate Jeſuiticâ, convertere, imo hoc eſſet impoſſibile 6. Turpiter ſibi Jeſuita contradicit. Ille enim ſupra dedit hypotheſin poſſibilem fig. 8. p. 148. *Nam* (inquit) *tota illa congruitas* (adeoque tractio moralis voluntatis per quoſlibet modos) *ex ſe ſolum inducit quandam moralem certitudinem cui abſolute non repugnat, ut vocationi ſic congruæ liberum arbitrium reſiſtat.* 7. Tandem ait; Ergo non eſt contingere ut ex tot gratiæ auxiliis & vocationibus (nempe moraliter & reſiſtibiliter moventibus libertatem: hoc niſi dixeris, nihil dicis) non præcognoſcatur aliqua cui homo conſenſurus ſit. Audeſne, Ieſuita, dicere; Ergo eſt neceſſarium ut Deus cognoſcat aliquam vocationem reſiſtibiliter agentem cui homo reſiſtere non poteſt? at tum profecto erit vocatio & reſiſtibilis & irreſiſtibilis, quod involvit contradictionem, ut non dicam Deum male dici contingenter cognoſcere futurum. Si enim eſt futurum, Deus id non poteſt non cognoſcere. At vero quia eſt futurum contingenter, ideoque fieri poteſt, ut nunquam ſit ſcientia illius, potuit Deo non ineſſe, ideoque non

ineſt neceſſario.

5. *Argum.* 4 Cauſa alia efficax dari hic non poteſt, quam voluntas humana. Suppono enim ex adverſariorum doctrina eandem gratiam prævenientem gradu & menſura parem, in non-congrue vocato, & congrue vocato, uti concedunt *Fonſeca* & *Suarez*. Cauſa cur gratia ſit efficax non in illo, ſed in hoc, non eſt vocatio congrua. Nam præſcientia Dei efficaciam gratiæ præſupponit, uti omnis ſcientia ſuum objectum, ideoque non facit: ergo ea nõ eſt cauſa. 2. Tempus & locus nõ ſunt cauſæ. Sunt enim adjuncta externa omni cauſalitate deſtituta, niſi dixerint tempus à natura eſſe præſcriptum humanæ converſioni ad Deum, ſicut menſe Iunii roſæ florent: quod riſui erit lectori. Nec quidquam conferre poteſt cauſalitatis, locus: *Matthæus* in civitatis porta, *Petrus* in mari, *Zachæus* ſuper ficu convertitur: quid momenti iſta afferant ad liberum aſſenſum, cogitatu non eſt poſſibile. 3. Voluntatis diſpoſitio naturalis non poteſt eſſe cauſa. Si enim ſit ſupernaturalis, voluntatem tamen ſuæ indifferentiæ relinquit. Non enim evertit libertatem, nec vero naturalis diſpoſitio influere poteſt effectivè ex ſe in effectum ſupernaturalem. Nec 4. nuda applicatio & approximatio agentis ad paſſum eſt cauſa: ea enim eſt modus cauſandi, & conditio, non cauſa. Nam approximatio ad ignem non eſt illud, quod calefacit, ſed conditio tantum calefaciendi: ſolus ignis calefa-

cit

cit. Si enim nuda approximatio vel applicatio talis aliquid virtutis cauſativæ ſuperadderet gratiæ prævenienti, tum non eſſet par gratia in non-congrue vocato, cui deeſt talis applicatio, atqui in congrue vocato, contra hypotheſin. Vocatio ergo qua congrua, quoniam eſt omni vi cauſativâ deſtituta, non poteſt eſſe cauſa. Relinquatur ergo 5. loco quod ſolum liberum arbitrium eſt cauſa. Nam Deus præſcit hominem prius natura vocationi pariturum, quam congrue vocet, quia nemo dicit hominem parere vocanti, quia Deus præſcit, ſed contra. Quid hic *Suarez* qui ingenium verſare & torquere didicit ad omnes formas, ut Prothea dixeris, non theologum? *In executione* (inquit) *nunquam exercetur illa efficacia ſine cooperatione liberi arbitrii, quamvis non reducatur in illud ſimpliciter, ſed in gratiam vocantem & adjuvantem. In intentione autem ſeu præparatione talis vocationis, & auxilii, quod non ſolam ſit ſufficiens, ſed infallibiliter ſit futurum efficax, reductio fit in ſolam divinam voluntatem.* Candidius *Vaſquez. Non eſt* (inquit) *in noſtrâ poteſtate, ut donetur vocatio congrua, bene tamen ut ſit efficax.* Et *Fonſeca* reducit in decretum abſolutum. R. *Suarez* putat ſe non patrocinari *Pelagio*. Si dixerit efficaciam gratiæ reducendam non in ſolum liberum arbitrium & tamen in liberum arbitrium. 2. In gratiam vocantem reducendam eſſe vult: at falſo. In id enim ultimatè & cauſaliter reducitur efficacia gratiæ, à quo

Ib. fol. 8. p. 151.

Vaſquez. tom. 1. p. 549.

quo pendet converſio, ut potius ſit, quam non ſit, & potius ſit in illo, quam in alio. Atqui non à vocatione, non ab adjuvante gratia eſt, quod potius ſit converſio, quam non, & potius convertatur *Petrus*, quam *Iudas*. Nam par vocatio quoad ſubſtantiam, ideoque quoad vim cauſativam eſt vocatio, & gratia adjuvans converſi, & non converſi, imo ex Ieſuitis eſt à voluntate *Petri* potius quam *Iudæ*, quod convertatur, imo à cauſa communi & converſo, & non converſo nullo modo poteſt eſſe efficacia gratiæ, hoc eſt, actualis efficientia gratiæ. 3. Dei voluntas & intentio non eſt id, in quod reducitur efficacia gratiæ. Nam intentio hæc vel eſt conditionata, vel abſoluta: in neutram, ſecundum placita Ieſuitica, reduci poteſt efficacia gratiæ. Si conditionata ſit intentio & voluntas, tum Deus ab æterno voluit gratiam efficacem fore in *Petro* non in *Iuda*, ex hypotheſi. Cedo jam ex animo candido, hypotheſin, nempe quod *Petrus* eſſet pariturus gratiæ vocanti: alia fingi non poteſt conditio. Age itaque ſic Deus ſtatuit: Ego ex feneſtrâ ſcientiæ mediæ præſcio fore ut gratia ſit efficax, in *Petro* non in *Iuda*, ideoque ego volo & intendo ut efficax ſit in *Petro* potius quam in *Iuda*. Quiſquam ne ſobrius diceret efficaciam, quæ eſſe habet antecedenter ad Dei voluntatem, eſſe à Dei voluntate, ut effectum à cauſa? expergiſcere tandem aut edormi, Ieſuita, crapulam iſtam *Pelagianam*.

Si

Si voluntas eſt abſoluta, tum Deus decreto abſoluto determinavit omnes liberas converſiones omnium electorum, & per eandem rationem omnes etiam liberas non-converſiones reproborum. Ferrum prius quam hoc decoxerit ſtomachus Jeſuiticus aut Arminianus. O jam tollitur (inquiunt) libertas, evertitur omnis religio, introducitur fatum, Stoiciſmus, Manechiſmus, & quid non? Suis hic opitulari cupit *Grevinchov.* ita etiam & nobile ingenium *Petri Fonſecæ.* Omnia volunt reduci ad decretum abſolutum, ut in cauſam altiſſimam. Ita enim illi, ſi *Petrus* in hiſce & non in aliis occaſionibus & rerum ordine collocabitur, & tali modo diſpoſitus vocabitur, tum obſequetur divinæ vocationi. Sed ego decerno (inquit Deus) abſolute collocare *Petrum* in tali rerum ordine, & ipſum tali modo diſpoſitum vocare. Ergo abſoluta mea voluntas prima eſt cauſa, cur *Petrus* meæ obſequatur vocationi. Sed Reſp. 2. Non eſt hic primus & altiſſimus ille ſyllogiſmus in quem reducetur tota vocationis efficacia, 1. Major non eſt neceſſaria, imo ſtante indifferentia Ieſuiticâ & *Arminianâ* in voluntate *Petri*, non magis vera quam falſa, & falſa, quam vera eſt major propoſitio connexa. Nam in quocunque rerum ordine collocetur *Petrus*, nunquid ille ordo ipſius voluntatem ad aſſentiendem Dei vocationi determinabit? Num quæſo tantum convivium, mens hilaris, timor aliquis gehennæ aut ejuſ-

Pag. 216. 217.

modi circumſtantiæ *Petrum* ad parendum Dei vocationi determinent? Certe tum in tantum convivium, non in Dei voluntatem reducetur efficacia gratiæ, & quoniam *Petri* voluntas libere movetur à lauto convivio, aut à mente paulo poſt pocula, facetiore, hæc libera motio antecedat, neceſſe eſt, & Dei ſcientiam mediã & decretum Quomodo igitur reducetur inde. cretum? En ubi jam decretũ abſolutum evanuit, tenueſque receſſit in auras? 2. Nec aſſumtio illius ſyllogiſmi eſt tam vera, quam falſa, ſtante indifferentiâ voluntatis *Petri*. Deus enim non abſolute collocat *Petrum* in tali rerum ordine: *Petrus* libere bibit, convivam agit, adit ſacram concionem tali horâ, & loco, quo convertitur, libere dormivit, ideoque melius per hoc diſponitur: imo libere audit concionatorem proponentem Dei nomine vocationem congruam, quippe poteſt non audire, libere animum advertit ad ſenſum, literam, ſcopum, æquitatem vocationis, & momenta rationũm. Poteſt enim voluntas libera, & affectus tanquam Rhetores Diaboli avocare intellectum ad res terrenas & vaniores, eo tempore & loco, ponderandas, ideoque niſi dixerint actus liberos abſolute à Deo decerni, quod illis eſt fataliſſimum fatum, aſſumptionis veritas non pendet ullo modo ex Dei decreto, imo aſſumptio eſt vera, vel falſa antecedenter ad Dei voluntatem, & ſcientiam mediam. Hinc ſequitur concluſio plane contraria; voluntas *Petri*, non Dei abſo-

abſolutum decretum eſt cauſa, cur *Petrus* congrue vocatus vocationi Dei reſpondeat. 3. Fatetur *Grevinchov.* Deum præſciviſſe *Petrum* collocatum in talibus circumſtantiis pariturum Dei vocationi: ita & *Fonſeca*, ita *Suarez*, ita *Bellarminus*. At quis non jam videat humanam abſolutam voluntatem Dei voluntate hic priorem eſſe? Nam ſcientia media non antecedit actus liberos voluntatis tum divinæ, tum humanæ. 4 Sic fluit eorum ſyllogiſmus [Si *Petrus* in talibus circumſtantiis vocatus fuerit, parebit vocationi: atqui Deus abſolute decrevit collocare *Petrum* in talibus circumſtantiis: ergo *Petrus* parebit] concluſio non eſt abſoluta, uti debet eſſe, ſi actus credendi in *Petro* ultimate reſolvatur in abſolutum Dei decretum. Nam concluſio ſequitur deteriorem partem, atqui major eſt veritatis contingentis, non neceſſariæ: ergo talis erit concluſio, uti eſt hæc. Si *Petrus* currit, neceſſe eſt moveatur. Atqui *Petrus* currit. Ergo neceſſe eſt moveatur. Concluſio non poteſt eſſe veritatis neceſſariæ, quia non neceſſe eſt *Petrus* currat: imo contingenter currit. 5. Ego vero ipſis formabo ſyllogiſmum priorem illo ſyllogiſmo, quem illi formarunt, imo cujus veritas erit cauſa cur ipſorum ſyllogiſmus conſiſtat, uti hic eſt: Si *Petrus* collocabitur in talibus circumſtantiis, liberum erit ei credere, vel non-credere. Atqui *Petri* voluntas eſt collocare, vel non-collocare ſe in talibus circumſtantiis. Ergo *Petri* voluntas erit credere, vel non-crede-

credere. Hic ſyllogiſmus Dei decretum abſolutum antecedit. Eſt enim ſcientiæ conditionatæ objectum, ideoq; decretum ipſorum abſolutum reſolvitur in voluntatem creatam.

Argum. 5. Si non congrue vocatis datur gratia ſufficiens, quâ poſſint converti, ſiquidem velint, ergo non obſtante omni incongruitate vocationis, fieri poteſt, ut convertantur. Nam incongruitas non infallibiliter, nec indeclinabiliter voluntatem flectit, ſed ſuæ indifferentiæ relinquit. Hoc autem eſt abſurdum 1. quoniam *Fonſeca* vult actuale obſequiũ congruè vocati includi in conceptu quidditativo congruæ vocationis, & actualem inobedientiam in eſſentiâ etiam congruæ vocationis: 2. etiam hic gratiæ efficacia reducetur in liberum arbitrium: & 3. ſequetur non neceſſario requiri congruitatem, ad hoc ut quis convertatur, quoniam non congrue vocati etiam converterentur. Nec ſatisfacient, ſi dixerint incongruam vocationem ſupponere voluntatem vocationi repugnaturam eſſe. Tum dico voluntatem repugnaturam eſſe prius natura, quam incongruitas habeat eſſe: quod abſurdum. Nam effectus non eſt prior vel cauſa, vel modo ſive ratione agendi in cauſa, ideoque repugnantia voluntatis non poteſt præſupponi à congruitate. At forte dicent gratiam ſufficientem in ſe poſſe obedientiam producere reſpectu voluntatis humanæ in ſpecie, non vero de facto producere reſpectu voluntatis talis in individuo, nimirum, *Iudæ* ſic

ſub

ſub talibus circumſtantiis collocati, & diſpoſiti. Sic diluo Gratia ſufficiens ad convertendam voluntatem in ſpecie, eſt etiam ſufficiens ad convertendam hanc voluntatem in individuo. Alioqui ſi fortior ſit corruptio in *Iuda*, quam ut à gratià ſufficiente poſſit auferri, tum gratia non eſt ſufficiens huic voluntati, nempe *Iudæ*, convertendæ, & ſic non peccat *Iudas*, eo quod converti non vult. 2. Ait *Fonſeca* vocationem congruam de facto removere rebellionem. At vel aufert, quâ vocatio, vel quâ congrua. Si qua gratia, adhuc cum ſit eadem vocatio quoad ſubſtantiam, fatente *Fonſeca*, adhibita congruè vocato, & non-congruè vocato; tum adhuc converti poteſt non congruè vocatus, non minus quam congrue vocatus, quod abſurdum. Si vero vocatio auferat rebellionem, quâ congrua, tum congruitati nudæ & applicationi tali præciſè conſideratæ inerit cauſativa vis edomandi rebellionem. Atqui id habere vim cauſandi quod non eſt ens, ſed modus entis, mihi erit cauſa poſtulandi, ut qui me docuit metaphyſicam, reddat minam Diogenes. Certe *Bellarminus* naſutus ſatis, ut ictum hujus argumenti declinaret, ait: *ad gratiam non ſolum pertinet motio ſive excitatio interna ſed etiam circumſtantia loci, temporis, perſonæ.* R. Certe non potuit magnus Ieſuita obmuteſcere: maluit dicere gratiam eſſe *Petro*, quod ſit piſcator, quod in navi audiat Chriſtum concionantem. Tibi igitur mare, & navis & hora forte diei tertia, gratiæ ſunt. Gratia cer-

certe digna ſcholâ Jeſuiticâ, inimiciſſimâ præ aliis pontificiis Dei gratiæ. At ſint gratiæ non congrue vocato, non deſunt tot circumſtantiæ quot
Ibid. p. 171. congrue vocato. Audite evaſionem *Fonſecæ*: *Si vocatio quidem congrua vocatis fuerit, hoc eſt, effectum in iis ſortitura, ad prævenientem quoque gratiam, quemadmodum & ipſa vocationis ſubſtantia pertinebit. Magna enim gratia fit ei, qui in eâ occaſione vocatur, in qua præſcitur obediturus. Sin autem congrua non fuerit, ut quæ non ſortitura ſit effectum, ipſa quidem vocationis ſubſtantia ad prævenientem gratiam ſpectabit, non tamen hujus modi applicatio, ſed ad communem providentiam referenda erit, quâ Deus non omnibus æqualia tribuit, ſatiſque habet, ſi ea cuique conferat, quæ, niſi ille ſibi deeſſe velit, ipſi ſufficiant ad ſalutem.* R. 1. Non erit par gratia præveniens in congrue vocato & incongrue vocato, imo nec poſſibile eſt, ſi ipſa congrua vocatio eſt pars gratiæ prævenientis. 2. Tali modo & tempore applicatio vocationis, non poteſt eſſe gratia, niſi naturam ſanet. Hic enim eſt *Valentiæ* & ſcholaſticis magnis, formalis effectus gratiæ, ſed talis applicatio non ſanat naturam, neque ullam habet cauſalitatem formaliter. Eſt enim non cauſa, nec ens, ſed modus & conditio, cauſæ ſive entis. Delirat in principia itaque notiſſima Ieſuita. 3. Si tali modo, vocari ſit gratia, eſt gratuita & non debita. Atqui antecedenter ad Dei ſcientiam mediam, ideoque ad decretum verum fuit Deum vocaturum tali modo & tempo-

tempore pariurum, ideoque ſi fatum Deum conſtringens eſt gratia, an potius fatale debitum, ipſi judicent. 4. Unde eſt hæc vocationum diſparitas, quod Deus ſecundum decretum prædeſtinationis vocet quoſdam congrue, & ſecundum decretum communis providentiæ, quoſdam vocet incongruè? an à decreto abſoluto? Atqui ſupra probavi, non dari in Deo tale decretum erga homines abſque inſigni, libertatis humanæ, læſione, adeoque tolletur omnis obedientia, proculcabitur religio ex Ieſuitis, ideoque à meritis hominum diſparitas harum vocationum & decretorum erit. Ergo merita & actus liberi obedientiæ & inobedientiæ, decretum primum abſolutum antecedent. Ergo decretum hoc non eſt altiſſima cauſa efficaciæ gratiæ, contra quod docent Ieſuitæ.

Argum. 6. Si gratia vocationis infallibiliter converſionem operetur, quia tali tempore & modo homines vocantur, inſulſe & falſo Deus urgeret converſionem: Argumento ducto à temporis opportunitate. Atqui hoc facit ſæpius in ſcripturis. *Pſ.* 95. 7. *Hodie ſi audietis vocem, ne obduretis corda Eſai.* 55. 6. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt.* 2. *Cor.* 6 2. *Ecce nunc eſt tempus acceptum, ecce nunc dies ſalutis. Ioel.* 2. 12. *Nunc itaque, dicit Iehova, revertimini ad me, ex toto corde.* Imo hoc falſum eſſet: in multis enim hoc eſſet verum: non eſt hodiernus dies ſalutis, non eſt hoc præſens tempus revertendi acce-

ceptum; non ſumus diſpoſiti hodie, craſtinus dies & ſequens annus, nempe quum ſit tempus, quo congrue vocandi ſumus, eſt tempus acceptum. Imo Deus ſciret non eſſe præſens tempus eorum converſioni accommodatiſſimum, ideoque ſciret Deus ſe falſum loqui, quod eſt blaſphemum. Quaſi vero ſic Deus diceret: ſcio nondum eſſe tempus opportunum & acceptum, quo plerique veſtrum convertendi eſtis, hortor tamen ut hoc tempore, quod maxime opportunum eſt, ad me revertamini ex toto corde. Nec poſſet Deus dicere, quid potui amplius facere vineæ? Nam etiam in genere mediorum externorum, Deum ſibi deeſſe quererentur. Nam medicus qui in debito modo & tempore applicet ſciens & prudens emplaſtrum vulneri, & eo modo quo ſcit non curatum iri? Num quis diceret eum naturali deſiderio voluiſſe, ut curetur, aut eum poſſe dicere, quid amplius potui facere ægro meo.

Argum. 7. Cauſa, cur homines à Deo non convertunter, eſt quia non ſunt ex ovibus Chriſti, quia non trahuntur à patre, quia Deus iis non dedit cor ad intelligendum, quia non audiverunt, & didicerunt à patre, quia non circumcidit *Iehovah* cor eorum, non qua tali modo & tempore, non trahit ipſos Deus.

Argum. 8. Gratia congrua vel producit effectum neceſſario, vel contingenter. Si primum converſi non poſſunt non converti, ideoque non convertuntur liberè. Si contingenter

genter, tum poſſunt non converti, quod illis eſt falſum: eadem ratio de non-congrua converſione urgebit. At dicunt congruitatem includere præſcientiam mediam, qua Deus præſcit actum libere futurum infallibiliter, licet non neceſſariò. R. Præſcientiâ mediâ præſcitur à Deo actus liber poſſibilis & nunquam futurus, infallibiliter etiam non minus, quam actus liber futurus, ideoque repugnabit ullos actus liberos plures poſſe eſſe, quam ſunt, & illos non poſſe non eſſe, qui non ſunt, ideoque quoniam ſunt futuri antecedenter ad congruitatem iſtam, & hoc dato, quod Deus incongruè vocaſſet ipſos, non poſſunt non converti, niſi Dei ſcientia media falleretur, quod abſurdum eſt, & dato quod non converſos congruiſſime Deus vocaret, non fuiſſent converſi. At dicent converſione congrua eſſentialiter includi converſionem. Reſp. Jam nemo non videt ipſos petere principium, quin imo effectum liberum in cauſa contingenter operante eſſentialiter includi, eſt abſurdorum abſurdiſſimum.

Argum. 9. Referenda eſſet cauſa converſionis in complexiones individuales & in accidentia mera lautum convivium, in ebrietatem, adeoque in peccatum & recedentibus illis accidentibus prout non difficulter à ſubjecto removeri poſſunt, tam in proclivi eſſet hominem denuo ad ſtatum peccati reverti, etiam hoc dato quod in eo eſſet ſemen Dei, & natura nova, quam non reverti ad peccatum.

Argum. 10. Novus eſt ſecundus partus & regeneratio à ſolo miniſtro ſuadente fieret. Atqui ſic claudus ambulare, cæcus ſuaſione videre poſſet, & in peccatis mortuus reſurgere.

Argum. 11. Neceſſe eſt motio congrua & non congrua habeant locum in actibus naturalibus liberis, & in omnibus actibus peccaminoſis Diabolorum & hominum reproborum, quia Deus juxta præſcientiam mediam operatur & movet in illis, & ſic Dei motio non congrua vel erit cauſa peccati, quod abſurdum, vel motio congrua non erit cauſa actus, vel moraliter, vel ſupernaturaliter, boni. Reſpondet *Suarez*, habere in iis locum, ſed Deum collocare homines in illa occaſione, in quâ præſcit ipſos peccaturos, non ex intentione, ut peccent, ſed ut bonum faciant; peccare vero eos ſecundum voluntatem permittentem. R. At quid philoſophari opus eſt hic de intentione Dei, qui eſt actus immanens in Deo, & nihil reale ponit in homine? Nam Deus eſt realis & externa cauſa nempe non movens congrue, id faciens, ex quo infallibiliter ſequitur peccatum, & ſi de actu externo loquamur, nihil aliud agit ad productionem operis moraliter boni & ſupernaturalis. 2. Deum non congruè movere Diabolos jam in malo judicialiter obfirmatos, ea intentione ut bonum faciant Diaboli, quis audet aſſerere? nam quæ lex jam eſt Diabolis propoſita? 3. Supra dixit

Ie-

Ieſuita, non conferre Deum dona ſpecialiſſima gratiæ omnibus. *Quia* (inquit) *nec fortaſſe expediebat, ut divina gratia ſimul & juſtitia magis oſtenderetur.* Ergo per hanc rationem fortaſſe Deus, ſi Jeſuitæ placeret, collocat homines in ea occaſione ut peccent etiam ex intentione, *ut haberet in quo divina gratia & juſtitia magis oſtenderetur.* Attende & animum adverte, Jeſuita, ad hæc.

Argum. 12. Neque poteſt eſſe par gratia in congrue vocato & non congrue vocato, ſiquidem converti major eſt gratia, quam non converti, Reſp. *Suarez* In genere motionis ſive rei, æqualem eſſe utrobique vocationem, at vero in genere beneficii majorem eſſe gratiam converti, quam non converti,& congruè vocari quam incongruè. R. 1. Quid non obſcurabunt Jeſuitæ diſtinctionibus ſuis evanidis? Quid, an non iſta motio, quã Deus adhibet in converſione, eſt beneficium? Annon eſt beneficium quod Deus homines trahat? quod corda aperiat? quod det cor ad intelligendum? Nemo ſanus id negabit. 2. Ex Jeſuitis converti non eſt beneficium ita à Deo convertente, ut poſſit converſus Deo gratias agere, qui ipſum à non converſo ſeparaverit. Nihil enim in genere motionis & ut cauſa realiter influens Deus agit in converſo, quod in non-converſo. Ideoque eſt converſi beneficium naturale quod debet puræ naturæ arbitrii ſeparationem facienti. 3. At major Dei dilectio erga congrue vocatum

Suarez. tr. de div grat. part. 1 *l.* 1. *cap.* 14. *ſ.* 6.

quam erga non congruè vocatum, eſt quia ſecundum duo diverſa decreta, prædeſtinationis & providentiæ nimirum, ipſos vocat: unde diſparitas dilectionis? à Dei abſoluta libertate? Tum vicit *Calvinus*, imo potius Dei veritas triumphavit: an à meritis? & vincet *Pelagius*.

Argum. 13. Congrua vocatio ſtat hoc fundamento quod ſit in Deo ſcientia media: at fundamentum hoc corruit, ut ſupra probatum.

Argum. 14. Stante Jeſuitico hoc principio, [Deum obedienti dare efficacem concurſum, non obedienti negare] tum ei qui ſemel obedit Deo vocanti, Deus ex juſtitiâ motionem congruam, qua infallibiliter obediturus eſt, dare tenetur; & hunc actum alia motione congruâ, neceſſitate juſtitiæ, præmiabit, & ſic qui ſemel obedivit, non poteſt unquam in poſterum peccare, quod abſurdum: & per eandem rationem, qui ſemel ponit obicem Deo vocanti, Deus ex juſtitia ei negabit motionem congruam, & per eam rationem ſemper deinceps, & ſic nunquam obedibit: quod abſurdum. Si vero ex abſoluta libertate Deus dat, vel negat vocationem congruam, ad Calvinum redibunt Ieſuitæ; & neceſſe eſt vale dicant, concurſui Dei conditionali, qui pugnat cum libertate Dei abſolutâ.

6. Hanc vocationem Ieſuitæ à ſcripturis non probant, ſed ab *Auguſtino ſolo*. An id jure fa-

re faciant, videamus, Sciendum itaque motionem dici congruam tribus modis. 1. Quando Deus movet per verbi ſuaſoria argumenta voluntatem, ita ut in genere ſuaſorio congruentiſſimè moveat, ſiquidem intellectus, voluntas & affectus verbi genio & ingenio congruerent. Hoc modo congrue Deus vocat omnes in viſibili eccleſia. At vero Jeſuitæ nolunt affectus humanos verbo contemperari, ſed verbum & Dei volitionem accommodari genio & diſpoſitionibus individualibus affectuum humanorum, quam contemperationē ego nunquam potui intelligere. Nam contemperatio verbi, genio affectuum tantum poteſt intelligi tribus modis, 1. genio pure naturali. Atqui ſic nulla eſſet cauſa, cur congrue vocatus pareret. Quæ enim influentia eſſet puræ naturæ, niſi qua elevatæ per gratiam? Pura enim natura non eſt tantarum virium, ut poſſet in actus ſupernaturales influere. 2. Si genio naturæ corruptæ nunquam ſequeretur converſio. Nam animalis homo habet pro merâ ſtultitiâ, ea quæ ſunt Dei, nihilque magis ei ſordet, qvam ſimplicitas euangelii. 3. Genio naturæ per gratiam prævenientem elevatæ. At ſic, cū ex Ieſuitis par gratia poteſt eſſe in converſo, & non-converſo, vocatio non eſſet ſic congruentior converſo, quam non-converſo. At forte dant, quartum modum, nempe vocationis contemperationem cum complexione & individualibus diſpoſitionibus ſuperadditis puræ naturæ. At vero

nec hoc, cum ſanâ ratione, dici poteſt. Quæ enim convenientia eſt inter inviſibilia, Dei æternam gloriam, ſortem filiorum Dei nullis calamitatibus non oppreſſam? quippe neceſſe eſt ſe cruci, fami, inediæ, algori, perſecutionibus, dedecori, exilio, cupiditatũ abnegationi per totam vitam exponant, & morti deniq; acerbiſſimæ & immaturæ (ſiquidem Deus ita volet) perpetiendæ ſint parati: quæ inquam inter hæc & diſpoſitiones individuales convenientia? Imo mihi videtur contrarietas non mediocris, & mirum eſt, ſcripturam nunquam meminiſſe ullius diſpoſitionis ejuſmodi, aut occaſionis, ſiquidem ex ea penderet converſio, vel non-converſio. Imo debebat Deus præcipue in ſcripturis regulas & præcepta tradidiſſe, quibus homines ſeſe in tali loco, tempore, triſtitia, vel lætitia convivali vel muſicali aut hujuſmodi collocarent, quo congruenter diſponerentur ad Dei vocationem: ut taceam, quam nihil activitatis habeant hæ diſpoſitiones ad voluntatem huc vel illuc flectendum, fatentibus Jeſuitis. 2. Congrue Deus movet, quatenus ita determinat voluntatem electorum quatenus novit genio libertatis naturalis convenire. Novit enim efficaciam gratiæ, & quomodo voluntatẽ illæsâ libertate impellat. Hoc etiam ſenſu vocationem efficacem congruam concedimus. 3. Ita ut actus præſciat, ſcientiâ mixta antecedenter ad motionem ſuam, & tum motionem ſuam contemperet ad genium voluntatis: hoc nos pernegamus.

7. Ci-

7. Citant ex *Auguſtino* illud: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio, divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, ſi congruat ſuis mentibus, vel audiant verba, vel videant ſigna: & tamenſi Dei altiore judicio à perditionis maſſa non ſint gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa ei adhibentur vel dicta divina, vel facta per quæ poſſunt credere, ſi audirent utique talia vel viderent.* Locus hic videtur maxime favere Jeſuitis: at non prodeſt iis. Nam 1. ait quoſdam in ipſo ingenio habere hoc munus intelligentiæ, ut obſervat *Tuiſſus.* Atqui Jeſuitæ volunt omnes naturaliter poſſe moveri & permoveri, ſi adſit congrua vocatio. 2. Apparet (inquit pater) non ergo aliquid determinat, de modo vocationis. 3. Congruitas iſta *Auguſtiniana* ſpectat ad ſubſtantiam vocationis, ut apparet ex verbis præcedentibus. *Cæteri autem, ubi niſi in maſſa perditionis juſto judicio divino, relinquuntur? Vbi Tyrij relicti ſunt & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent. Sed quoniam ut crederent non erat iis datum, etiam unde crederent eſt negatum.* Non dicit, [ſed quoniam ut crederent, non erit iis eo modo & tempore datum,] ſed ſimpliciter negat iis eſſe datum. *Tyrij* ergo poterant credere ex *Auguſtino* ſic expoſito, ſi Deus tali modo ipſos vocaſſet. Nempe igitur præſcivit Deus *Tyrios* credituros antecedenter ad ſcientiam mediam. Ergo erant vere credituri in ſeſe, ergo fallax erat ſcientia media & falſa, qua ipſos nunquam credituros præ-

Auguſt. lib. de perfect. p. 14.

ſcivit. Nam nunquam crediderunt. Nam tam contingens eſt non-credere *Tyriorum*, quam credere. Ergo ſcientiâ mediâ Deus utrumque præſcivit. At dices præſciviſſe Deum τὸ credere, non abſolutè ſed ex hypotheſi vocationis congruæ. At Reſp. Vel animadverſio *Tyriorum* ad vocationis ſenſum literalem erat libera, ideoque contingens, ac p oinde tam non-credere, quam credere cohæret contingenter cum vocatione illa, ex cujus poſitione Deus ipſos credituros præſcivit. Nam quia libere ſe collocaſſent *Tyrij* in tali occaſione, in qua erant convertendi hypotheticè, & Deus ſcientiâ mediâ præſcivit non futuritionem illius libetæ collocationis in tali occaſione, non poterat præſcire fidem *Tyriorum* in hypotheſi, quam nunquam ponendam præſcivit eâdem ſcientiâ mediâ, niſi in infinitum rediret quæſtio de poſitione illius liberæ conditionis, & rurſus de conditione illius conditionis, quod abſurdum non admitteret *Auguſtinus*. 5. *Tyrij* crediſſent, ſi congrua verba & ſigna audiviſſent, & vidiſſent, congrua nempe congruitate in ſecundo ſignificato, quatenus moraliter movet & Phyſice voluntatem, illæſa libertate. 6. Non poteſt illic *Auguſtinus* loqui de modo applicationis vocationis, ſed de ipſa ſubſtantia vocationis, quoniam cauſa altiſſima *Auguſtino* eſt divina abſoluta prædeſtinatio, ut apparet ex verbis: atqui talis prædeſtinatio actuum liberorum Jeſuitis eſt Chymerica fabula.

S. Ci-

8. Citant *Auguſtinum* ad *Simplicianum. Verum eſt* (inquit) *multi vocati, pauci vero electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamvis vocati.* Ibid. *Igitur non volentis &c. ſed miſerentis Dei, qui hoc modo vocavit, quo modo ſit ei congruere ut vocantem non reſpuat.* Reſp. Non negarem *Auguſtinum* (quod res eſt) iſta ſcripſiſſe ante exortam hæreſin Pelagianam. Deinde *Auguſtinus* voce congruitatis ideo ſæpiſſime utitur, quia præoccupare ſemper illud *Pelagij* & humanæ rationis voluit, quo ex omnipotentiſſimâ Dei flexione voluntatis liberæ ſequi videtur compelli libertatem & fato cogi, quod & poſtea ſæpius Pelagiani & Semipelagiani *Auguſtino* objecerunt. Ideo *Auguſtinus* omnipotentiſſimam illam flexionem expoſuit per talem congruitatem moralem, qua Deus illæſâ libertatis naturâ, ipſam, quo vult, flectebat, ſicut & nos contra Jeſuitas & Arminianos cogimur tradere prædeterminationem talem phyſicam, quæ tamen locum relinquat judicio, electioni vitali & indifferentiam libertatis naturalem, admirando modo, conſervet, ideoque noſtram congruitatem non Jeſuiticam aſtruit, quippe inſpirationes, attractiones omnipotentiſſimas apertè docuit *Auguſtinus. Nec ob aliud dicitur veraciter omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſquam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et idem. *Deo volenti ſalvum facere nullam*

Ad Simplic. lib. 1. q. 2. & 3.

Enchirid. 96.

De corrupt. & grat. c. 14.

nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis poteſtate eſt, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Atqui in congrua vocatione eſt poteſtas reſiſtendi Deo vocanti, & nolenti ſalvum facere, quia ſemper manet indifferentia Ieſuitica ad volendum & nolendum in voluntate, poſitis etiam omnibus ad agendum requiſitis. Neque hic ullum actum formalem omnipotentiæ divinæ, quem toties in *Auguſtiniana* congruitate vocationis inculcatum iterum atque iterum audiunt, quicunque in ejus ſcriptis vel paulo exercitatiores ſunt. 2. Congruitate Auguſtinianâ non fit nuda concio ab homine concionatore, ſæpe oratore minime diſerto: quod fieret, ſi ſola excitante & ſuaſoriâ actione Ieſuiticâ perficeretur converſio. Nec dicere poſſunt Ieſuitæ, Deum jam immediate è cœlis perſuadere, imo eloquentiâ hominum ordinarie jam utitur, atqui *Auguſtino*, à quo audimus & diſcimus, eſt Pater cœleſtis, cujus alia longe & excellentior eſt actio, quam prædicatoris ſuadentis in terris. Atqui ſi ſuaſio hæc congrua ſtaret, eadem eſt ſuaſio Dei & prædicatoris, imo eadem numero. Unde eſt ergo congruitas? Certe non in, vel à ſuaſione, aut ipſius accommodatione; ſed à Deo movente & determinante voluntatem libertati congruenter. 3. Vocatio *Auguſtini* ipſam cordis duritiem atque adeo contumacem potentiam reſiſtendi aufert. *Nam à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis durities*

Auguſt. de prædeſtinat. ſanctor. c. 8.

rities primitus auferatur. Atqui congruitas Ieſuitica non aufert duritiem, quia manet indifferentia abſoluta non parendi Deo vocanti. 4. *Auguſtinus* non ad liberum arbitrium refert efficaciam gratiæ, quod faciunt Ieſuitæ. Nolunt enim congruitatem determinare voluntatem, ſed ipſam poſſe abſolute agere vel non. Atqui *Auguſtinus* hic admiratur. *Iamſi ad illam profunditatem ſcrutandam* [inquit) *quiſquam nos coarctet, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non ita, duo ſola occurrunt &c. O altitudo, & nunquid iniquitas apud Deum?* Atqui quæ altitudo, quod gratia ſit efficax, quia ille non vult, hic vocatur, quando præſcitur obediturus, hic quando præſcitur non obediturus? 5. Congruitatis Ieſuiticæ fulcrum eſt ſcientia media, commentum *Auguſtino*, ſanctis patribus, & ſcholaſticis ignotum. Auſim dicere *Auguſtinum* nunquam intellexiſſe congruitatem Ieſuiticam, & qui in ſcholaſticis ſunt verſati, nuperum figmentum eſſe non poſſunt diffiteri. In hiſce injuriis gratiæ & providentiæ divinæ allatis, cum Ieſuitis & Arminianis διατριβὴν ſcholaſticam non detrectabo.

LAVS DEO.

EXERCITATIO. I.

De divinis decretis, & divinæ voluntatis cum libertate humana, amica conſociatione.

CAP. I. *De natura humanæ libertatis.* pag. 1

CAP. 2. *De æternitate & immutabilitate decretorum Dei, & quomodo juſtificatio, qui eſt in Deo actus immanens, ſit temporarius, ita ut fide juſtificemur.* 18

CAP. 3. *An contingentia ſubſint decreto Dei abſoluto, & quomodo decreta Dei conditionata, disjunctiva, & congrua evertantur.* 68

CAP. 4. *Explicatur contra Suarezium, Vaſquezium, Molinam, Leſſium, Fonſecam, & inprimis contra Iac. Arminium, contingentiæ & abſoluti decreti conſociatio.* 103

CAP. 5. *Contra eoſdem Ieſuitas & Arminianos evertitur nova fabula, de ſcientiâ Dei mediâ, ſive conditionatâ.* 187

EXERCIT. II.

De notionibus divinæ voluntatis.

CAP. I. *De voluntate Dei ſigni & beneplaciti.* 213

CAP.

Cap. 2. *Quod unuſquiſque tenetur credere, id eſt verum &c. ſolvitur. Item de fide à reprobis flagitatâ promiſſis euangelicis. Item Deum fine ſuo excidere non poſſe, contra Arminianos contenditur.* 238

Cap. 3. *An Dei beneplacitum ſit prima regula juſtitiæ, & bonitatis, & miſericordiæ ipſius erga Creaturas, contra Tho: Iackſonum Anglum, & Iacobum Arminium.* 287

Cap. 4. *De voluntate Dei antecedente & conſequente.* 323

Exercit. III.

De actibus Dei temporariis in libertatem humanam.

Cap. 1. *An liberum arbitrium determinetur à Deo, an moràliter, an ad modum influxus Phyſici, in actibus tum naturæ tum gratiæ.* 363

Cap. 2. *De efficacia gratiæ, contra Ieſuitas & Arminianos.* 395

Cap. 3. *Ieſuitarum & Arminianorum argumentis, contra gratiæ efficaciam prædeterminatricem, occurritur.* 477

Cap. 4. *Monſtroſa, vocationis congruæ, fabula contra Suarezium, P. Fonſecam & Bellarm. rejicitur.* 502

FINIS.